remiſſionem functionis
ſuae petit, 474. Regina,
per ambages reſpondens,
Grotium retinet, et conſi-
liis ſuis eum propius ad-
mouere annititur, 475,
quod inſtitutum non pla-
cet Grotio, et cur, 475,
hinc dimiſſionem ulterius
petit, 476. Regina male
ferente, 476. excuſante
tamen Grotium Marigno,
476. unde fabula Ludou.
Crocii ipſa ſe refellit, 477.
R. Chriſtina tandem ip-
ſum dimittit, poſtquam
ultima ad Reginam uerba
fecerat, 476, 477, 478 cum
laude maxima, nec ſine
munere, diſcedit, 478.
Grotii diſceſſus ex Hol-
mia grauis, 478, nauim
Grotius conſcendens, Lu-
becam, Oſnabrugum, ire
contendit, 478. 479. in

quo itinere ad oram *Cassubiae* naufragium patitur, 479. inde, non longe a uico *Lyba*, in arenam exscendit, et, perquam incommodo curru, *Rostochium* vehitur, 480, 482. ubi lecto, non resurrecturus, se commisit, 480. *Grotii* morbus, 480. medicum is, *Stocmannum*, ad se uocat, qui uitae finem praesagit, 480. *Grotius*, in agone mortis constitutus, D. *Quistorpium* ad se uocat, 481. quo praesente, post preces sacras, placide expirat, 482. quo anno? 482. *Grotii* cadauer medicis committitur, 483. intestina in templo, diuae Virgini *Mariae* sacro, *Rostochii* deponuntur, 483. corpus ipsum *Delphos Batauorum* transfertur, magnaque ibi pompa sepelitur, 484. Nummi, in mortui memoriam cusi, & Inscriptiones eorum, notatu dignae, 484. 485. memoria ejus superstes est et erit, donec erit terrarum ille orbis, 485.

Mors *Grotii* grauissimis calumniis infamatur, 486. sic falso refert *Patinus*, *Grotium* ueneno mortuum, 486. refutatur, 487. *Patinus* tamen ipse de hoc dubitat, 487. probatur id ex Epistolis *Patini*, 487. *Grotii* morte *Patinus* ita est affectus, ut, praemoerore, in morbum incideret, 487. non minus falso refert *Maurerius*, ad *H. Grotium* moribundum uariarum religionum ministros confluxisse, 488. refellitur, 488, 489, 490. *Andr. Riueti* calumnia in *Grotium* mortuum, ad plures eum, sine poenitentia & prorsus imparatum, abiisse, 490. neque *Grotius* ut *Socinianus* est mortuus, 491. cui rei contraria afferuntur testimonia *I. VV. Iaegeri* & *Ioann. Francisci Buddei*, 491. 492. ex aliis argumentis iure defenditur obitus *Grotii*, 492, 493, 494, 495. natas fuisse censuras eiusmodi, *partim*, ex malo *Charentonensium* sacerdotum iudicio, qui eum pro fidei socio nolebant agnoscere, 496. *partim*, quod iidem iudicarent, *Arminianos* omnes, nullo discrimine

Digitized by Google

mine habito, religiones fuisse deque habere, 497. partim, ex inuidia, obtrectatione et ambitione, theologorum, 497, 499, 500, 501. Grotium fuisse Iudaeum, aut Socinianum, negant Acta Eruditorum, 502. Schurzfleischii ea de re testimonium, cum Grotii laude insigni coniunctum, 502. Pontificiae religioni cum fuisse addictum, falso refertur ex Patino, 503, 504. item ex Henrici Valesii oratione in obitum D. Petauii, 505 Grotium partibus accedere Pontificiorum, falso probare conatur I. A. Ostander, 506. contrarium demonstratur, 506. tum ex Patini, tum ex ipsius Grotii, Epistolis, 506, 507. in quibus Grotius Pontificis R. successionem uel maxime improbat, 508, 509. Iesuitas idemet Monachos odit, 509, 510. confessio Grotii sincera de Pontificia religione, apud Patinum, 507. Pontificiorum ecclesiam nullius esse pretii, scribit, 511. item, absurdum esse, eam dici Catholicam, 508, 511. Henrici Valesii uerba prolata, ut plane dubia, expenduntur, 514. causae, cur religioni Pontificiae se uoluerit associare, a Valesio adductae 514. ut ridiculae, plane reiiciuntur, 515, 516. Testamentum Grotianum, argumenti loco, ab Ostiandro productum, uariis rationibus et argumentis reiicitur, 517, 518, 519. argumentum Ostiandri, a Purpura et galero desumptum, minime esse galeatum, probatur, 518, 519. falso ait idem Ostiander, Grotium fuisse Socinianum, 520, 521. quod probare conatur ex Epistolis Grotii ad Vossium et Crellium, 521, 522. item, ex Patino, 522. item ex familiaritate Ruari cum Grotio, et huius commercio literarum cum Socinianis, 523. Grotius nunquam cum Socinianis voluit consentire, 523. quod probatur ex eius Epistolis, 524. item, ex ipsius testimonio Ruari, 524. Anonymum quoque falso producere Patini Epistolam, probatur, 524. a Socinianismo pariter Grotium defendit

Digitized by Google

Stolling fleetius, 525. quod probatur, teſtimonio addito *Ioann. Clerici*, 526, 527, 528. minus etiam commode ab Epiſcopo *Meldicenſi Grotium* ut *Socinianum* proclamari, oſtenditur, 528. *Grotii* religio, 529, 530. quae probatur, tum ex lumine naturae, 531, 532, 533. tum ex Theologia naturali, 533, 534, 535, 556, 537. tum ex Codice ſacro, 538, 539. *Grotius* Pacis religioſae amantiſſimus, 545. Vnionis item Eccleſiarum Euangelicarum ſtudioſiſſimus, 545. probatur id ex eius Epiſtolis, 546, 547. ad hunc Pacis finem conſequendum, tria *Grotius* remedia, remouendis impedimentis idonea, reperiebat, 548. *primum* remedium, ut ſectae *certae* ſe nulli addiceret, 548 Quare? 548. uerus omnino fuit *Arminianus*, 548. probatur, 548. inde inſaniam haereticos faciendi maxime auerſabatur, 549. licentiam item diſputandi nimiam et contumaciam, 549, 550. *Alterum* eius remedium, ad Pacis finem conſequendum, erat manſuetudo, 550. cauſa, cur hanc ſibi eligeret, 550, 551. *Tertium* erat, prudentia theologica, 552, haereſtificatio in *Grotium*, 553. Nouum Monſtrum, quod *Remonſtrantibus, Pelagianis. Socinianis, Pontificiis*, immo, *Iudaeis* ipſis, aſtipularetur, *Grotius* appellatur, 3553. ſed iniuſte, quod probatur et refutatur, 553, *ad* 558. qualem Eccleſiae formam ſibi *Grotius* exoptauerit, 559. Eccleſiam optime per Epiſcopos dirigi poſſe, dicebat *Grotius*, 559, 560. ideo *Britannica* Eccleſia *Grotio*, magnopere placuit, 561. probatur, 562, 563. it. ex literis *Henrici de Noua Villa*, aliisque epiſtolis, 563. *ad* 571. quid de publico huius Eccleſiae cultu dixerit, 566.

Liberi *H. Grotii*, 572, 573, 574. *Petri Grotii*. filii eius ſecundi, uita, fata, mors, et dotes ſingulares, 575, 579. laus eius ſingularis, 579, 580. Vxor *Hug. Grotii*, 208, 213.

Hug. Grotii corporis habitus, 581. ſimilis, tum fa-

Digitized by Google

fuisse, tum membris, fuisse dicitur *Gustauo Adolpho*, 582, 583. uitae ratione usus fuit saepe agressi, 583, 584. quibus rebus uitae suae tempus praecipue impenderit, 584, 585. eius animi dotes, 582. solertia eius incredibilis, 583. quas linguas calluerit, 583. memoria felici pollebat, 585. idem testatur *Maurerius*, 585. eius eloquentia, 585, 586. ingenium eius maturum, et iudicium plane admirandum, 586. eruditio prorsus incomparabilis, 586, 587. cum *Apolline* comparatur, 586, 587. charitas eius ingens in patriam, 588.

Opusculi *Grotiani*, de *Veritate Religionis Christianae*, fama 1689. *Grotius* libello suo pro nauigationibus in *Oceano* assertis, non *Delphos* solos, aut solos *Batauos*, sed *Germanos*, *Anglos*, *Hispanos*, *Italos*, *Danos*, *Sueonas*, *Polonos*, in admirationem sui, *iuuenis adhuc*, pertraxit, 589. in primis, per illos VI Libros de *Veritate Relig. Christianae*, *Hic Diuini Numinis Vindex*, immortalitatem sibi conciliauit, in quibus inuenit suam *Arius* ruinam, *Socinus* interitum suum, suam *Atheus* destructionem, suam *Gomarus* emendationem, neq; *hi Libri* partes tantummodo penetrarunt terrarum singulas, *Batauiam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Angliam*, *Sueciam*, *Arabiam*, *Persiam*, *Malabariam*, *Graeciam*, uerum omnes IV terrarum orbis plagas peruolarunt, omnem *Europam*, *Asiam* utramque, *Americam*, *Africam* simul et *Aethiopiam* forsan *extremam*. 589. Neque terrestribus spatiis sese *Fama et Gloria continuit meritorum Grotii*, uerum *Maris* quoque procellas tentauit. *Cantilenae* enim eius *Sacrae*, de *Ver. Rel. Christ. Lupestenii* licet, in carcere, ab ipso confectae, quo non penetrarunt, ubi non *Ipsum* fecerunt notum, quas non uias ad aeternam posteritatis memoriam aperuerunt, ut non solis fluuiis, *Vahali* ad *Arcton*, non *Danubio*, auroram

Digitized by Google

uerſus, non maris *Atlantici* inſulis, non inſulis *Mediterranei Balticique* maris, nec intra *Caſſubiae* littora coarctarentur, ſed *Oceanum* ipſum, polum *Arcticum* et *Antarcticum*, nautis uaſtum immenſumque terrarum orbem circumnauigantibus, longe lateque perſonarent, *Grotiumque* quotidie celebrarent, celebraturae in poſterum quoque, *donec harum ſacrarum honos cantilenarum conſtabit.* 589, 590. Eximium illud Opus *Grotii*, de *Iure Belli* et *Pacis*, orbi uniuerſo theatrum gloriae fuit, inigentique cum applauſu exceptum, atque inomnibus Aulis et Academiis dominari coepit, in eoque extollendo magni uiri uelut certarunt, 591.

Elogium *Grotii*, ob Legationem, bene adminiſtratam, 591. literae *Friderici Henrici*, Principis *Auriaci*, quibus *Grotii* Dotes egregias extolit, 593. de iisdem literae *R. Chriſtinae* ad *Grotii* Viduam, 594. 595. *R. Chriſtinae*, deſiderium ſcripta eius nanciſcendi in his literis, 595. alia quaedam in his literis notatu digna, et cum laude *Grotii* non uulgari coniuncta, 595. Elogium *R. Guſtaui*, de *Hug. Grotio*, 596. Elogia *H. Grotii*, data ipſi a *B. A. Maurerio*, *N. Peireſcio*, *H. Bignonio*. *Daniele Heinſio*, *Cl. Salmaſio*, G. *I. Voſſio*, *I. Seldeno*, *I. Limnaeo*, *D. Baudio*, *Th. Dempſtero*. *H. Conringio*, *C. Zieglero*, G. *Calixto*, *Iano Douſa*, *C. Barlaeo*, *Paulo Flemmingio*, *Caſp. Barthio*, 596, ad 602. Elogium *Grotio* a *Scaligero* datum, 5. a *Iacobo Gilloto*, 8.

Non tamen nulli aureis *H. Grotii* ſcriptis caliginem offundere ſunt conati, 602. in his *I. Feldenus*, 602. *Claudius Salmaſius*, 642, 603. *Salmaſii* epiſtola de hac re, 603. id ex aemulatione ſola et liuore *Salmaſii* profectum, iam olim obſeruauit *Patinus*, 604. *Salmaſius*, etſi contemptim de *Grotio* ſcribat, plurima tamen ex *Grotii* ſcriptis deſumpſit. 604. iniuſtus ergo fuit obtrectator *Grotii*,

604.

Digitized by Google

604, 605. Errores *Salmasii*, in theologia, philologia, et iurisprudentia. 604, 605. *Salmasius* neminem quenquam, sibi contradicentem, ferre potuit, 605. fastus eius singularis, 605.

Grotius, cum *Homero* a *Galatone* olim picto, comparatur, 606. item, cum Oraculo *Delphico*, 588. item, cum *Apolline* et eius interprete, 486. Epigramma ideo ipsi fusum, 486. quinam uiri docti *Grotio*, etiam mortuo, sua debeant, 606. Autor *Vindiciarum Grotianarum* moestas cogitationes suas aperit de morte *H. Grotii*, 606, 607. Narratio prisca, de *Thamo* et *Pane*, accommodata *Grotio* mortuo, 608. *Grotius* meretur elogium *Benlosii*, 608. et *Salonii*, 609. fama *Grotii* et eius memoria in dies magis emergit ex scriptis, permansurus, donec ille uelox solis, omnis terrarum orbis plagas perlustrantis, cursus perdurabit, 609. rationes, cur hae *Vindiciae* sint scriptae, 609. cur abruperit has *Vindicias Autor* et libri huius finis, 610.

Recensio breuis editorum H. *Grotii* scriptorum, 611, - 617. Versus de eius scriptis, 611. Opera H. *Grotii inedita*, 617, 618. utrum ea, in nupero *Holmensi* incendio, flammis consumpta, an uero a *Christina Romam* usque sint deportata, incertum, 618. eadem, pag. 618. seqq. annectuntur quaedam, de H. *Grotii* egregio opere, de *Iure Belli* et *Pacis*, nihilque *Grotio* defuisse in hoc literarum genere, audacter confirmatur, 620. Sunt, qui, Libris Relectionum *Franc. Victoriae* eum fuisse usum, autumant, 620. magna illis Relectionibus elogia tribuuntur a *Medina*, nihil mirante, *Grotium* tantopere ex hoc scriptore profeciisse, cum praesertim ingenii et doctrinae dotibus praestaret *Gallos* tantum non omnes et *Hispanos*, nedum *Batauos* suos, 621. neque uero minus in eodem opere usus est *Ferdinando Vasquio*, *Didaco Couarruuia*, et Quaestionibus Illustri-

Digitized by Google

bus *Franc. Hottomanni* 621. quae circa quaestionem illam habet, An iusta sit belli causa pro subditis, ut ab eis arceatur imperantis iniuria? *Grotius* id hausit e *Stephani Iunii Bruti* Vindiciis contra tyrannos, 621. *Kormartus* dicit *Grotium* etiam hausisse ex libello, cui titulus, *Essais de Montaigne illustre*, 622. Similiter uult *Crenius*, eum in hoc opere *Dionis Chrysostomi*, *Leonardi Lessi*, aliorumque Iesuitarum, scriptis fuisse usum, 622. uerum ne hoc quidem splendori uel operis uel ipsius Autoris laudi, detrahit quicquam, satis est, optima quaeque, summo cum iudicio delectuque delibata esse ab ipso, quasique recocta, 622. Si Ius Romanum appellatur *Ratio scripta*, et *Ius scriptum*, quid non dicendum erit de hoc incomparabili opere *Grotiano*, in quo fontes illi perennes monstrantur, ex quibus *Romani* Iuris riui limpidissimi optime deducuntur, quodque toties est recusum, in tot translatum linguas, ut ne nunc quidem finis sit Editionum, Notarum, Animaduersionum, Commentariorum, Obseruationum, Strictura-rum, in hoc opus, 628.

Aduersarius huius operis *Ioann. Seldenus*, 624. seq. quid sentiendum de eo, 625. quid de aduersario, *Thoma Hobbesio*, 625, seq. *Sam. Pufendorfii* de eo iudicium, 626. Commentatorum huius egregii operis primus fuit *Ioann. Henr. Boeclerus*, 627. eius de notis quid dicendum, 628. sq. *Christiani Thomasii* iudicium de iis, 629. item *Schurzfleischii*, 629. usque *ad* cap. VII. Libri IX. tantum commentatus est *Boeclerus*, 629. ratio, 629. reiicitur, 630. Opus *Grotianum* in Tabulas redegit, easque annexuit, 631. optandum quoque esset, ut acutissimi *Iacobi Thomasii* Tabulae recuderentur, 631. quin etiam, ut *Ioann. Christoph. VVagenseilii* Annotata in eos *Grotii* locos, quos ex *Rabbinorum* monumentis passim indicauit, in lucem proferrentur, 631 quid de Com-

Digitized by Google

Commentatore *Ioanne Feldeno* dicendum, 631. quid de *Casp. Ziglero*, 632. de *Ioanne Adamo Osiandro*, 633, 634. *Henrico Henninges*, 634. *Ioanne Friderico Gronouio*, 635. *Ioanne Georgio Simone*, 636 *Ioanne Tessmaro*, 637. *Martino Schookio*, 637. *Valentino Velthemio*, 637. 638. *Vlrico Obrechto*, 638. *Godofr. Spinaeo*, 638. *Ioanne Georg. Kulpisio*, 639. *Conrado Samuele Schurzfleischio*, 639. *Samuele Pufendorfio*, 639. de hoc iudicium Collectorum Actorum Eruditorum Lipſ. 641, 643. *Pufend.* opus ſuum RL. *Palatino*, *Carolo Ludouico*, dedicauit, 642. Epiſtola *Caroli Ludouici*, ad *Pufendorf.* ideo ſcripta, 643.

De Epiſtolis *Grotii* quid dicendum, 645. uſus fuit numeris et nominibus fictis in Epiſtolis, quorum Clauis alicubi latet, 646.

Sequitur Notitia *Catalogorum*, ex quibus H. *Grotii* ſcripta, tum edita, tum inedita, fere ſunt petita, ad fidem *Lectori* faciendam, 647. *ad* 654.

Syntagma *Arateorum*, editio una, 657, 658. Idyllia *Theocriti*, edd. IV, 658, 659. *Stobaeus*, edd. III, 659, 660. *Plutarchi*, et *Baſilii Magni*, quaedam, edd. IV, 660, 661. *Excerpta* ex Tragg. et Com. Graecis, edd. VI, 661, 662. *Excerpta* de *Fato*, edd. III, 662. *Anglica* Verſio, 662. *Hieroclis*, edit. una, 662, 663. *Procopius* et *Agathias*, edd. III, 663. *Suecica* Verſio, 663. *Iuſtini Martyris* Apologia, ed. una, 664. *Menandri* et *Philemonis* Reliquiae, 664. *Martiani Capellae* Satyricon, edd. VII, 666. *Lucani* poetae, edd. XXVIII, 666 - 670. Notae in *Tacitum*, edd. VI, 671, 672. *Florum Sparſio*, edd. VII, 672, 673. *Oratio* ad *Senat. Amſtel.* edd. IV, 674.

H. *Grotii Epiſtolae* ad *Gallos*, edd. XII, 675, 677. *Epiſtola Conſol.* ad *B. A. Maurerium*, edd. totidem, 677. ſeorſim edita ſemel, 677. *Anglica* eius Verſio, 677. Epiſtola de *ſtud. Polit.* edd. IV, 678. *Gallica* eius Verſio, 678. *Anglica*, 678.

Digitized by Google

678. Ep. de *ſtud. recte inſtit.* edd. IV, 678, 679. *Epiſtolae* ad *Iſr. Iaskium*, edd. II, 682. *Epiſt.* ad *Mart. Ruarum*, 682, 683. *Epiſtolarum Volumen maius*, 683. *Epp.* ad *Simonem Epiſcopium*, ed. una, 683.

Adamus Exul, edd. IV, 686. *Chriſtus Patiens*, edd. XIII, 687. 688. *Germanica* Verſio, edd. II, 689, 840, *Belgica* Verſio, 689. *Anglica* Verſio, 689. *Sophompaneas*, edd. III, 692. 840. *Catechiſmus* inter Poemata, 693. ſeorſim editus *Londini*, 693. *Belgica* Verſio, 693. *Germanica*, edd. VII, 693, 694. *Anglica* Verſio, 694. Carmen de *Annulo*, edd. II, 696. Sacra *Poemata* edd. IV, 696, 697. *Poemata*, omnia, edd. XII, 698. *Belgicae* edd. V, 699, 700.

Antiquitas Reip Batauae, edd. V, 700, 20. *Belgicae* Verſ. edd. V, 700, 701. *Gallica* Verſio, 701. *Chronicon Hollandiae*, IV, 702. *Pietas Hollandiae*, edd. II, 705. *Belg.* Verſio, 705. *Gallica* Verſio, 705. *Grotii Apologia*, edd. III, 715, 716. *Belgica* Verſio, edd. 716, 717. *Obſidio Grollae*, edd. III. 717. *Belg.* Verſio, 717. Diſſert. I, de *Orig. Gentium Amer.* edd. III, 718. Diſſertatio II. de *Orig. Gent. Amer. aduerſus obtrectatorem, opaca bonum quem facit barba*, 719. *Annales*, edd. II. 720. 721. *Gallica* Verſio, II, 721. *Belg.* Verſio, 722. de *Portuum inueſtigg. ratione*, edd. IV. 726. *H. Grotii Princeps*, 727. *Mare Liberum*, edd. XX, et cum omnibus edd. Operis de Iure B. et P. 730. *Belgicae* Edd. III, 730, 731.

H. Grotii Opus de *Iure Belli et Pacis* edd. XXVII, 739-744. *Belgicae* Verſ. edd. IV, 745, 746. *Suecica* Verſio, 746. *Anglicae* Verſ. edd. II, 746. *Gallicae* Verſ. edd. VI. 747. *Germanicae* Verſ. edd. II, 748. 749. *Commentatores*, horumque Editiones et Verſiones, LXXXVI, 749. 776. Tabulae *Mulleri*, *Iac. Thomaſii*, *Oliuecranzi*, *Boecleri*, in Opus de *Iure B. et P.* 778. *Lynckeri* Series Operis *Grotiani*, 778. *Apologia* pro eodem H. *Grotii* opere, 778, 779. H. *Grotii Introd. ad Iuriſpr. Holland.* Belgice, edd. XIV, 789, 792,

H.

Digitized by Google

H. Grotii Liber de *Imperio summarum Potest. circa sacra*, edd. XIV, 792-795. H. Grotii de *Modis, quibus Ususfructus finitur*, 796. Ei. *Disquisit. Pelagiana*, edd. VI, 797, 798. Ei. Liber de *Satisfactione Christi, contra Socinum*, edd. IV. 798. 799. *Cantilenae Sacrae, Belgg. Versibus*, edd. II, 800. Earund. *Germanica* Versio metrica, edd. IV, 800. 803. conf. h. l. *Poemata*.

H. *Grotii* Libri VI, de *Veritate Relig. Christianae*, in prosa, edd. LIII, 803. 811. *Christoph. Coleri Germanica* Versio in prosa, edd. III, 811. *Valentini* item *Musculi*, edd. IX, 811, 813. *Gallica*, edd. VII, 813, 814. *Anglica*, edd. IV, 814, 815. *Suecica*, 815. *Danica*, 815, *Belgica*, edd. VI. 815. 816. *Graeca*, 816. *Arabica*, 816, 817. *Persica*, 818. *Malabarica*, 818. *Chinenſis* ib. *Commentatores* ei. Libri, 818, 819.

H. *Grotii* Liber de *S. Coenae administratione, ubi Pastores non adsunt*, edd. IX, 821, 822. Ei. *Decalogus*, de Fide, Operibus et absoluto Reprob. Decreto, 823. Liber de *Antichristo*, 824. Liber de *Dogmatibus, Ritibus* et *Gubernatione, Eccl. Christianae*, 837. *Sermo Christi, in monte habitus*, 838. *Miscellanea* 838.

Hug. Grotii Annotata ad V. Testamentum, *Venetiis*, A. 1663. 832. *Hug. Grotii Opera* Theologica omnia, 834 seqq.


Catalogi *omissi*, 839. Libri *omissi* 839, 840. H. *Grotii* Scripta *inedita* ordine literarum, 841-852. *Homonymoscopia* GROTIANA 852, 854. *Loci*, ubi honorifica mentio fit GROTIORUM, 854.

L. B. b. l. monendus, in Indicem Script. Rerum et Verborum, Autore absente, non nulla irrepsisse menda, haud difficulter tamen emendanda.

Digitized by Google

Fuiſſe

Digitized by Google



FVisse, ante aliquot * secula, plures in agro *Delphensi*, uulgo, *Delphlandia*, illustrium familiarum arces, seu domos, gentiles, quae, per iniurias bellorum, tam finitimorum, quam ciuilium, partim incendiis, partim deuastationibus, perierunt, ex iis constat, qui illorum res temporum scriptis suis sunt complexi. Neque dubium illis est, fuisse inter eas arcem quoque *Crayemburgicam*, cognomini genti propriam, sitam, *Delphos* inter et *Hagam*, ad orientem illius fossae plagam, quae *Corbulonis* creditur, et *Lugdunum Batauorum* ducit, ibidem, uel non longe ab illo loco, ubi hodie ea conspicitur domus, quae *Crayenesta* uulgo dicitur, et a Viro amplissimo, *Herberto Beaumontio*, Proceribus *Hollandiae* et *VVestfrisiae* a secretis, possidetur. Similiter, hanc domum, *Crayemburgicam* puta, illam fuisse, ex qua originem suam traxit, uel potius una eademque fuit, ea familia, quae

A ho-

* *Videatur Anon. Belga, in* H. GROTII *Vita, pll. circiter quatuor constante.*

Digitized by Google

hodie GROTIANA dicitur, ex non obscuris indiciis colligitur, desumpto GROTII nomine ex Belgico *de Groot*, quod proprie *Magnum* significat, et, iam quadringentis abhinc annis, illi familiae fuit inditum, ob eximium aliquod, uti credibile est, in patriam meritum. Nam, fuisse eos iam pridem, qui ex ea stirpe nati sunt, ut patriae suae amantissimos, ita Iuris quoque publici strenuissimos, uel cum periculo suo, assertores, ex publicis monumentis satis constat. Hi, destructa, praeter complures alias arces, arce *Crayemburgica*, cum tutiores sibi sedes quaererent, in proximam tandem urbem, *Delphos* dictam, se receperunt, ibique honorifice excepti, et ad primarias urbis dignitates admissi, perceptos honores, sub eodem *Magni* cognomento, in posteris suis, ad aetatem usque nostram, continuauerunt, retentis semper *Crayemburgicae* gentis insignibus, quae etiam nunc familiae GROTIANAE, eique soli, propria sunt, tanquam certissima originis in ea gente documenta. Ex hac progenie ortus HVGO GROTIVS, apud Belgas, de GROOT, patrem habuit *Ioannem de Groot*, eiusdem urbis Consulem, et Academiae *Lugduno Batauae* Curatorem, ad quem Epistolae extant *Lipsii*, illustris item uiri, *Iani Dousae*, carmina, nec pauca aliorum monumenta, nomini eius inscripta. Matrem nactus est *Alidam* ab *Ouerschie*, ex primoribus eiusdem ciuitatis ortam. Auus ei fuit ille *Hugode Groot*, qui, ex illustri *Cornetsiorum* gente progna-

Digitized by Google

as, primus GROTIANVM illud nomen in liam suam intulit, quippe, cum, circa annum simum seculi quinti decimi, in *Didrico de* ot, eiusdem ciuitatis Consule, nec paucis tionibus satis claro, stirps uirilis defeciſſet, a eius, *Ermgarda de Groot*, domus satis opu- tae heres, uiro nobiliſſimo nupsit, *Cornelio rnetsio*, genus suum ex ea *Cornetsiorum* pro- ia ducenti, qui, sub Ducibus *Burgundiae*, ex llia in *Belgium* migrauerant, id quod ex qua- n ipsius H. GROTII nostri epistola, ad *Nicol. iresium*, qui Historiam *Prouinciae Narbo- ensis*, aliquot uoluminibus comprehensam, te- , in eius uita, *P. Gassendo*, condidit, clare pa- t, ubi GROTIVS his utitur uerbis. [1])

Mitto insignia familiae apud nos, cui nomen CORNETS, *uel, des* CORNETS, *respondens scilicet ipsis insignibus. Sed scutum, quod in medio est stellatum, nota est alicuius ex ea gente minoris filii. Gentem e Gallia uenisse, et nomen ostendit, et constat aliunde. Nunc intelligo, in* Prouincia *uestra fuisse gentem nominis eiusdem, cuius et in Arausionensibus chartis mentionem, scio, reperiri. Scire uelim, anne haec eadem, dempto illo scuto, insignia usurpauerit. Id aut nemo nouerit, aut tu, qui, inter tot praeclarissima studia, etiam hanc, de familiarum originibus, tuae semper curae esse, uoluisti, et, pro ea, qua merito flores, autoritate atque amicitiis, etiam ad illa, quae alios fugiunt, aditum habes.*

1) Ep. CXVII. *ad Gall., edit. Lipsi. et Francof. 1684*, 12.

Digitized by Google

Nuptura mater, matrimonium non iniit, nisi hac conditione, ne, qui ex patre nascerentur sexus uirilis utriusque liberi, alio, quam GROTI nomine appellarentur. Ita natus *H. de Groo* eius HVGONIS, de quo loquimur, auus, uir, supra, quam ea tempora ferebant, Latinarum Graecarum et Hebraearum, callens litterarum utriusque familiae, *Grotianae* scilicet et *Cornel sianae*, nomina, insignia, facultates et honores coniunxit, redintegratisque, opera sua, pristini *Grotianae* domus dignitatibus, quae, iam ant tria secula, in ea familia uelut hereditaria fueran et in parentem eius, extra *Hollandiam* natum transferri non potuerant, Senatoria et Consula ria munia, magno cum populi applausu, accep et gessit. Vxorem is duxit *Elselingam Heemsker kiam*, ex ea *Heemskerkiorum* domo ortam, quae antiquitus inter nobilissimas *Hollandiae* habita praeter alios eminentes uiros, *Iacobum* quoqu *Heemskerkium* patriae dedit, qui, rem strenu gerendo, ad *Calpen* occubuit. Per suorum de inceps liberorum matrimonia nobilissimis etian domibus, nominatim, *Almundanae*, defcendent e *Strydenis* in *Hollandia* Toparchis, *Renessiae* at que *Vtenenganae*, apud *Traiectinos*, se innexuit Verum de uniuersae gentis GROTIANAE pro paginibus, quae longe lateque patent, peculia rem TABVLAM, aeri incisam, hic inserendam curauimus, Belgico quidem sermone, fideliter tamen ut reor, consignatam, quam ciuitate Latina donare, nobis paene duximus religioni, ut quam integerrimam exhiberemus, ex qua non obscure lectori haurire plura licebit. HVGO

Digitized by Google

INCLYTAE GENTI GRO= TIANAE SACRUM.

Wilhelm Jan Reijens van Heemskerck Borgermeester tot Leyden getrout met Margareta Cingelbertsz Rumbeide hoogwaun tot Leyden in't hooft Heer van de Stoge in Zeeuwsch Vlaend.

Magtelt Jan Reyens van Heemskerck ongetrouwt.

Magtelt van Heemskerck getrout met Jacobe Adriaan Pauw Borgermeester tot Delft gebooren Ao. 1559 gestorven 1620.

Adriaan Jacobs Pauw, troude 1° Elisabet van der Chijs 2° Jan. Nets Groensewegen

Willem Jacobs Pauw getrout met Lodowijcke de Oetsens

Peter Jacobs Pauw Borgemeester en bewinthebber der Oostindische Compagnie tot Amsterdam getrout met Wijntje Stairkens.

Anna Jacobs Pauw getrout met Direk Robbertse Schilpencer Borgemeester tot Delft.

Egbert Jacobs Pauw Raad en Bewinthebber der Oostindische Compagnie getrout met Maria Hogshoek.

Henderick Pauw.

Margareta Jacobs Pauw troude Pieter Arents van der Graaf.

Brechtlanda ten Grooten Huijs troudt met Pr. Geraerd de Beer natuan de deijendam, ten in een particulier Register staan.

Jacob Adriaan Pauw Raad en Schepen tot Delft, getrouwt met Agatha Goeree.

Elisabet Adriaense Pauw, troude Willem van der Chijs.

Magtelt Egb. Pauw, trout Arent van der Graaf Schepen tot Delft en Raad ter Admiraliteyt.

Catharina Egbers Pauw getrout met Mr. Loys Heinsius Secretaris van de Wees Kamer tot Delft.

Mr. Marken Egbers Pauw Borgemeester en Bewinthebber der Oostindische Compagnie ontfanger generaal van Holland getrout met Elie van Meer.

Anna Eg. berts Pauw getrout met Cornelia Druijf.

Maria Egberts Pauw getrout met Pieter van Ruijven Raad tot Delft.

Angelica Egberts Pauw troude Cornelis van der Goes Secretaris en Raad tot Alkmaar

Arent Pietersz van Groot Heijningen Raadt ter Admiraliteyt en Rentmeester der Hoge Heerlijckheijt van de Dompt in't hal van Tol. naer Holland 2° als Lant getrout met Elisabet Meijbergen getrout met Pieter van der Hoge Burgemaister.

Mr. Jacob Pietersz Raadt ter Admiraliteyt van Delft 1° getrout met Sophia van Tol 2° met Elisabet Meijbergen getrout met Pieter van der Hoge Burgemaister.

Magtelt Piet van der Graaf.

Pieter Peters van der Graaf Raadt te Delft getrout met Sophia van der Lan

Henderick Peters van der Graaf getrout met Loisa van der Mijle.

Maria van de Graaf troude Mr. Andries Allart Advocaat tot Utrecht

Govert van de Graaf troude Susanna van de Graaf.

Susanna van de Graaf.

Margareta van de Graaf getrout met Henderick Cambier.

Elisabet de Clain getrout met Willem Pietersz Rentmeester tot Delft

Peter Pauw.

Adriaen Willem van der Chijs.

Magdalena Arents van der Graaf getrout met Marie Pietersz Spierinck Raadt tot Delft.

Maria Arents van der Graaf 2° getrout met Pieter Pietersz Spierinck Raadt tot Delft.

Mr. Anthony Heinsius.

Maria Heinsius getrout met N. Cocq. Raadt Thesaurier tot Delft.

Maria Maerten Pauw

Cornelis Pauw

Sophia van Pauw getrout met Gerard van der Goes Secretaris van de Wees Kamer tot Delft.

Volkera Maeneene Pauw.

Maria Cornelis van Druijf.

Henderik Cornelis Druijf.

Maria Cornelis van der Goes.

Magtelt Cornelis van der Goes.

Egbert Cornelis van der Goes.

Jacob Cornelis van der Goes.

Geertruijt Jacobs Graaf

Mr. Pieter Jacobs van der Graaf

Jacob Jacobs van der Graaf

Direk Jacobs van der Graaf.

Abraham Andrebrechts.

Sara Andrebrechts getrout met Wouter Woutman

Margareta Andrebrechts getrout met Jacob Kelle.

Beatrix Allarts getrout met Mr. Johan Verpoort.

Abraham van der Graaf Raadt van Staat, Raadt ter Admiraliteyt van Delft, Commissaris van de Staaten Generaal, Ambassadeur aen de Porte, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Amsterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Delft, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Rotterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Enkhuijsen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Hoorn, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Medenblick, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Veere, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Vlissingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Zierickzee, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Workum, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Harlingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Stavoren, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Groningen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Delfsijl, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Dordrecht, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Middelburg.

Jacob Pietersz van der Graaf Raadt van Staat, Raadt ter Admiraliteyt van Delft, Commissaris van de Staaten Generaal, Ambassadeur aen de Porte, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Amsterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Rotterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Enkhuijsen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Hoorn, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Medenblick, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Veere, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Vlissingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Zierickzee, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Workum, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Harlingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Stavoren, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Groningen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Delfsijl, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Dordrecht, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Middelburg.

Andrea Verpoort.

Johannis Verpoort.

Abrahum van der Graaf Raadt van Staat, Raadt ter Admiraliteyt van Delft, Commissaris van de Staaten Generaal, Ambassadeur aen de Porte, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Amsterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Rotterdam, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Enkhuijsen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Hoorn, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Medenblick, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Veere, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Vlissingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Zierickzee, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Workum, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Harlingen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Stavoren, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Groningen, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Delfsijl, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Dordrecht, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Middelburg.

Allartius Verpoort.

Susanna Maria van de Graaf.

Jacob Verpoort.

Johan Isaacq Verpoort.

Jan Reyens van Heemskerck Borgermeester tot Leyden troude met 1.) Diderikje van Montfoort 2.) Sijgje Simons 3.) Geertruijd van Alphen.

Willem Jan Reyens van Heemskerck Geestelijk.

Maria van Heemskerck troudt Arent ten Grooten Huijs, Bewinthebber der Oostindische Compagnie tot Amsterdam.

Margareta ten Grooten Huijs troude Abraham van de Graaf Koopman

Willem ten Grooten Huijs waar van de Descendenten in particulier Register staan.

Alida Cambier.

Margareta Cambier.

Johanna Cambier.

Susanna Cambier.

Caspar Cambier.

Abrahum Cambier.

Amalsara Cambier.

Eselina Jan Reijens van Heemskerck trout M.r Hugo de Groot Burgermeester tot Delft.

Cornelis de Groot Requet Meester van Prins Willem van Oranje, trout Geertruijdt Vijtteneng.

Jan de Groot laast Raat van de Graave van Hohenlo trout Alida van Overschie.

Cornelia de Groot trout Johannes de Mom Commissaris generaal van de Caspe en Indien.

Eeneon benaen.

Cornelis de Groot Landtschrijver van de Meijerij van 's Hertogenbosch Capit. van de Guarde van Hollant Rotterdam, 2° Capit. van de Guarde van S. Maria.

Pieter de Groot Ambassadeur van haar Hoog Mogenden aen de Vorst van Marocco, Raadt van Staat, Gecommitteerde Raadt ter Admiraliteyt van Rotterdam, 2° Raadt ter Admiraliteyt van Delft, 3° Thesaurier Generaal der Vereenigde Nederlanden.

Derick de Groot Gemeester van de Herberg van Wijk naer Duurstede en Alida Adriaens van Zijll.

Hugo de Groot Pensionaris van Rotterdam en laast Ambassadeur van Sweede aen't Hof van Vranckrijck trout Maria van Reijgers Bergh.

Elsina Gillisdr. Heijmans trout 1.) Jacob Adriaensz van Sorgen 2.) Jacob Cornelisz van Schagen.

Anna getrout met Willem van Schagen, Heer van Schagen, als Schout en Raadt van de Admiraliteyt van de Noorderkwartier, Schout van Alkmaar en Schepen van Amsterdam.

Dirck Gerardsz

Adriana de Groot trout Frederik van Coreseat Aaltzeuw van de Baronij van Tieselt en Commissaris van de Monsterring.

Jan de Groot Raadt van Holland en Curiaal van de Hertog van Courland.

Jacob de Groot Raadt en President van Oostvries Land en de Over Ijssel.

Maria de Grock

Alida de Groot trout met Pieter de Groot Raadt de Generael

Willem de Groot Advocat van Prins Willem des II van Oranje getrout met Alida van Grasswinkel.

Ary van Brouwershaven trout Maria van Leeuwen

Francoise de Groot getrout met Adriaen Reeps Raat en Procureur Generaal der Admiraliteyt van Amsterdam.

Hugo de Groot.

Maria de Groot trout Frederick Wolfert van Overschie.

Adriaan van Sorgen getrout met Johanna Margareta van Sambeek.

Elisabeth Backhuijsen.

Jan de Groot.

Pieter de Groot.

Cornelia de Groot.

Adriaan van Sorgen.

Anna van Sorgen.

Maria van Overschie.

Francois Jacob van Overschie

Jan Pieter van Overschie.

Digitized by Google



HVGO GROTIVS,

RE et nomine magnus, unus e potiſſimis celeberrimisque ſeculi poſt N. C. XVII uiris, quo lumine, ſecundum *Voſſium*, patrem, cum magno *Eraſmo*, nihil eruditius uel uidit ſol, uel ſolum excepit, a patre, *Ioanne Grotio*, et *Alida Ouerſchia*, matre, primus, inter alios liberos, genitus fuit, unico fratre, *Guilielmo*, et unica ſorore, *Adriana*, gauiſus. Natus uero eſt *Delphis Batavorum*, quae urbs inter primas eſt earum ciuitatum, penes quas, ſine controuerſia, ius eſt ſupremae in Hollandia poteſtatis, gente eius loci honeſtiſſima, et, propter uiros, quos ea ſemper, alios poſt alios, habuit, percelebri, A.C. CIↃIↃXXCIII, ipſo Chriſti in uitam redeuntis ſolenni ſacro, quo eodem anno, centum ante annis, anno, inquam, CIↃ CCCC LXXXIII, diuinus ille Theologus, *Martinus Lutherus*, hanc lucem aſpexerat, omine haud obſcuro, uti *Lutherum* Religionis, ita Iuris GROTIVM, uindicem fore pereximium et inſtauratorem. Qui

Digitized by Google

dies GROTII natalis nullo non tempore renouari meretur, ut incomparabilis hic uir, PHOENICIS instar noui, magis in dies e cineribus suis resurgat, eiusque memoria haud unquam apud posteros deleatur. Quamuis enim *Batauui* quidam fuerunt ingenioſi, non tamen multi, in tanta multitudine hominum, fuerunt, immo, perpauci, quos inter non possum non laudare, post *Desiderium Erasmum*, hominem summi et ingenii, et doctrinae, ita, ut, suo aeuo, parem uix habuerit, hunc ipsum HVGONEM GROTIVM, ea ingenii praestantia, ea eruditionis copia, hominem, ut non temere dederit aut haec, aut patrum, aetas illi similem, certe nullum, qui in omnibus ad illam peruenerit laudem. Ipse profecto GROTIVS diserte ingenueque profitetur, pro illa multitudine hominum, tametsi *Lugdunum Batauorum* floruerit studioſorum multitudine, pleraque tamen studia ibi fuisse cruda, non ea, ut patria censeri possit *Erasmi*, aut *Christophori Longolii*, qui etiam ipse ingenio fuit magno, quod arguunt in primis editae Epistolae ipsius. Triumphare igitur iure duobus his ciuibus *Batauia* potest, GROTIO et *Erasmo*, quibus pares, nedum superiores, postera secula non facile sunt datura. Vnus enim semper idemque erit GROTIVS, omnium, qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, iuris peritissimus. Sic mirari nemo satis potest DEI prouidentiam, qui excitauit summos illos uiros, Iosephum in Aegypto,

Digitized by Google

gypto, Danielem in Babylone, Athenis Solonem et Periclem, Numam Romae et Papinianum, ad conseruandam humanam societatem augendumque iustitiae splendorem. Quantum in hoc etiam GROTIO patriae fuerit a DEO concessum, non sola urbs *Delphorum*, aut sola testatur *Batauia*, uerum Europa omnis, Asia, Africa et America, omnis, idem confirmant. Facit enim GROTIVS, ut, quod *Iustinianus* Iuris Romani sectatoribus, quod *Hippocrates* Medicorum filiis, quod sapientiae studiosis fuit *Aristoteles*, atque post *Aristotelem*, post *Hippocratem*, post *Iustinianum*, multi esse concupiuerunt, assecutus est nemo, id rerum publicarum Consultis, earum scilicet, quae, praeter DEVM, obnoxiae sunt nemini, et Naturae tantummodo Gentiumque iure utuntur, solum eius argumenti opus GROTIANVM et adhuc fuerit, et posthac fortasse, dum orbis terrarum erit, sit futurum.

Omnis iunior eius aetas spem perpetuam praebebat futurae illius perfectionis, dictuque incredibile est, quanta is specimina, iam inde a puero, dederit nobilis cuiusdam indolis, excellentis spiritus, diligentiaeque indefessae, quippe qui, a patre, uiro longe literis excultissimo, atque, in tanta de filio spe, nequaquam negligente, ante annum aetatis septimum, traditus Magistris erudiendus, tantopere sub iis profe-

Digitized by Google

cit, ut, ante annum aetatis nonum, iam incipe-, ret pangere uersus, in quibus sic excelluit, ut clarissimorum etiam Criticorum elogia promereretur. In Poesi certe felix, et in primis Epigrammatum elegantia iam tum incomparabilis, admirationi uiris aetate maioribus erat, inde a *Iacobo Gilloto*, Regis Galliae in urbe *Parisiensi* Consiliario, *portentosi iuuenis ingenii* dictus, ob eumque egregium Poetices cultum, ab *Vrbano* VIII, *P.M.*, et nobilissimo *Dan. Heinsio*, *Dominicoque Baudio*, habitus in deliciis, ab *Iano* quoque *Dousa* carmine ornatus exquisito laudumque pleno.

Exarabat, puer adhuc, Tragoediam, *Adamum Exulem*, cum aliis quibusdam Carminibus, quae in opere Poematum non occurrunt, edito *Hagae Comitum*, A.CIↃIↃC, haud indigna tamen ipsa lectu, quod multa in in illis bona reperiantur, et deprehendi in illis succrescens ille profectus possit, tam praematurus quidem, ut ipsum quoque superare sit uisus immortale gentis suae decus, *Danielem Heinsium*, qui, undecimo demum aetatis anno, non exiguo tamen praecocis ingenii argumento, uersus fudit, ut ipse, in eleganti, *de Puero* IESV, Elegia, de se testatur hoc disticho.

Qui nondum undecimum uidi transire Decembrem,
Haec ego, de PVERO, *carmina canto puer.*

A. C.

Digitized by Google

A.C. CIↃIↃ CIV, aetatis uicesimo primo, undecim uersuum Epigramma conficiebat, in *Vrbem Ostendam*, sub imagine cuiusdam urbis, annos iam undecim obsidionem perpessae. Doctissimi quique credebant, hos ab incomparabili uena profectos esse *Iosephi Iusti Scaligeri*, uiri, in hoc genere, prorsus sine exemplo, excellentis. Postremo tamen, cum, approbatione illos et admiratione omnium dignos iudicari, sentiret, autorem sese horum profitebatur uersuum, quorum ea sane uis est, is nitor, ut non possim, quin eos, una cum aliis, alio tamen tempore factis, hoc loco subiungam.

Area parua Ducum, totus quam respicit Orbis,
Celsior una malis, et quam damnare ruinae
Nunc quoque fata timent, alieno in littore resto.
Tertius annus abit, toties mutauimus hostem,
Saeuit hiems pelago, morbisque furentibus aestas,
Et minimum est, quod fecit Iber, crudelior armis,
In nos orta lues, nullum est sine funere funus,
Nec perimit mors una semel. Fortuna, quid haeres?
Qua mercede tenes mixtos in sanguine manes?
Quis tumulos moriens hos occupat, hoste perempto?
Quaeritur et sterili tantum de puluere pugna est.

Hispanis etiam, dubio procul, illa uictoria tanto maioris uenit, et, amissione *Grauiae* atque

Digitized by Google

Sluſae, commoditate portus, inſtrumento claſſico, et habitatorum frequentia, longe praeſtantioris, cum *Oſtenda* capta ſepulcrum magis praeferret mortuorum, horrens tota cadauerum ſemiſepultorum foetore intolerabili, quo correpti, tanquam lue contagioſa, plurimi interibant. Unde Hiſpani, ad eam incolendam, non obaeratos tantum, ſed etiam noxios, commeatu, gratia, priuilegiis ſingularibus, inuitare debuerunt. Permagni ſane facti ſunt ab omnibus hi uerſus, ob praeſtantiam ſuam et uigorem. Miſit eos *Peireſcius*, Gallicis uerſibus, non a *Vario* quodam, ſed ab celebri illo *Franciſco Malherbio*, habito deinceps Gallicae linguae arbitro et poeſeos facile principe, expreſſos, quique res alioqui perpaucas admirari ſolebat, illico, tum ad alios, tum ad ipſum *Scaligerum*, quem Latinorum carminum, arbitrabatur, eſſe autorem. Taceo autem, ut *Scaliger* ad ipſum reſcripſerit, autorem eſſe H. GROTIVM, adoleſcentem lectiſſimum, puellas vero ex Helicone, ſe, ut ſeneſcentem, pridem auerſatas. Verſus Gallici ſic ſe habent.

Trois ans deia paſſés, theatre de la guerre,
I'exerce de ceux chefs les funeſtes combats,
Et fait emerueiller tous les gens de la terre
De uoir, que le malheur ne m'oſe mettre a bas,
A la mercy du ciel en ces niues ie reſte,

Ou

Digitized by Google

Ou ie ſouffre l'hyuer froid a l'extremite
Lorsque l'ete reuient il m'apporte la peſte,
Et la Glaiue eſt le moins etre digne d'enuie,
Que de pouuoir mourir d'une morte ſeulement.
Que tardes uous deſtins, cecy n'eſt pas matiere,
Qu'auec tant de doute il faille decider?
Toute la queſtion n'eſt que d'un cimetiere
Prononces librement, qui les doit poſſeder.

Lamoignonius, primus praeſes, ſicuti uiua erat bibliotheca, perfecteque intelligebat, quid uſquequaque pulcherrimum eſſet, hos uerſus non ſolum tenebat memoria, ſed eoſdem crebro, nec ſine uoluptate ſumma, recitare ſolebat. Quem, cum GROTIVS, inde ab eius iuuentute, tanto niſu, ad uirtutem contendere, uideret, coram *B. Auberio Maurerio* ſponſionem ſaepe fecit, hunc uirum ex iis unum aliquando fore, qui praecipuum regno eſſent ornamentum allaturi.

Vnum addere licebit Epigramma, quamuis A. C. demum CIↃIↃCXXXV, ab eo confectum, ut oſtendam, in Epigrammatum elegantia quam plane fuerit incomparabilis uir ille. Decem illud uerſibus continetur, in quibus agit de lite iſta, *Venetos* inter et *Pontificem Romanum*, de ablata *Friderici I* effigie, uera quippe litis eius, utrinque exortae, cauſa, licet, GROTIO iudice, melius feciſſent *Veneti*, ſi elogium iſtud aeterna obliuione deleuiſſent, prout, Epiſtola IↃXLVII, ad

Digitized by Google

ad *Oxenſtirnam*, Regni Sueciae Cancellarium, A. CIↃIↃCXXXVI, ſcripta, poſtquam ei, quo modo aula Romana, propter ablatam inſcriptionem, lites cum *Venetis* alere coeperit, narrauerat, ita pergit. *Ego, ipſorum Venetorum magis referre, puto, ut pereat memoria, ipſorum manibus oppreſſi, Imperatoris egregii, graui in principes omnes ipſoſque Venetos exemplo.* In extremo Epiſtolae, ueteris aeque, ac recentioris, meminit inſcriptionis, uerbis licet non nihil immutatis, atque, in ſubſequenti Epiſtola, ad *Ludouicum Camerarium*, eodem tempore perſcripta, idem factum, eodem fere uſus iudicio, refert. *Tam malo formidandoque principibus omnibus exemplo, ut mihi optandum, atque etiam, ſi poſſit, magno redimendum, Venetis uideatur, ne qua etiam in libris extet eius facti memoria.* In literis, eodem anno, menſe, die, ad fratrem ſuum miſſis, et appendici, numero CCCLXVI, inſertis, rem lucidius enarrat, Epigramma uenuſtum his adiungens uerbis. *Quidam, nec uetus Alexandri, nec recens Vrbani, factum probans, Fridericique memoriae aequus, hoc Epigramma ſcripſit.*

Imperii ſcutum, Germanae gloria gentis,
Exurge, et noſtras res, Friderice, *uide.*
Tot poſt ſecla, tuos committis, mortuus, hoſtes,
Viuum in te quorum uis ſociata fuit.
Quippe pudet Papam, Venetis debere triumphum,
In-

Digitized by Google

Ingentis meriti nec monumenta manent.
Poenitet ingrato Venetos seruisse Quiriti,
Exemplumque, in te quod statuere, timent.
Nolite in fastum titulo pietatis abuti,
Esse, iubet, Regum libera colla iugo.

Autorem quidem Epigrammatis non indicat, autorem tamen ejus se esse ipsum, confirmat, Epist. CCCLXIX, ad fratrem, ubi dicit, *Gratum sibi fore, si iudicia de illo sint aequa, seque idem, Gallice iam redditum, inspicere optare.* Ei quoque melius illustrando, testimonium affert celebris illius *Pauli Suauis*, ex inedita Epistola quadam. *Vt melius intelligatur uis,* inquit, *Epigrammatis, optimum dabo interpretem Venetum, fratrem* Paulum. *Vidi ipsius autographas ad Senatorem Parisiensis Senatus,* Gillotum, *literas, scriptas d.* XII *Maii,* A. C. CIↃIↃCIX, *in quibus haec sunt, prudenter, ut omnia illius, dicta.*

Si quam libertatem in Italia retinemus, aut usurpamus, totam Franciae debemus. Vos et dominationi resistere docuistis, et illius arcana patefeciſtis. Maiores nostri pro filiis habebantur olim, cum Germania, Anglia et nobilissima alia regna, seruirent, ipsique seruitutis instrumenta fuere. Postquam, excusso iugo, illa ad libertatem aspirarunt, tota uis dominationis in nos conuersa est. Nos ne quidem hisce-

re

Digitized by Google

re ausi fuissemus contra ea, quae maiores nostri probauerant, nisi uos subueniſſetis.

Hoc excerptum, eodem tempore, mittebat GROTIVS *Lud. Camerario*, addens, *hanc partem literarum dignam, quae exſcriberetur, iudicaui, quod ad res temporum Friderici I pertineat.*

Quam celeriter autem artem poeticam aſſecutus eſt, tam cito etiam reliqua humanitatis ſtudia exhauſit, dignus inde iudicatus, qui, ante XII aetatis annum, in Academiam *Lugduno Batauam* mitteretur, ubi non ſolum in Philoſophia, anno aetatis XIV, *Theſes* quasdam, ſed etiam in Matheſi, Theologia, maximeque in Iuris prudentia, tanto cum ardore, tantoque cum fructu, poſuit operam, ut publice aliquoties ex iisdem diſputare non uereretur.

In Theologia uſus eſt Magiſtris, *Vtenbogardo* et *Franciſco Iunio*, ut ipſe fatetur, in [1]) Apologia.

Apud Ioannem Vtenbogardum, *inquit, habitaui adoleſcens per annos aliquot, ſolicitis parentibus meis, ut in Dei cultu educarer. Quam ob rem* Lugduni *quidem apud* Franciſcum Iunium, Hagae *uero apud* Vtenbogardum, *me collocarunt. Gratias illi magnas debeo tum Chriſtianae inſtitutionis, tum, quod uitae exemplo mihi praeluxit. Nec poſtea deſii, tum allocutionibus eius ad populum intereſſe, tum inchoa-*

1) *cap.* XX.

Digitized by Google

choatam amicitiam fouere, mirari ſolitus tum ingenium eius, tum eloquentiam, quae a DEO *eximia acceperat, quorumque nomine, iuxta uirtutes alias, ita placuerat Principi* Mauritio, *ut non tantum in aula et caſtris illo paſtore, ſibi gratiſſimo, uteretur, ſed et priuatis eum rebus ſuis, ut intellexi, uellet admouere, quod ab ipſo comiter excuſatum eſt. Ex ſermonibus factiſque eius nihil aliud comperi, quam, Dogmati* Remonſtrantium *ex animo eum eſſe addictum, ut, quod non tantum diuinis oraculis conſentire, crederet, ſed et ad promouendam pietatem magni eſſe momenti, ſimul tamen paratum, fide optima cum paſtoribus, aliter ſentientibus, fraternam unitatem ſeruare, ferreque eos, et ab eis ferri.*

Sed haec adhuc, intra parietes domeſticos ac ductu praeceptorum, agebantur, iam noſter ſcriptis ſuis in publicum prodire uolebat. Triennio enim *Lugduni Batauorum* commoratus, omnia ſtudiorum genera, quae ſibi propoſuerat, abſoluit, in primis, ductu magni *Scaligeri*, excoluit ibi Philologiae ſtudium, idque tanta felicitate, ut, iam anno aetatis xv, *Ioanne Imperiali*, in Muſeo hiſtorico,[1]) et *Guilielmo Saldeno*,[2]) conſentientibus, egregium *Martiani Capellae* opus, annotationibus ſuis illuſtratum, et ab infinitis emaculatum mendis, emitteret in lucem. Prin-

1) *pag. 203.* 2) *pag. 368.*

Digitized by Google

Principi *Condaeo* primum hunc ingenii sui foetum consecrabat, icone sua quoque praefixa, cum Epigrammate insequenti.

Quem sibi quindenis Astraea sacrauit ab annis,
Talis HVGVEIANVS GROTIVS *ora fero.*

Primum vero innotuit doctis uiris libello suo de *Mari libero*, quem, in gratiam societatis *Indicae*, scripsit ediditque *Lugduni Batau.* CIↃIↃCIX, librum sane admirandum, praesertim, cum iuuenis iam polluerit illa Iuris Philosophia, ne nunc dicam de eximio omnis literaturae humanioris usu, qui in eodem opusculo resplendet. Ea enim quaestio, circa initium superioris seculi, occasione commerciorum *Indicorum*, *Batauos* inter et *Hispanos*, magna contentione fuit disceptata, *An mare possit in alicuius dominium uenire*, siue, *An mare Imperii. uel Dominii, sit capax?* GROTIVS, suppresso nomine suo, librum hunc scripsit, ualde adhuc, ut dixi, iuuenis. Aduocatus etiam Fisci, in eoque, ut etiam in Opere de I. B. et P. [1]) contra *Hispanos*, docuit, *Mare non esse capax imperii, siue dominii, neque sub ratione integri, neque sub praecipuarum ratione partium*, Hispani autem, hoc inter arcana suae dominationis sepositum esse, cupiebant, dictitantes, *Mare esse sub Imperio.* Nec minus contra hunc librum insurrexit ipsius aemulus, *Ioan-*

1) *Lib.* II, *cap.* 2, §. 5.

Digitized by Google

Ioannes Seldenus, in suo Mari clauso, *Londini*, A. CIↃIↃCXXXVI, uulgato, quo uindicare uoluit dominium maris, quod territorium alluit ipsorum, in quibus tamen scriptoribus singulare aliquod apparet studium partium, dum unusquisque patriae suae seruire uoluit, et uel nimium extendere materiam circa imperium dominiumque maris, uel etiam illis plane negare.

Contra *Seldenum* acerrimus GROTII defensor, *Theodorus Grasuinccelius*, Vindicias Maris Liberi exponebat luci, refutatas, anno eodem, ab *Seldeno*, in Vindiciis Maris clausi, *Londini*. Sed, praeterquam, quod clausi maris indicia *Eduardi* temporibus, A. IↃLXXXXV, inuenimus, qui *Hollandis*, *Selandis* et *Frisonibus*, piscatum permisit in mari suo, prope *Iermuthum*, liberum, mediam alii uiam sunt ingressi, ostendere conati, nec liberum esse mare, neque claudi, inter quos ipse quoque GROTIVS ea, quae, in Libro de Mari libero, et opere de I. B. et P.[1] pernegauerat, ea mox, ibidem, seq. § 8, exceptione usus, mitigauit. *Ad hoc exemplum*, inquit, *uidetur et mare occupari potuisse ab eo, qui terras ad latus utrumque possideat, etiamsi aut supra pateat, ut sinus, aut supra et infra, ut fretum, dummodo non ita magna sit pars maris,*

1) *Lib.* II, *cap.* 2, § 3.

Digitized by Google

ut non, cum terris comparata, portio earum uideri possit. Confirmat idem, Epist. IↃCCLXV, ad *Ludou. Camerar.* uerbis seqq. *Nunc et in* Dania, *audio, responderi Seldeno. Puto, non disputatur,* An Mare in ius proprium cuiusquam possit concedere, *sed,* Quanta cuique pars cessura sit? *Forte et* Sueci *in ea positione aliquid reperient sibi utile, ad Balticum, Finnicum, Botnicum, mare uindicandum.* A. C. CIↃIↃXCVIII, aetatis XV, comitatui se associauit illustrissimi uiri, *Ioannis Oldenbarneveldii*, Reipublicae *Hollandicae* Assessoris et F. B. Legati, quippe qui illo tempore legationem ad inuictissimum *Galliae* Regem, *Henricum M.*, susciebat, qua occasione, anno insequenti, CIↃIↃXCIX, aetatis XVI, Iuris utriusque Doctor, magno suo merito, est creatus. *Gallia* enim a puero coepit eum amare, mater illa foecunditate ingeniorum nobilissima, quando, illuc delatus, ab *Henrico M.* gratiae excelsae pignora, aureum nempe torquem, ac uultus regii effigiem, accepit. Paucorum haec sors est, praesertim externorum, qui ad solium, in quod aliunde prouehuntur, ne quidem contueri audent. Sed mentis ignea dos, et uirtus aetate maturior, admirationi singulis erant, qui naturae semina, mox ad frugem peruentura, augurio haud fallaci, cognoscerent.

Cresce-

Digitized by Google

Crescebat in dies ardor, atque hoc magis, quo plures illo familiariter uti cupiebant. Ipse, quoque in conciliandis animis, propensione summorum conseruanda augendaque, praecipuus artifex erat, dum, aperta sententia et procul fuco, sequeretur officium, quod plerique miris artibus exequuntur.

Reuersus e *Gallia* in patriam, cura patris, ueriti, ne amoenioribus studiis irretiretur ipsius animus, ante annum aetatis XVII, ordini Aduocatorum Fisci *Hagae Comitum* ascriptus, causas publicas, magna facundia, nec minore cum applausu, coram aulae *Belgicae* Proceribus, egit, ita tamen, ut ne obliuisceretur humanioris literaturae, per quam *Iano Dousae*, aliisque magni nominis uiris, innotescebat. Hinc, commendatione utriusque Iudicum Consessus et Curatorum, ab *Hollandiae* Conuentu constitutus, et, a Principe *Mauritio* lectus, ad Fisci *Hollandiae*, *Selandiae* et *VVestfrisiae*, aduocationem, ualde licet iuuenis, aetatis quippe suae XXIIII, grauissimum sane in *Belgio* munus, quod non solum rebus ad fiscum proprie spectantibus, sed etiam capitalibus contra maleficos accusationibus, continebatur. Eo in munere tanta prudentia, cura atque integritate, usus est, ut annuum ipsi salarium praeter morem, non solum a Proceri-

Digitized by Google

bus *Hollandiae*, in teſtimonium operae bene nauatae, ſit auctum, ſed etiam ultro locus, in ſuperiore Iudicum Conſeſſu, ſit promiſſus.

Sed, ad altiora natus, et Maiorum, ut apparuit, exemplo, rebus publicis deſtinatus, uacantem per obitum *Eliae Oldenbarneueldii*, qui fratri *Ioanni Oldenbarneueldio*, tunc Procerum *Hollandiae* Aſſeſſori, in hoc munus ſucceſſerat, *Aſſeſſuram*, ut uocant, ciuitatis Roterodamenſis, a Rectoribus eiuſdem urbis, quae, poſt *Amſtelodamum*, plurimum in aerarium publicum confert, oblatam, nullo quidem ambitu ſuo, accepit A. C. CIↃIↃCXIII, aetatis ſuae triceſimo anno. Diuiſerat, iam tum temporis, non plebis tantum, ſed Magiſtratuum etiam Procerumque, animos, orta, ante annos aliquot, de *Praedeſtinatione*, et annexis ei quaeſtionibus, controuerſia, aliis *abſolutam*, ex *Ioannis Caluini*, aliis *conditione ſubnixam*, ex *Eraſmi Caſtalionis*, *Philippi Melanchthonis et aliorum*, ſententia, amplectentibus, fouebaturque, non Clericorum tantum, ſed aliorum quoque hominum, res nouas molientium, artibus, ea diſſenſio, adeo, ut non obſcure pateret, magni aliquid per diſſidia illa tentari, nec minus Reipublicae, quam Eccleſiae, uim intendi. Quibus perpenſis et collatis cum iis, quae, in caſu non abſimili, *Lyceſtrianis* tempori-

Digitized by Google

poribus, agitata erant, oblati sibi ministerii functionem exercere recusauit uir perspicacissimus, nisi sub conditione, ne in potestate Magistratus *Roterodamensis* foret, eum unquam inuitum ab eo remouere. Hac lege initam *Assessuram* sustinens, cum animaduerteret, rempublicam intus concuti a quibusdam, res nouas periculose molientibus, boni ciuis esse, ratus, pro uiribus occurrere, statumque praesentem omnibus commendare, librum edidit de *Antiquitate Reipublicae Batauae*, in quo tamen libro, amore patriae abreptus, eidem plura fere, quam par est, tribuit, ac perperam de antiquo eius statu non pauca admiscuit, dicens, *Statum Batauorum sub Francis fuisse liberum*, quod quam minime uero simile uidetur. *Hollandi* enim tum admodum fuerunt ignobiles, immo, pars ignobilissima *Frisici* regni. Cum enim reliqui essent sub ditione, quid miseri illi tunc *Hollandi* potuissent praestare? Nullum quoque affert huius rei argumentum, ab ipso *Conringio*, [1]) eam ob rem notatus, cui *Monachus* assentitur *Nussienſis*, qui tradit, ex uetustioribus Chronicis, *VVilhelmo*, Comite *Hollandiae*, absque liberis defuncto, praeter directum, quod iam antea competebat, utile dominium Imperio repetitum fuisse. Quod

1) *Operis de Finibus Imperii cap.* XXVIII.

Digitized by Google

enim pronuntiatum est, pertinere ad res ab Imperio, ratione utilis dominii, uindicandas, eius quoque dominium directum, necesse est, tunc penes Imperium fuisse. Verba *Chronici Nuss.* [1]) euidentia sunt, et, propterea, quod instituto seruiunt, hic referenda. *Decretum uero fuit, uacare eum* (Comitatum Hollandiae) *Imperio, quia VVilhelmus, Comes, absque liberis decessisset.* Perspicuae etiam, cur GROTIVS hoc protulerit, sunt causae. Nam, praeterquam, quod is liber fuit scriptus, cum admodum esset iuuenis, amore in patriam flagrans, altera causa in promptu est, uidelicet, ne pristinam mutarent libertatem, ab *Hispanis* uindicatam, sed, ut defenderent eam contra Principis *Mauritii* molitiones. Hanc *Assessuram* tanta diligentia, tantaque fide, exercuit, ut neque legitimi, id est, ueteres, neque noui, magistratus quicquam in officio eius inuenerint, quod carpere possent, aut accusare. Per eam functionem non in Conuentum tantum ordinum *Hollandiae* introductus, sed pars quoque factus est Consessus Curatorum Reipublicae, qui uelut uicariam Ordinum *Hollandiae* potestatem exercent, eorumque et Foederatorum nomine conuentum frequentare solent.

Cum-

1) *pag.* 303.

Digitized by Google

Cumque, aliquot iam ante annis, prò continuandis in *Indiam*, uersus ortum, nauigationibus, librum, huius argumenti iura complexum, deque *Mari Libero* inscriptum, confeciſſet, litibus, *Britannicos* inter et *Belgicos* mercatores, longe maximis, A. CIↃIↃCXIII, exortis, ad eaſdem componendas, a Proceribus *Belgii* ad Potentiſſ. *Britanniarum* Regem miſſus, apud hunc *Batauorum* ius Indici commercii egregie aſſeruit, Regis ipſius, *Iacobi*, ſapientiſſimi ſuo tempore principis, gratiam, et doctiſſimorum quorumque, in hac felici inſula, beneuolentiam, e ſignis haud leuibus, animaduertere ſibi uiſus, occaſionem quoque nactus, eamque exoptatiſſimam, cum celeberrimo *Iſaaco Caſaubono* amicitiam arctiorem contrahendi, quem uirum ante hoc tempus, abſentem abſens, tantopere ſuſpexerat, nondumque aliter, quam per literas, ſalutarat.

Memoratu digna ſunt, quae de nauigationibus VII Prouinciarum GROTIVS narrat, [1]) *Perpetuo Hollandorum in mari eſſe hominum ſeptuaginta millia. Bis mille naues quotannis aedificari.* Atque hoc ſane modo circumfuſum Oceanum uniuerſum, ſinus omnes, portus, inſulas, littora, uel claſſibus ſecuri peruagantur *Belgae*, uel formidine

1) *Annal. Lib.* IV, A. CIↃIↃXCV.

Digitized by Google

continent ac uirtutis ſuae metu. Quicquid alibi terrarum, extra ſolem quoque et lunam, extat, aut emenſi ſunt, aut coloniis iam occuparunt. In Oceano, in glacie, in nubibus, in nocte denique ipſa, extra ſiderum conſpectus, extra limites naturae, uiuunt. Quicquid nix, aut hiems, quicquid inclementia ſolis atque ardor, quicquid ipſa uaſtitas ac ſolitudo, uel ſeruauit ſibi, uel ſepoſuit, acceſſerunt, inuaſerunt, perruperunt. Profecto enim harum incolae regionum, in potentiſſimo illo elemento, tantum ſibi gloriae compararunt, uti non ſatis habuerint, occaſione haud una, ei uelut minitari, idque in ſuam redigere poteſtatem, uerum longe diſſitas quoque regiones ſibi tributarias reddiderint, incoliſque, huius ope operaque elementi, praeſcripſerint leges, et eoſdem, cunctos, ex omni terrarum orbe, theſauros in ſuos inferre portus, coegerint, etiam ex orbe illo, nobis ante ignoto, quam natio haec tam peritos nautas et audaces produceret in uaſtum immenſumque Oceanum illum. Non ſine cauſa, iam olim, haec mente uerſauit *Horatius*, pariterque *Seneca*, tragoedus, illis nimirum hominibus, *Qui primi fragilem truci pelago ratem, ſeque una cum ea, commiſerint, robur et aes triplex circa pectus fuiſſe.* Immo, catus ille *Cato*, inter

Digitized by Google

inter facta ſua ſtulta, quorum continenter ipſum poenituit, hoc etiam retulit, *Iter mari ſe feciſſe illuc, quo terra peruenire potuiſſet.* Sic *Laodamas* ille Homericus, *nihil miſerius eſſe*, ducebat, *quam, uirum cordatum a mari, huc, illuc, iactari*, et ſapientiſſimus *Scytharum* Philoſophus, *Anacharſis*, teſte *Diogene Laertio*, dubitabat, *mortuis ne, an uiuis, annumerare nauigantes in mari deberet.* Contra ea, neque homines defuerunt, ratione ſumma praediti, qui uitam ſuam fragili naui commiſerunt, exemplo *Noae*, et uel huius nationis, aquis unice gaudentis, in qua tantum non omnia ſunt aggeribus hodie piſcinisque circundata, incolis accoliſque ita, ueluti compedibus quibusdam, reuinctis, ut ſedem in ipſis potiſſimum aquis fixiſſe uideantur. Quam rem Epigramma cuiuſdam ſequens uel confirmare poteſt, uel illuſtrare.

Tellurem fecere Dii et ſua littora Belgae,
Immenſaeque patet molis uterque labor.
Dii uacuo ſparſas glomerarunt aethere terras,
Nil tibi quod coeptis poſſet abeſſe ſuis.
At Belgis maria, et terrae, naturaque rerum,
Obſtitit. Obſtantes hi domuere Deos.

Ab itinere ex *Anglia* redux, ſtatum magis magiſque immutatum deprehendebat GROTIVS. Vehementer enim increbeſcebant et multipli-

Digitized by Google

cabantur in dies illa diſſidia, circa diſcrimen capitum doctrinae, quae, in ipſa *Hollandia*, per ſpeciem religionis, ſeſe coeperant inſinuare, et, ex quo tempore Reformatorum ſacra in *Belgium* ſunt introducta, ſemper e Theologis aliqui ſunt reperti, qui cum ſolenni Reformatae Eccleſiae doctrina per omnia non conſentirent, eamque in ſententiam, de *Praedeſtinatione conditionata*, Librum, A. CIↃIↃLIIII, ſcripſit *Clemens Martenſonius*. Ingentes inde excitatas fuiſſe lites, ex inſequenti narratione patebit.

Sub initium Seculi ab N. C. XVI, eluxit *Iacobus Arminius*, Academiae *Lugdunenſis Batauorum* Profeſſor, homo, ineunte quidem aetate, pauperrimus, ingenii tamen animique dotibus excellens, in urbe patria, *Aquis Veteribus*, operas ſeruiles in diuerſorio quodam publico, aduenis praeſtare coactus. Vbi cum mentis animique dotes notae rarioris complures in eo ſeſe exererent, miſericordia hominis miſeri quidam capti, largis eum donarunt muneribus, talique modo ab iſto munere, ſeruitutis ac taedii pleno, liberarunt. Quo facto, literarum ſeſe ſtudiis totum conſecrauit, eaque, Senatu praeſertim *Amſtelodamenſi* praebente ſumptus, feliciter continuauit, prouti *Bateſius*, in uita VValaei, de ipſo memoria prodidit. Idem tam egre-

Digitized by Google

egregiam diuinarum humanarumque rerum notitiam est consecutus, ut, postquam *Lugduni Batauorum, Marpurgi, Geneuae, Basileae, Patauii*, aliisque in locis, eximiae cuiusdam eruditionis opes collegisset, A. C. CIↃIↃLXXXII, ab Senatu *Amstelodamensi* munus ei praeconis diuini conferretur. Singularia eius merita efficiebant, ut, cum *Lugdunensis Batauorum* Academia, morte *Francisci Iunii*, Theologi summi, quem *Scaliger* Theologis ceteris, quotquot post Apostolorum tempora uixerunt, praeferre solebat, iacturam haud uulgarem fecisset, eam per hunc ipsum *Arminium* resarcire niteretur. Et sane, tum eruditione, tum bona institutione, alios ita uir hic praestabat, ut idem ille *Scaliger*[1]) alio, quam insigni, eum testimonio prosequi non posset. *Fridericus Spanhemius*, [2]) hanc ei pariter laudem tribuit, *Virum esse multae doctrinae, mansuetique ingenii.* Et *Batesius*, loco dicto, ait, *Fuisse ipsi ingenium subtile, eruditionem solidam et mores compositos.* Sic *Hornbeccius* confirmat [3]), *Arminium hominem fuisse placidum, neque ad plures, extra metas argumenti huius, opiniones, multo minus ad turbas, propensum. Quaenam Arminii*, dicit[4]) GROTIVS, *super his rebus sententia esset, notum satis erat Amstelodami,*

1) *Vid. Scaligerana.* 2) *Operum Tomo II, fol. 846.*
3) *Controuers. Lib. VIII, p. 576.* 4) *Apol. c. 4, p. 38.*

Digitized by Google

mi, cum iude dimitteretur, in Academiam Lugdunenſem iturus. Neque eo minus Eccleſia Amſtelodamenſis diſcedenti Arminio dedit praeclarum teſtimonium dogmatum et uitae. Latermannus quoque [1]), et *Ioann. Valent. Andreae* [2]), ſcribunt, *Arminium*, ipſos inter acerbiſſimos hoſtes eorumque perſecutiones, incredibili quadam conſtantia, ad finem uſque uitae, perſeueraſſe, errorique *Decreti*, quod uocant, *abſoluti* reclamaſſe, ipſam item aliorum, debacchantium in ipſum claſſicumque canentium, inuidiam maximos quoſque ad eum concurſus, maximamque concitaſſe opinionem.

Hic *Arminius* paulo lenius de *Praedeſtinatione* ſcribere coepit, quam alioqui ſolerent Reformati, ita, ut, tali ratione, ad *Auguſtanae* Confeſſionis ſocios propius accedere uideretur. Etſi uero notus ille *Gomarus* uocationi eius multo uehementiſſime reluctaretur, uetereſque de *Praedeſtinatione* ſententiam defendere modis omnibus ſatageret, eius tamen progreſſus reprimere non ualebat, neque impedire, quo minus, A. C. CIↃIↃCIII, *Arminius* profeſſionis munus obiret. Nullum quidem non lapidem mouebant alii, ut, iam ante, quam hanc inſignem prouinciam capeſſeret, ſuſpectum rederent

1) *Declarat. Apol. §. 15.* 2) *Mythol. Chriſt. Manipulo VI, p. 281.*

Digitized by Google

derent eum uariorum, Reformatae Religioni aduersantium, dogmatum, is tamen identidem purgauit se et expediuit. Ac iam, cum Academica uita, suum simul ad altiores meditationes impetum liberius in dies aperire coepit, ostendens, quantopere ista Reformatorum doctrina, de *Praedestinatione* et aliis quibusdam ei coniunctis capitibus, codici sacro repugnaret. [1]

Occasio quidem dissidii huius ualde memorabilis erat. *Arminius* ad hoc usque tempus, a partibus steterat eorum, qui *Supralapsarii* nominantur. Factum autem deinceps est, ut *Delphis*, ab non nullis fidei sociis, scriptum ederetur, in quo eius loci quidam uiri, contra *Caluinum* et *Bezam*, ad cap. IX Ep. ad Rom. non nihil monuerant, *Infralapsariorum* tamen suorum opiniones tueri conati. Ei scripto ut responderet *Arminius*, misit ad eum *Martinus Lydius*, partim, quod excellentem eius eruditionem cognitam haberet, partim, quod is non ita pridem rediisset *Geneua*, adeoque *Bezae* argumenta optime calleret. Neque uero subterfugiebat hanc operam *Arminius*, suum quondam doctorem eiusque doctrinam uindicare paratus. Sed, dum interiorem doctrinae, de absoluta illa tum Gratia, tum Reprobatione, indolem

1) *conf.* Benthemii *Status Schol. et Eccl. Belg.*, *Parte I, p. 633.*

Digitized by Google

lem ſcrutari contendit, ſcripto illo ita capitur ac retinetur, ut ipſe poſtea, in capitibus v, contra ſuos diſputare inciperet, prouti *P. Bertius* de eo narrat. Hinc, quamuis initio *Supralapſariis* accedebat, ab his tamen ipſis deinceps penitus diſcedebat, et, quamuis continenter, in lectionibus ſuis, peculiares opiniones ſuas inſperſiſſet, publicis tamen ſcriptis explicare haec nolebat, donec tandem a Collega ſuo, *Franciſco Gomaro*, ad id perpelleretur. Hic, ob creditam eius heterodoxiam, acerrime ipſum apud F. B. OO. accuſauit, eoque rem perduxit, ut *Iac. Arminius*, A. C. CIↃIↃCVIII, *Hagam Comitum* euocaretur. Vbi mentem de doctrina ſua plene aperuit, celebreſque iſtos v Articulos perſcripſit atque defendit. Illi referebant, eſſe nihil repertum in iſtis, quibus tranquillitati pacis eccleſiaſticae obeſſe uideretur. Hoc initium fuit eius diſſidii, quod poſtea tot in *Belgio* tumultus excitauit. Quoties enim non oriuntur opiniones doctorum contrariae, et partes faciunt in ſcholis et Eccleſiis, etiam citra iniuriam et praeter ſciſſionem uinculi fraterni, dum quiſque, ſuo confiſus ingenio, ratione ſua debellare conatur alterius rationem? Eo tamen leuitatis proteruitatiſque, ut tunc factum eſt, temere deuenit nemo, ut propterea integrae

integrae famae uirum criminetur conuiciis, opprobriis contaminet, iudicet sine iudicio, condemnet sine iurisdictione, doctrinamque eius sine auctoritate proscribat. Extinctus quidem est *Iac. Arminius*, A. C. CIↃIↃCIX, non tamen eius doctrina. Ossa eius terra obruebantur, at eius nomen, memoria, doctrina, in multorum magnorumque animis hominum uigebant, et, quamuis hi ipsi homines indignissime uexarentur deinceps, nulla tamen uia modoque impediri poterat, quo minus ubiuis magni insurgerent uiri, qui hoc ipsum dogma tuerentur. In his eminebat acutissimus ille Theologus, *Moses Amyraldus*, de quo notum est Distichon,

A Mose ad Mosen par Mosi non fuit ullus,
More, ore et calamo, mirus uterque fuit.

Is, in concionibus scriptisque suis, uniuersalem [1] Dei gratiam defendit, et, *Caluinum* idem docuisse, grauibus argumentis demonstrauit, quam ob causam *Arminianismi* [2] quoque crimine est accusatus, ut ex *Petri Molinaei* [3] oppositis ei scriptis uidere licet. Minime uero putandum est, errorem hunc potissimum ex defectu natum

1) *Praef. Specim. animaduerf. de Gratia uniu., et Ebatillon de la doctrine de Caluin.*

2) Bayle *Diction. hiſtor. Critique, p. 194, art. d' Amyraut et aduis de la doctrine Meſſieurs Amyraut Tenisiard. c. XIIX.*

3) *Elucid. contr. Salmur. ſect. 7, c. 1.*

Digitized by Google

tum esse Scripturae sacrae, singulari DEI reuelantis nutu consignatae, caecamque ac sibi relictam rationem perspiciendo huic errori non fuisse parem, cum etiam diuinus ille *Plato* iam olim rectius senserit, ex Lumine Naturae, non Scripturae, Christiane prorsus, licet homo non Christianus, contra eos, qui tam prauas hodie sententias de his fouere consueuerunt, hunc in modum [1]) locutus.

MALORVM AVTEM ALICVI CAVSAM ESSE IPSVM DEVM, CVM BONVS SIT, REFELLENDVM EST OMNINO, NEQVE PERMITTENDVM, HOC QVENQVAM DICERE IN SVA CIVITATE, SI BONIS INSTITVI LEGIBVS CIVITAS DEBET, NEQVE INSVPER QVENQVAM AVDIRE, SIVE SIT ILLE IVNIOR, SIVE SENIOR, SIVE CARMINIBVS HAEC INSERANTVR, SIVE SOLVTA ORATIONE NARRENTVR, TANQVAM, QVAE NEQVE DICTV SANCTA SINT, NEQVE NOBIS VTILIA, NEQVE INTER SE CONSONA.

Considerandа potius causa uera est erroris huius. Vulgus id facere non poterat, quippe haud capax diiudicandi per se argumentum tanti operis ac momenti, quale erat illud *Liberi Arbitrii*,

1) *de Republ. L. II.*

Digitized by Google

Liberi Arbitrii, Praedeſtinationis, Gratiae DEI et *Irae.* Verbo, ipſi erant uerbi diuini praecones, quorum aliqui *abſolutam* opinionem fouebant *Ioannis Caluini*, alii *conditionatam* opinionem ſequebantur *Eraſmi*, *Melanchthonis* et *aliorum.*

Diſſidentes inter ſe praecones ſacri, alter alterum inſcitiae et haereſeos arguebat, diuiſoque et populo, et ſacro coetu, ſuae quiſque Eccleſiae Miniſtri opinionem ſectabatur. *Gomariſtae*, *Caluinum* ſecuti, aeterna DEI lege fixum, memorabant, cui hominum ſalus deſtinaretur, aut, qui in exitium tenderent. Inde alios ad pietatem trahi, et tractos cuſtodiri, ne elabantur, relinqui alios, communi humanitatis uitio et ſuis criminibus inuolutos. Contra ea, *Arminiani* ſentiebant, integrum Iudicem, ſed eundem optimum Patrem, id reorum feciſſe diſcrimen, ut peccandi pertaeſis, fiduciamque in *Chriſtum* reponentibus, ueniam daret ac uitam, contumacibus poenam, DEOque gratum eſſe, ut omnes reſipiſcant, ac, meliora edocti, meliora retineant, neminem tamen cogi. Accuſabant ſe mutuo, *Gomariſtas* quidem *Arminiani*, quod peccandi cauſas DEO aſcriberent, ac, fati perſuaſione, immobiles tenerent animos, *Gomariſtae* uero pariter culpabant *Arminianos*,

Digitized by Google

nianos, quod largius ipsis Romanensium scitis hominem arrogantia implerent, nec paterentur, soli DEO acceptam ferri rem maximam, bonam mentem. E quibus omnibus nihil aliud consequi poterat, quam, quod, proh dolor, toto die consequi, tristis experientia docet, ut, dum pars altera, tantundem laudis ac meritorum sectae capitique suo detractum, putat, quantum alteri, cum propensionis excessu, tribuitur, in zelum intempestiuum, obtrectationes mutuas, rixas et altercationes, conuicia denique et calumnias, desinat omnis circa ueritatem, e profundo eruendam, disputatio, maximo sane rei sacrae detrimento, temporisque pessime collocati irreparabili prorsus iactura. Hae opiniones tanta pertinacia, tantoque ardore, utrinque agitabantur, ut eo tempore *Tilenus*, celebris *Arminianus*, *Aurimontanus* e *Silesiis*, ob id dogma post a Ministris Ecclesiae *Sedanensis* expulsus, tandemque, grandi iam natu, *Lutetiae Parisiorum* mortuus, confirmaret, seu *Turca*, seu *Hugonota*, fieri cogeretur, opinionem sese *Mahometi*, quam *Caluini*, malle amplecti, causam interserens, *Turcas* credere in DEVM, *Caluinianos* non item, idque propterea, quod agnoscerent illi, DEVM infinita quadam gratia misericordiaque praeditum esse.

Tur-

Digitized by Google

Turcas igitur naturam DEI talem agnoscere, *Gomaristas* immisericordem inclementemque sibi ex eo fingere DEVM, qui conditos ab se damnet, libens, uolens.

Immo, diffidia, motuum plena, factiosaeque dissensiones, a Praeconibus sacris in ipsum penetrauerant uulgus, turbauerantque scholas, suggesta, ad Ecclesias tantum non penitus pessundandas. Quae ab Sacerdotum uno, in matutinis sacris, e suggesto erant prolata, in pomeridianis ab altero, alteriusque fautore opinionis, in eodem suggesto, refutabantur. Charitatem, praecipuam utique Christianismi partem, negligebant penitus, et, cum populum in pietate uera atque ex ipso DEI uerbo, unius pacis nuntio, et a mitibus bonaeque mentis hominibus facile capiendo, instituere deberent, spinosis tempus terebant quaestionibus, supra captum positis uulgi, tanta utrinque usi uehementia, omnem ut ingenii sui uim, omnemque eruditionis apparatum, conferrent ad partem contrariam ludibrio exponendam, pluresque uerborum iniurias, quam ueras rerum causas, ultro citroque, proferre uiderentur. Classicum praeparatur hic, ad arma canitur, de religione bellum, minime tamen aut bellum, aut religiosum, inter gentes consanguineas,

Digitized by Google

eandem confeſſas fidem, potentiſſimas, in una eademque republica degentes, et *Bataviae* tantum non principes, conflatur in cauſa *Praedeſtinationis*. Ex parte una *Gomariſtae*, *Arminiani* ex altera, occurrunt, cladem funeſtiſſimam minitantur, mutua ad arma ruunt pectora *Batauorum*. Laetiſſimis haec et oculis, et auribus, excipiunt Sacerdotes. Hi enim Praecones, uel omnium potius diſſidiorum faces, roſtra conſcendentes ſacra, loco uerbi diuini, nihil crepabant aliud, quam plauſtra conuiciorum, ad committendos utrinque animos comparatorum, atque, eructata Iliade quadam omnis generis dirarum, mentes animosque auditorum ad diſſidia mutua, exemplo peſſimo, inflammabant. Nunquam igitur e ſacro coetu dimittebantur, niſi a Praeconibus praeparati, ad ea manibus pedibuſque exequenda, quibus aegre facerent iis, quos a religionis ſuae ſententiis diſcrepare, eſſent perſuaſi.

Lis haec, magis in dies magiſque creſcens, in toto *F. Belgio*, et artibus ſacerdotum aliorumque, et innumerabilibus, ab utraque parte, editis ſparſiſque ſcriptis, ad animos diſſidentium exacerbandos comparatis, tantas egit radices, ut, ad res nouas & rerum commutationes tantum non omnia ſpectare, ac, per haec diſſidia, res

Digitized by Google

res magnae molis, et cum Reipublicae pariter, atque Ecclesiae, periculo coniunctas, concinnari, clare perspiceretur. Dissidia enim populi ad ipsos etiam Magistratus serpebant. Ac Supremi quidem *F. Belgii*, plus semel congressi, has confusiones, in omnibus passim oppidis, irrepentes in dies et occurrentes, remouere nitebantur, *Oldenbarneueldii* quoque haec erat sententia, ad omnes Professores et Ecclesiastas Mandatum esse mittendum, ne quis amplius, de *Electione ad Gratiam, aut Iram*, siue in Academiis, siue sacris e suggestis, faceret uerba. Porro typographis una esse interdicendum, contendebat *Oldenbarneueldius*, ne ullus argumenti huius liber in prelo posterum subiiceretur, ut Clerici fraterne inter se reconciliarentur, dissidiisque suis Ecclesiam ne offenderent, quod sublimior haec sit doctrina, quam, ut in captum uulgi cadere possit. Tali modo patriae pacem et tranquillitatem breui redditum iri. Plus satis argumenti suppetere Ecclesiastis, in animis hominum consolandis, instituendis, exhortandis, tam in praeceptis diuinis, per Christianarum exercitia uirtutum, ad usum transferendis, quam in explanandis V. ac N. Testamenti Oraculis, hominumque animis ad quietem et amorem reducendis. Tunc temporis

Digitized by Google

multi prudentiorum iudicarunt, litem, de recenſitis hiſce dogmatum capitibus motam, praeſertim uero de *Praedeſtinatione*, nullius indigere tumultus. Hinc Theologus quidam *Lugdunenſis B.*, adhuc A. C. CIↃIↃXVII, alloquebatur his uerbis Academiae Ciues. *Imploro Vos, per Dominum Saluatorem noſtrum*, Ieſum Chriſtum, *ut ab inquieta quorundam* Proteſtantium *concertatione uos retrahatis, et omne tempus, omnemque diligentiam, ad tranquillam adhibeatis conſiderationem. Quamuis enim, literas de his V Capitibus perlegere, prohibitum non ſit, facta tamen eorum et acta approbare non poſſum, praeſertim, cum in hiſce tantummodo ſcrutari, materias uero magni ponderis ſuſque deque habere, ſoleant.* Immo, quidam *Reformatus*, de hoc argumento, tempore alio, ſic ſcribebat. *Optandum eſſet, ut* Belgae, *cum* Paulo, *in bonis operibus, omnem cogitationem et curam in uitam aeternam ac ſalutem figerent atque locarent, ac ideo uocationem ac electionem eo melius ſolidarent. Si enim hoc facerent, minime caderent. Hic enim eſt ictus morſus ſerpentis, ſi quis de electione quidem, non uero de ſubſidio ſalutis aeternae, ſolicitus eſt.* Tale interdictum exiit, ſeculo XVI, in *Italia*, ſuperiore autem ſeculo, in *Gallia*. De priori enim tempore

pere fic refert *Becmanus*, narrante Voetio. *Recte fecerunt Cardinales, a* Paulo IV *electi, qui, in ſcholis* Italiae, *praeſumptam illam, in praeiudicium S. Scripturae et fidei Chriſtianae, philoſophandi libertatem compeſci, voluerunt.* Nec in hoc errauit *Concilium Lateranenſe*, ſub *Leone X*, quod, inſtitutas, contra animae immortalitatem, diſputationes prohibuit, nec *Clementina unica*, de Trinitate, quae dicit, *Haereticos eſſe cenſendos, qui pertinaciter teneant, Animam rationalem non eſſe formam hominis*, nec denique *Congregatio Cardinalium*, quae decreto inhibuit iſtam inualeſcentem, de ſolis quiete et terrae rotatione, ſententiam. Ipſe Rex *Angliae*, eo tempore commonuit in literis, *Diſputationes de his rebus multo ſubtiliores altioreſque eſſe, quam, ut publice, in ſuggeſto, aut alias, coram populo, tractari poſſent.* Eiusdem huius opinionis erat *Oldenbarneueldius*, qui ſubiungebat, *Praedeſtinationis argumentum difficultatis obſcuritatisque plenum eſſe, eoque maximis Theologis et Doctoribus, immo, Angelis ipſis, negotium, in his penetrandis, faceſſi. Non conſultum eſt, exclamat* Beza, *in Montiſbeligardenſi colloquio, coram hominibus de* Praedeſtinationis *Articulo conferre, ne forte plures offendantur, quam erudiantur, qui illam capere non poſſunt.*

Digitized by Google

Et, iam ante hunc, ipse *Caluinus* ait, Praedestinationem *Dei esse uera labyrinthum, unde hominis ingenium nullo modo se explicare possit.* Sapiens hoc prudensque *Oldenbarneueldii* consilium Rex ipse *Galliarum* imitabatur. Is enim, cum animaduerteret, fore, ut consimilibus regnum suum dissidiis turbaretur, et in periculosum dissidium, disputationibus aliisque scriptis *Ignatiani* Ordinis Sociorum, eorum item, qui se *Ianseniſtas* nominabant, incideret, perpetuum scripturientibus silentium imposuit, quae res animos, infinita scriptorum multitudine, utrinque editorum, et ad contumeliam potius alterutrius partis, quam ad Institutionem, spectantium, repressit, turbisque adeo et distractioni uiam obstruxit. Vnde plerisque haud displicent uerba *Bodini*, [1] ubi, disputationibus theologicis religionum interitum ac rerumpublicarum euersionem ascribit, et propterea, sanctissimis principum legibus illas prohibendas esse, contendit.

Interea, cum ab rixosis *Gomariſtis Arminii* Sectatores magis magisque infestarentur, hi, A. C. CIↃIↃCX, libellum supplicem, *Remonſtrantiae* titulo inscriptum, Ordinibus F. B. offerendum, curarunt, in quo flagitabant, ut *Confeſſio*

1) *de Rep. L.* IV, c. 7, p. 482.

Digitized by Google

fessio Belgica, *Catecheſis* item *Heidelbergenſis*, accuratius examinaretur, ſua ſibi, de ſuis v articulis, ſententia relinqueretur libera, ipſique interim in tutelam reciperentur. Contra ea, pleni aemulationis, *Gomariſtae* non quieſcebant prius, quam ſcriptum huic aliud opponerent, quod *Contraremonſtrantiam* appellabant, ex eoque tempore, ſectatores *Arminii*, *Remonſtrantes*, aſſeclae uero *Gomariſtae*, *Contraremonſtrantes*, uocabantur. Ac F. quidem B. Ordines decernebant, ut et *Gomariſtae* tolerarentur, et *Arminiani*, quod *Oldenbarneueldio* poſtmodum uel maxime uitio uertebatur, quaſi, prout dictitabant, *Arminianiſmum* tolerando, *Papiſmum* introducere, molitus eſſet. Contra haec denuo naſcebantur lites, *Arminianis* defendentibus hoc Decretum, impugnantibus autem *Gomariſtis*. *Sibrandus* enim *Lubbertus*, Theologiae Profeſſor, aduerſus id ſcribebat, confirmans, ab Ordinibus *Hollandiae* non errores, ſed haereſes, in Eccleſiam induci, quod tamen crimen a GROTIO, in libro, de *Pietate Ordinum Hollandiae*, redarguebatur. Cum uero *Lubbertus* hanc Pietatem nouo ſcripto aggrederetur, rurſus eundem refutauit GROTIVS in libro, qui Tomo III Theol. eius Opp. extat, inſcriptus, *Bona Fides Sibrandi*. Neque

Digitized by Google

Lubbertus solus huic sese *Pietati* opposuit, sed idem fecit *Joannes Bogermannus*, in Annotationibus ad Pietatem Ordinum Hollandiae, editis *Amstelodami*, CIↃIↃCXIV. Cui cum GROTIVS, in *Pietate Vindicata*, responderet, *Bogermannus* rursus, tecto licet nomine, A.CIↃIↃCXVIII, *Leidae*, aliam Refutationem, ad GROTII responsionem, emittebat, talique ratione aderat iam lignum illud, ex quo nouus ille haereticus Mercurius, GROTIVM puta, fingeretur, cuius haereses, ex ipsorum opinionis errore, paulo infra patebunt. Cum igitur prudenti huic Mandato, ab Ordinibus F. B., ad compescendas prauas eiusmodi turbas, edito, mos geri debuisset, *Amstelodami* et aliis *F. Belgii* locis, aliae religiones, cum ipsorum fidei capitibus, immo, cum ipsa Christi Doctrina, pugnantes, iam tum tolerarentur, aliquibus tamen ex Ordine Sacro Viris, qui gladio tunc oris sui nihil non perimere anhelabant, prudentia theologica, tantopere quidem necessaria, deerat, cum rationem oporteret respicere et considerare obsequam, defecatam, illustratam, correctam, directam et adiutam, quomodo illa se gerat circa sacra. Ratio enim et mens humana hoc filo Ariadinaeo, si ita loqui fas est, in re tam sancta et ardua, uiae huic regiae uni, soli et semper, in-

Digitized by Google

insistere debebat, si errare noluisset. Tali ratione miscebantur bona malis, aliique cum aliis exagitabantur. Exacerbatis enim semel inter se animis, huc, illuc, rapiuntur in contrariam partem affectus rabiosi, ex quibus pernicioſissimum deriuabatur in eos uitium, ut, ad Reipublicae postea negotia transducti, nihil admittant, nisi, quo semel ipsorum sit imbutum cerebrum, utque a concepta semel opinione, quamuis perplexa et erronea, nullis omnino rationibus se abduci, sinant. Quo mentis uitio nullum esse, in omnibus uitae negotiis, pestilentius, abunde historiae testantur. Id quod hic etiam euenit. Orthodoxi enim, qui *Gomaristarum* sese nomine ab aliis distinguebant, tota conuiciorum plaustra in hos effundebant, his neque ipsis tacentibus, infaustumque hoc bellum, in quo uerba et calami pro gladiis erant, non sine maximo Christianae Religionis dedecore, et cum aduersariorum gaudio summo, gestum est.

Memoratu digna sunt verba, quibus, dum *Galliae* regnum ipso ciuium suorum cruore maderet, profundoque ueluti lethargo immersum, uiolentas sibi manus inferret, externisque gentibus ferme cederet in praedam, in illo, cum *Hugonottis*, A. C. CIↃIↃLXI, *Poissitii*, habito colloquio,

Digitized by Google

loquio, usus fuit Cancellarius Galliae, *Mich. Hospitalius, Non tam infensos Protestantibus esse debere Pontificios, fratres quippe fratribus, uno eodemque sacri fontis lauacro regenitos, unum eundemque adorantes* Christum, ut legitur relatum a Thuano.[1]) Hi, e contrario, uniuersalem quandam, et unione insuper confirmatam, fidei basin urgebant. *Opiniones* Arminii *singulares*, inquit GROTIVS, libro de Ordinum *Hollandiae* et *VVestfrisiae* pietate, *iam ante initam ab eo professionem, fuisse notas, et, postquam fama innotuisset, Professores Leidenses ualde inter se dissentire, nominatim* Arminium, Gomarum, Trelcatium, *et* Cuchlinum, *manu sua testatos esse, se in fundamento fidei conuenire.* Quem ad modum ipsi etiam *Reformati* minime initio dogmati huic accesserunt, et celebris ille *Iosephus Hallus*, in Synodo *Dordracensi*, diserte contrarium testatus est, ita monens, in Oratione sua. *Sumus omnino Fratres et Collegae. Quid nobis cum famoso titulo* Remonstrantium, Contra-Remonstrantium, Caluinianorum *et* Arminianorum? *Simus Christiani et concordantes. Sumus unum corpus, simus ergo etiam unanimi, oportet.*

Nihilo tamen secius plus satis crudeles sese gerebant erga illos, qui eandem fidem, idemque

1) *Hist. Lib.* LXXVIII, *pag.* 572.

Digitized by Google

que fidei fundamentum, tenebant. Illud quoque uel maxime erat insolens, ac minime Christianum, quod isti Clerici hos *Arminianos* tolerare nolebant, adeoque aperiebant, eius sese spiritus esse liberos, quibus perpetuum sit cum Spiritu S. certamen. Ne bellua quidem belluam persequitur, et inuadit, nisi extrema cognita necessitate, at Christianis nimium quantum uolupe est, si mutuo sese persequi possunt, imitatores sese CHRISTI et Apostolorum professi, cum tamen CHRISTVS dicat, *Diligite inimicos uestros et uos mutuo, in quo cognoscetur, uos discipulos esse meos.* Cui praecepto, cum morem non gerant, neque discipuli sunt CHRISTI, neque CHRISTI imitatores. Omnem fortasse haereticorum seriem ignoraret mundus, si illi, qui, statim post Apostolorum tempora, coetibus erant praefecti, una cum successoribus, qui nomen sibi Clericorum * de facto asciuerant, commendatam ita sancte charitatem Christianam

* *De Origine huius Vocis* Rigaltius, *in notis ad* III *Cypriani Epist., disquirit, eo respiciens, ut, totius Christianae plebis communem fuisse* Cleri *appellationem, ministrorum deinde sacrorum ambitu, propriam esse factam, haud abnuat. Quam sententiam doctissimus* Henricus Dodvvellus, *diss. Cyprian. cap. 1, copiose examinat. Perinde notum est,* Cleticum *a κλῆρος, quod* Suidae *est σύγημα τῶν διακόνων καὶ πρεσβυτέρων, derivari.*

Digitized by Google

ſtianam, prudentiamque in rebus ſacris, circumſpectius adhibuiſſent, neque illos, qui, ad uoluntatem ipſorum, frena ſibi iniici, recuſabant, nomen impoſuiſſent haereticorum, quo nomine exoſo notabant illos Clerici, qui credere nolebant omnia, quae hominibus obtrudere ipſi conabantur. Inſequenti tempore certa quoque nomina ſunt ipſis indita, perinde, ac ſi horum diſcrimen ad fidei fundamentum requireretur, aut alia ex his appellationibus maioris, quam altera, apud DEVM eſſet dignationis. Num hac in re multum obiicere poſſimus utriſque, aut, utra pars, hac in parte, alteri parti herbam porrigere cogatur, id uero perquirere iam, ſuperſedeo, ſaltem hoc negandum non eſſe, aio, cum gentes, extra DEI coetum conſtitutae, religionis cauſa, mutuis ſeſe odiis ad mortem uſque perſecutae non fuerint, Chriſtianos, hac ipſa de cauſa, inde a ſeculo tertio, quartoue, mutuis ſeſe, et ad mortem uſque implacabilibus, odiis fuiſſe proſecutos, praecipuumque diuini cultus momentum, errore opinionis, in perſecutione collocaſſe, ab *Caroli* quoque *M.* temporibus, ad Reformationis uſque tempus, perſuaſiſſimum hoc ipſis fuiſſe, omnino licere Chriſtianis, perſequi ſeu incredulos, ſeu diſſentientes, etiamſi ab ipſis nequaquam fuerint laeſi,

Digitized by Google

ſi, animumque alios in uiam reducendi iam plus ſatis iuſtam eſſe cauſam. Latiſſimus hic nobis ſe panderet campus dicendi de hac iniuſta perſecutione, ſed ueterum libri iam pleni ſunt de hiſce, pulchris ſcilicet et egregiis, facinoribus, nec ſeculum noſtrum pauciora nobis ſuppeditat exempla. Scrutare *Germaniam*, ſi placet, et edocebit abunde, quantum ipſa detrimenti fecerit. Sane, ſi fateri uolumus, quod res eſt, nec blandiri nobis, haec atrox et peſtilens lues *Europae* ipſi intulit cladem, ipſiſque daemonibus ueluti ſacrificium obtulit, ac tantum Chriſtiani exhauſit cruoris, uix ut plura gladiatorum paria olim *Romanorum* arena conſpexerit. *Vſu* quoque et fama populari inualuit inſania haec inueterata, quoniam illi uitio ex uirtute, ſed corrupta, fuit ſemen. Nolo accumulare, quae Iure conſulti, et Politici, quae Theologi item, de hoc malo ſcripſerunt, de quo infra dicendum nobis erit. Id unum dicimus, ab hoc religionis zelo ſublatam prope memoriam fuiſſe religionis. Ab hoc zelo, reor, ſaepe totius Reipublicae ſpem efferri, quatenus uiri, feminae, pueri, iuuenes, ſenes, dum ab ore interpretis ſacri pendent, non a *Turcarum*, aliorumue *Barbarorum*, caterua, ſed ab eis, qui etiam ipſi nomen CHRISTO dederant, multis uulneribus,

ribus, inermes ab armatis, repente sunt confossi. Quoties totae sunt excisae stirpes, quotiesque emeritorum patrum senium, aut ignaram miserae prolis pueritiam, furia haec orbauit? Ecquis autem adeo humanitatem omnem exuerit, ut hunc zelum falsum, qui primum incendii ciuilium bellorum suscitabulum fuit, sine suspiriis ac gemitibus audiat? Nec ullus tamen apparet tantorum finis malorum. Latius in dies serpit haec gangraena, et, nisi animam agenti patriae, uelut ex machina, DEVS superuenerit, maiorem dabit contagionem, plurimorumque ardorem, ut inflammatione quadam, corripiet, omniaque *Europae* membra sacer-hic ignis peruagabitur, perduraturus tam diu, quam diu plena erroris, falsitatisque et iniquitatis, opinio, de zelo pro DEI honore, qui modum profecto longe alium defendendi requirit, dominabitur in animis et insidebit.

Haec *Gomaristarum* impugnatio Decreti, de tolerandis *Arminianis*, Ordines F. B. permouebat, ut in ipsas illud classes mitterent, cum hoc Mandato, sacerdotes ut huic obtemperarent. At hoc plerisque displicebat, multi quoque se ab *Arminianis* disiungebant penitus, sua, sibi suisque solis sacra reseruantes. Complu-

res

Digitized by Google

res *Batauorum* urbes, in primis *Amſtelodamum*, ubi *Gomariſtae* habitabant longe pertinaciſſimi, aperte reſiſtebant. Cum autem potentiſſimae huius urbis exemplum permagni eſſet momenti, celebris ille GROTIVS, Roterodamenſis eo tempore Syndicus, illuc mittebatur, quo facundia ſua mentes eorum animosque alio transferret,[1]) ſed fruſtra. Synodo enim Nationis inhaerebant, cuius ante omnia Decretum praeſtolari uolebant. *Amſtelodami*, hoc ipſo Anno CIↃIↃCXVII, plebs horrendum et exitiale exemplum praebuit. An ibi ſecuti ſunt certiſſimam naturalis aequitatis Regulam, *Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris?* Nihil minus. Nam, tantum, cum ſuſpicio inſediſſet *Remonſtrantium*, coetum haberi in domo *Remi Epiſcopii*, qui ciuis erat notiſſimae probitatis, fex ipſa uulgi, quo impulſu, ſcit DEVS, nec homines quidam ignorant, furore quodam incredibili, clara luce, inuolauerunt domum ac diripuerunt, inaudito antea per *Hollandiam* exemplo, non impedientibus illis, quorum ad officium id ſpectabat, ſed, contra, aduentum ſuum differentibus, donec barbaricum iſtud ſatellitium conata impleſſet. Neque ue-

1) *V. Oratio, ab* H. GROTIO *uernacule habita in Senatu* Amſtelod. IX *Cal. Maias, 1616, de recta mente Ordinum in conſeruanda uera Religione reformata.*

Digitized by Google

ro de tanto ſcelere, quod ad ſummam oppidi *Amſtelodami* et Patriae infamiam ſpectabat, ius dictum eſt. Pauci de tanto numero capti ſunt et dimiſſi. Dominica inſequente faciebant idem, alteraſque aedes, in quibus conuenerant *Arminiani*, penitus exſpoliabant, ut, armata manu, ſeueroque Mandato, pacem imperare Magiſtratus cogeretur. In his anguſtiis, quid agerent, aut, quo ſe uerterent, *Remonſtrantes* fere neſciebant. Familiae numero mille ac ducentae, immo, plures, *Delphos* concedebant, et, ab Eccleſia ibi *Lutherana* excipi, ſatagebant, ea tamen conditione, ne, in S. Coenae uſu, hoſtiae, ſeu orbiculi iſti, uerum ſolennis ille piſtuſque panis, qualem CHRISTVS ipſe Diſcipulis olim ſuis praebuerit, frangeretur ipſis ac porrigeretur. Re deliberata, geſtus eſt eis mos, unde illa *Delphis* Eccleſia, hoc pacto, confirmata non parum eſt, adeo, ut hodieque, in Euangelicorum ibi coetu, panis non alius ad S. Coenam accedentibus praebeatur.

Batauiae quidem *VVeſtfriſiaeque* OO. egregiam ediderant *Expoſitionem*, ſpe ducti, animos ea mitigari et ad concordiam poſſe reduci, uerum *Expoſitio* haec parum efficiebat, quoniam *Batauiae VVeſtfriſiaeque* OO., cum autoribus Conſilii huius ſui, penſionario *Oldenbarneueldio*, et

Digitized by Google

et HVGONE GROTIO, ipsorum opinione, plane iam suspecti erant, sic, ut, quae ab ipsis proficiscerentur, *Gomaristae* omnia ducerent esse reiicienda, unde ad extrema quaeque et tristem rerum faciem haec ruebant. Collidebantur inter se Christiani, et illi ferales sibi sicas intentabant, qui plus quam fraterni foederis copula non ita pridem inter se obstricti erant, et, quorum auxiliatrices manus erant osculati quondam, earum saeuitiem iam ac barbariem detestabantur. Exorta enim factione, alterum alter odio Vatiniano prosequebatur, alter alteri fraternae charitatis officia denegabat, et, in communione persistere, detrectabat, in qua tamen, salua ueritate diuina, et illaesa conscientia, tuto permanere potuisset. Neque his contenta erat haec malorum progenies, uerum latius serpebat, bruta fulmina euibrabat, haereses exitiosas fingebat, diras poenas ipsumque orcum annuntiabat alteri parti, caeco quippe odio abrepta, licet illa, *excommunicationem* passa, parata semper existeret ad uinculum unionis et pacis recipiendum, nullo odio fraterno, sed uera potius φιλαδελφία, flagrans. Ita, quod hi pacem, illi seruitium, libertatem illi, hi rerum perturbationem, uocabant. Omnibus in locis cernere licebat, sacrificum panes sacros,

Digitized by Google

ore bilis pleno, deglutire, manibusque a cruore sacrifico repurgatis, eundem cultrum, quo in sacrificio fuerat usus, in pectus adigere fratris sui. Aduersus aduenam insurgit Leuita, surripiens ei panem, tunicam uero Leuitae, sine misericordia, dilacerat aduena. Calamis opponuntur calami, acutisque res geritur ferris, et ubique itur ad arma. Sacerdos incensus est contra sacerdotem, templaque iis resonant corruptelis, quae uulgo ipsi exprimant ruborem. In ueritatis cathedram infertur furor, quibusdam eo progressis audaciae, ut classicum ibi canant, ubi laetum pacis nuntium debent annuntiare. Ab oriente solis parte Alexandrinus Patriarcha, *Cyrillus*, commercium habebat literarum cum *Ioanne Vtenbogardo*, Ecclesiaste *Hagae Comitum*, eoque *Remonstrante*, quo pacto, in regionibus etiam *Orientis*, illae, ob *Arminianam* Controuersiam concitatae, turbae percrebescebant. Ponderis haud leuis illa uerba sunt, quae, ex Epistola quadam *Cyrilli*, A. CIↃIↃCXII perscripta, profert D. *Kortholtus*. [1] *Videntur aliqui exprobare Ecclesiae* orientali τὴν ἀμάθειαν, *quod uidelicet inde literarum studia et Philosophia in alias partes migrauerint. Sed certe, ob hoc, quod nunc* ἀμαθὴς *sit* Oriens, *ualde beatus reputari potest, quia non nouit, quaenam sint*

1) *Hist. Eccl. L. IV cap. 1 sect. 1.*

Digitized by Google

sint pestiferae illae Quaestiones, quae, hoc tempore, hominum inficiunt aures. Sicut autem Religionum conuersiones fere cum damno periculoque sunt coniunctae, in iisque paucae reperiuntur, aut fortassis nullae, quae ex uero conscientiae sint impulsu profectae, ut re ipsa de sublesta Fidei suae fide homines conuicti fuerint, ita, in plerisque omnibus, temporarium aliquod compendium, aliaeue causae praeualuerint profanae. Haud dubie quoque mutationes Religionum cunctae fuissent omissae, si primam antiquissimamque illam sinceritatem religio Christiana retinuisset. Ex quo autem isti respectus humani, superbia, auaritia, ambitio, in res fidei se coeperunt insinuare, multa monstra, praesertim, si regnantis Principis interuenit compendium quoddam temporarium, parturierunt. Est enim Religio pileus, omnium Statuum capitibus aptissimus, quo imposito, illaudabile alias desiderium belligerandi et ditiones amplificandi aptissime tegitur, contra, species sanctae pietatis et religiosi zeli omnium oculis commodissime sistitur, cum tamen saepe *nihil* minus cogitet Princeps, quam Religionis propagationem, sed ipsi potius, sub pileo religionis, bellicosum et insatiabile caput abdere, libeat. Hinc fit, ut, hac externa satisque

Digitized by Google

ſpecioſa Religionis larua ſuperinducta, etiam illegitimo bello ſacrum nomen imponatur, et ubique copiae auxiliatrices acquirantur. Non autem facile defuturus eſt Princeps, qui exoptatam hanc e ueſtigio non arripiat occaſionem. Ex ueteribus talem occaſionem, ſub praetextu defendendi religionem, alterius uero regionem anhelandi, optimam et ſucceſſu felicem iudicauit *Philippus*, *Macedonum* Rex, magnus magni illius *Alexandri* pater. Cum enim *Phocenſes*, Duce *Philomelo*, *Apollinis Delphici* delubrum diripuiſſent, *Philippus*, a *Thebanis* rogatus, bellum *Phocenſibus*, tanquam iniuriam, Deo illatam, uindicaturus, denuntiat, immo, quaſi ſacrilegii eſſet ultor, omnes milites laureis cingi, iuſſit, atque ita, ueluti Deo duce, in proelium uenit. Neque uero hanc religionem uindicandi occaſionem infelix eluſit euentus. Nam *Phocenſes*, laurum, inſigne *Apollinis*, conſpicientes, territi, fugiendo terga obuerterunt, *Philippus* autem hoc modo eorum dominus eſt factus. Cum ergo *Philippus*, ſub ſpecie religionis, maxima cum gloria et commodo, bellum hoc finiuerit, alii, hoc exemplo edocti, oblatam hanc occaſionem auidis manibus arripuerunt, de quibus recentiores politici teſtantur, hodiernis etiam temporibus, *Philippi*

Digitized by Google

lippi assectas, et sub pallio uindicandae Religionis cubantes, passim inueniri Principes, qui sub hoc tegmine religiosi praetextus latitare solent. Vt enim nunquam defuturi mundo sunt bellaces, aliorumque inhiantes regionibus, ita nunquam talem occasionem, suo proposito aptam, quanquam non semper aeque successu felicem, praeteruolare patientur.

In *Belgio* quoque haec omnia se spectanda praebuerunt. Ab Sacerdotibus, ab Ecclesiis, a Magistratu, iam ad OO. *Hollandiae*, ueros illos atque summos Reipublicae Rectores, dissidia haec peruenerant, ab Ordinibus ad *Mauritium*, Principem Auriacum, Principis *Guilielmi* filium, et in illa *Praefectura* successorem, qui, simul atque huiusmodi, in capite cultus diuini, dissidia peruenerunt ad eius aures, harum cognitionem rerum sui esse arbitrii, negauit statim, dicens, ad suos cuiusque Prouinciae Ordines spectare. *Auberius* certe *Maurerius* asseuerat, saepius ex patre suo se audiuisse, Principem *Mauritium*, et assectas eius, has nouas in Religione opiniones curasse tam parum, earumque discrimen ita susque deque habuisse, ut, si *Oldenbarneueldii* mens fuisset, *Arminianos* proscribere, *Gomaristarum* uero uiolentam opinionem illam arripere, Princeps *Mauritius* certissime

Digitized by Google

opinionem arrepturus fuisset *Oldenbarneueldii*, quam tamen damnabat, quamque mente non alia arripuerat, quam, ut obsisteret ipsi, populum disiungeret, factionemque efficeret suae partis. A Principe *Mauritio* harum ordo rerum ad *Delegatos F. B.* perueniebat, quibus iam plus semel fuerat demonstratum, ius peculiare ipsis in ciues Prouinciarum competere nullum, argumentis quidem ita claris, ut, ab eo tempore, se nemo quisquam opponere sit ausus. Induciae tamen, quae per tempus illud, *Hispanos* inter ac *Belgas*, agitabantur, priuatumque Principis *Auriaci* compendium, fomitem quasi et oleum praebebant glisceti huic igni, et faciebant, ut magis magisque Princeps reluctaretur.

Quoniam enim *Belgae*, qui desciuerant a *Philippo II*, Hispaniarum rege, bellum permolestum annorumque circiter quadraginta, sibi conscisuerant, factum est, uictoria licet in *Belgas* potissimum inclinante, ut, tanta, tamque diuturna, et regionum, et urbium, uastatione, atque horrenda illa sanguinis Christiani iactura, odium belli pariter, ac pacis desiderium, utrinque nasceretur. Ac Pax quidem ipsa nequaquam serio exoptabatur a *Belgis*, quippe qui diuini potius sui cultus, suique noui regiminis, momenta tueri, constituere atque confirmare, cogita-

Digitized by Google

gitabant. Profecto enim, nisi *Philipporum* iras, nisi ducis *Albani* saeuitiam ac furias, nisi deuoluta *Alpibus* ac iugis *Pyrenaeis* agmina, *Belgarum* sensisset libertas, infra magnitudinem hanc, infra hanc gloriam, omne *Belgium* conspiceretur. Ita, quicquid *Oriens* olim, quicquid, post *Orientem*, *Graecia*, post *Graeciam*, *Italia*, post hanc, tot gentium ingenia percoluerunt, *Belgici* huius belli tempore, ad summum fastigium est perductum. Verum, ex quo *Philippus* III regni *Hispaniarum* fasces suscepit, Princeps admodum iuuenis, reique militaris imperitus, regiam in bello felicitatem non magis in amplificandis regni finibus, quam perfruendis uoluptatibus uariis, quaerere solitus, consiliis melioribus neglectis, ad bella ultro haud incitabatur, immensisque istis thesauris, * ab eius patre frustra impensis, sua item in *Belgium* crudelitate, haud aliud quicquam erat consecutus, quam, ut gens haec, libertate gaudens, otiique et pacis olim studio-

* *De his Comanus*, Belgici belli faciens mentionem, uerba haec, notatu digna, habet. *In annis uiginti quinque primis, a parte* Hispanorum, *ultra centum milliones auri, centum millia genere* Hispanorum, *et mille millia militum ex aliis nationibus, consumpta fuisse, qui numerus ad uniuersam* Asiam *atque* Africam *subigendam* sufficisset, *si cum* Belgarum *ille copiis fuisset coniunctus.*

Digitized by Google

ſa, uſu armorum diuturno, tantam in re militari peritiam ſibi compararet, uix ut quicquam ſpei ſupereſſet, quam diu illa inter *Belgas* concordia, uiribus coniunctis, uigeret, eorumque cum finitimis amicitia perſiſteret, has *Belgii* Prouincias, ulla ratione, ſub priſtinum *Hiſpaniae* iugum redigi poſſe. Multo etiam ſatius fore, apparebat, populos, qui deſciuerant, pace allicere atque otio, radices odii aduerſus *Hiſpaniam*, uel tempore diuturno, uel mutuo congreſſu, euellere, connubiis item *Belgas* ad priorem illum, *Hiſpanis* antea praeſtitum, retrahere cultum.

Poſtremo, ab ipſo tempore occaſiones generis haud unius praeberi poſſe uidebantur, quae iam nemini cuiquam uenirent in mentem. Sed mala remediis maiora cum eſſent, quotidie precibus Rege ſolicitato, quiſnam finis miſeriae *Luſitanorum* eſſet? Bella dum gerantur aduerſum *Belgas*, tam procul diſſitos, confici et peſſundari proxima quaeque, incendi tot naues ſuas ac diripi, unas illas florentis olim *Hiſpaniae* opes, eiuſdem obſeſſos non ita pridem fuiſſe portus, iam inſulas quoque ab aliis occupari *Moluccas*. Porro bellum *Caſtellanorum*, iam permoleſtum, cuius impenſae menſtruae *Hiſpanis* ad millia ſcutatorum circiter

Digitized by Google

ter trecenta creuiſſent, ſpe haud ulla finiendi, cum praeſertim nauium ex *America* aduentus periculi metum augeret. Impenſas etiam, ſingulis annis, ultra annuos reditus aſcendiſſe, ut caueri militum ſeditio ne exquiſita quidem *Spinolae* ſolertia uigilantiaque potuerit.

Res bello acquiſitas minoris eſſe momenti, experientiam potius docuiſſe, quantopere amnes et opera ſint ab hoſtibus communita, quam parum ſibi pateat mare, et quam non tuto copiis terras alienas liceat tranſire. Accedebant uarii terrores, falſi ueris permixti, ſparſi fere a principibus uiris, atque ab iis, qui in *Batauia* plurimum poterant, eo quidem conſilio, ut *Hiſpanos* haeſitantes ad certam nec fallentem inducerent pacem. In uulgus enim erat editum, *Gallum* hoc utique moliri, ut, certis ſub legum rationibus, *Batauiam* cum *Gallia* coniungat, *Flandriaque* perrupta, regni fines amplificet, neque id falſo ſpargi uidebatur. Contra ea, ſatius eſſe, ducebant *Hiſpani*, libertatem concedere *Batauis*, quam, non cedendo, dare imperium ſuum in caſum, regnoque externo, in primiſque aemulo, addere uires.

Arridente quoque *Indiae* fortuna, noua quaedam apud *Hollandos Zelandoſque* inſtituebatur

batur ſocietas, quae, claſſe ingenti, una cum mercibus, uim inferret in *Americam*, atque aduerſarios terra marique profligaret, non ſine ſpe praedae ingentis, et quae uel omnibus belli totius impenſis ſatis eſſe poſſet. Breui poſt, ſparſum hoc etiam fuit, prout olim, *Geneuenſis* Reip. ope operaque, *Helleſpontum* tranſmiſiſſent *Turcae*, ita nunc *Mauros*, *Batauorum* ſubſidio nauium, *Granatam* reliquaſque maiorum poſſeſſiones repetere, conſtituiſſe. *Albertum* praeterea et *Iſabellam*, hanc, ut feminam, illum uero, ut principem religioni deditum, aſſuefactum ſtudiis, natu denique iam grandi, abhorrentem a bello, rerum tantum non omnium defectus, ac repullulans plus ſemel militum ſeditio, gemitus item et lacrymae ciuium, ita permouebant, uti certum tranquillumque imperium ſpei uel maximae, cum metu perenni coniunctae, praeferrent. Verum praeter ceteros autor erat conſilii huius *Spinola*, qui, uerens, ne gloriam permultam, annis non multis collectam, fortuna recedente, effundere cogeretur, fracta ſimul nuper tam ſua, quam regis, fide, ſi perdurarent onera, reditusque *Americani* quodam interuerterentur caſu, recuperandi, quae erogauiſſet, ſpe omni adempta, aere obrutus alieno, fortunam lautiorem

Digitized by Google

tiorem cum infortunio, dedecore et inopia, commutatum iri, ipſe ſibi tacite praeſagiebat. Apud foederatos uero populos ſpem tranquillioris rerum ſtatus plerique deponebant, alia potius omnia pertimeſcentes, ab ſuis quoque parentibus edocti, reſpuenda eſſe colloquia cum infido inuiſoque hoſte, et, pactione qualicunque tutius eſſe bellum. Hinc, ingenti hominum numero, militum non ſolum, uerum ceteri quoque uulgi, arma, machinae, copiae, claſſes, et quid non, quaeſtui paſſim exponebantur. Illi, qui paulo uideri cupiebant iuſtiores, ſicuti cauendas eſſe inſidias, ita, conandum, exiſtimabant, poſſit ne, iuſtis conditionibus, ſalua republica, ſaluiſque Sacris, ab armis diſcedi. Super utraque conſultatione *Herm. VValrauius*, ut *Bogartus* habet, *VVittenhorſtius*, *Hagam Comitum*, iuſſu miſſuque Archiducum, eſt profectus, idque in extremo Anni CIↃIↃCVI. Idem ille, prius, quam copiae ex hibernis educerentur, ineunte uere, *Geldriam Hollandiamque* obierat, colloquia tamen haud alibi, quam priuatos intra parietes, habere iuſſus, quorum haud rara ipſi opportunitas praebebatur.

Hoc uero tempore, *Ioanne Geuardo*, Turnholtanae ciuitatis ſcriba, (quem locum incolens uterque, ob dépenſa partibus tributa, aditum

Digitized by Google

tum minus difficilem nanciscebatur) Procerum potioribus mandata tradidit *Alberti* et *Isabellae*, quibus haec fere continebantur. *Nihil ipsis optatius, quam quietem populis, finem cruentis laboribus, dare. Nec ignota Ordinibus Archiducum iura, haud aliena poscentium. Ipsi, contra, promerent, quae firmandae securitati arbitrarentur, pacem, seu inducias et colloquia, palam, an secreto, mallent, ipsis permitti, iniqua omnia et insidiosa longe fore.* Sed, quia literas ad Ordines nullas Archiducum ferebant, res dilata.

At *Ioannes Oldenbarneueldius*, Batauorum ille Pensionarius, interim accuratius haec percontatus, probeque narus, quam anceps et periculosum esset, res tantas, in tanta ingeniorum opinionumque uarietate, proponere, sapientia prudentiaque sua efficiebat, totus ut Conuentus ad exiguum reduceretur numerum, iurisque iurandi religione obstringeretur, neminem quicquam eorum, quae proposuissent, enuntiaturum, neque impediturum, quo minus ad maturitatem suam, quae in eiusmodi occasionibus requiri solet, res perueniret. Pro his paucis tabulas, seu indices, aperiebat Reipublicae, ostendens onera, ipsis ferenda, sumptus bellicos, ab ipsis impendendos, una cum

Digitized by Google

cum aere alieno, quod conflandum porro esset, si bellandi institutum teneretur. Ex *Plenipotentiariis* quaerebat, An onera ad ulteriorem belli continuationem necessaria, sustinere uellent ac possent? Ac, plurimis eorum, fieri hoc non posse, reperientibus, docebat amplius, uias tali modo superesse duas Reipublicae statum conseruandi, unam earum, protectioni sese ac tutelae Principis alicuius committere, qui meliorem potioremque oneris partem in se susciperet, bellumque contra *Hispanos* prosequeretur, sin id improbaretur, uiam alteram esse quaerendam, per pacem. Ad priorem illam magis idoneum esse neminem, quam *Galliam*, quae tamen ipsa parum adhuc uoluntatis ostendisset, nondumque spem esse ullam, fore, ut institutum ea mentemque mutet, perparum quoque spei collocandum in ea esse, quippe, quae suorum rationes consiliorum non ad *Belgii* necessitatem, sed ad suam utilitatem, esset initura. Quare cogitandum esse, quonam pacto, per certum pacti genus, ex diuturnis eiusmodi miseriis emergi possit. Ab hoste, hanc ad rem *Belgis* commodas, offerri conditiones, commodiores etiam efficiendas, si cum attentione quadam et matura consideratione res agatur, ne, improuisa quadam tem-

Digitized by Google

tempeſtate, quam ipſa fortaſſe neceſſitas poſſet excitare, et qua hoc aedificium facile, niſi prouideatur mature, uitium facere poſſet, ab negotio deterrerentur animi et auerterentur. Poſterior haec uia pleriſque omnibus in Conuentu placebat, in primis *VValrafio a Brederode*, qui, Nobilitatis nomine, ſolus ad conuentum admiſſus fuerat, exceptis tamen *Plenipotentiariis Amſtelodamenſibus* et *Hornanis*, multoque magis, cum *Oldenbarneueldius*, rogatus, ecquid Principi *Mauritio* hac in re cauſaque aperuiſſet, reſponderet, illud nondum ſibi conſultum fuiſſe uiſum, priuſquam accuratius meliuſque penſitaretur haec res ac praepararetur. Ac profecto, tantae auſpicium rei facere, perdifficile erat, eiuſmodi quippe in republica, in qua momenti maioris haud quicquam, ſine conſenſu Nationum, ac ſine facto ſingulis Vrbibus indicio, tranſigi ſoleret. Quam circuitionem res ea, ingentibus non dubie diſſidiis implicanda, haud permiſſura uidebatur. Qui in conſilio ſedebant *Ordinum F.F.*, aegre ſe implicaturi erant commutationis tam repentinae inuidia, niſi *Mauritius*, tum imperator bellicus, tum generis proſapia meritiſque ſuis illuſtris, pactioni temporariae, magna cum autoritate, ſe conſociaret. Is uero, tantum gloriae,

Digitized by Google

riae, quantum antea haud alius, bellica re conſecutus, nouam quoque materiem nactus amplificandae gloriae, ſecumque reputans, uniuerſae cum rege *Hiſpaniarum* paci fraudem ſubeſſe haud unam, ab *Oldenbarneueldio* tandem, cuius potiſſimum prudentia, annorumque triginta fide confirmata autoritas, conſilia ſuſtinebat pacis, eo perducitur, ut, colloquia cum hoſte inſtitui, nollet. Etenim, manere *Britanniae* regem belli tanti ſpectatorem otioſum, *Gallum* autem, ſocietatis beneficio, res appetere maiores, id quod ex multis clare ſatis colligi poſſit. Quae quidem Propoſitiones *Mauritio* tanti uidebantur eſſe ponderis, ut, tametſi omnes cum *Hiſpanis* conditiones pacis cum dolo coniungere cogitabat, quippe quae ſuis, de libero dominatu, cogitationibus, quas, poſt illam, apud *Nouum Portum*, uictoriam, fouere coeperat, impedimento fuiſſent, paciſci tamen cum hoſte haud recuſaret.

Interim e *Galliae* regno aduentant Legati, quos inter principem locum obtinebat *Petrus Ianinus*, equeſtri uir dignitate, et in Senatu *Diuionenſi* princeps, autor olim praecipuus foederis *Lotharingici*, uerum, una cum *Meduanio* Duce, Regis gratiam ſecutus, ex quo tempore, luculentis integrae fidei, neque leuiori-

Digitized by Google

bus prudentiae, datis ſpeciminibus, ſummarum quarumque rerum adminiſter eſſe, conſiliorumque grauitate eminere inter primores, exiſtimabatur. Eidem, praeter uſum rerum, legumque notitiam, ingenium optimis quibuſque literis excultum erat, fingendi quoque tum uultus, tum ſermonis, ea facultas, ut, cum apertiſſime agere uideretur, mentis animique ſententiam uel maxime occultaret. Eum comitabantur, *Buzenualius*, Galli quondam ad FF. Ordines legatus, et, huius, in munere eodem, ſucceſſor, *Elias Placius*, *Ruſſiacus*. Male *Gallum* habebat, conſciis tam paucis, poſita eſſe rei, plane ſecum non communicatae, fundamenta, rem hanc omnem, ſe potiſſimum annuente, pro ſua qua ualeret, autoritate, proque ſuis in *Batauam* gentem beneficiis haud unis, inchoari debuiſſe, arbitratus.

Huic autem Legationi, extra Ordinem ſuſceptae, cauſam praebuerat Princeps *Mauritius*, qui, modis omnibus, Regem *Henricum* IV eo perducere, laborabat, ut inſtitutum pactionis, quae conſici iam uidebatur, impediret, rem quippe commodis regni *Galliae* offecturam, propterea, quod *Hiſpani*, ſi cum *Belgis* inducias facerent, uires omnes contra *Galliam* eſſent conuerſuri. Idem ille chartas publice

Digitized by Google

blice ſpargendas curabat, quibus proditionis et cum *Hiſpania* conſpirationis inſimulabat illos, qui pacem ſuadebant. Legati igitur, quos dixi, non ſine pompa ſingulari, in locum Conſeſſus admiſſi, nec pauca, de ſui Regis in *Batauos* meritis, praefati, confeſtimque tranſgreſſi ad querelas, principio grauiter incuſant eos, quibus cupiditate Rex *Batauis* imperitandi laborare uideretur, ſecundo loco, quod, inſcio Rege, colloquia cum hoſtibus *Galliae* inſtituiſſent. Regem ſane, quam leniter amicitias colat, hoc etiam tempore declarare, legatis eam ob rem ad ipſos miſſis, ut intelligant, uel arma capeſſentibus opem ſeſe laturum, uel, ſi pacem malint, autoritate nominis ſui interpoſita, ſeu in praeſentia, ſeu in poſterum tempus, pacem confirmaturum. Illud quoque flagitabant, ut certos quoſdam uiros, cum plena potentia, mitterent, quibus res ſuas aperirent, et quibuſcum ea, quae ad publica pertinerent commoda, perpendere poſſent.

Lecti e *Foederatorum* conuentu, qui, Legatis coram, aerarii uires paciſque rationes expenderent, inter quos *Ioannes Oldenbarneueldius*, qui Regi per legatos indicabat, FF. *Belgis* idem eſſe faciendum coram Rege, quod co-

Digitized by Google

ram chirurgis ac medicis facere ſolerent uulnerati et aegroti, id eſt, Regi ſua ipſos uulnera, ſuoſque morbos, commonſtrare debere, ut Rex, aduerſo ipſorum caſu perſpecto, remedia, ſanandis ipſis idonea, quantum poſſet, afferret. Regiminis ſui ſtatum ingentibus grauatum eſſe uerſuris, quarum uſuras priuatis hominibus ſoluere cogerentur, qui ſuas Reipublicae facultates credidiſſent, neque aliunde uiuendi haberent ſubſidia, fame, niſi ex aſſe his perſoluerentur uſurae, interituri. Conſtitutas recens, ad belli continuationem, impenſas perſequendo bello non ſufficere, ſinguliſque annis mille ac trecentorum, quadringentorumue, imperialium uerſuras, ultra ſuperiores illas, ad alendos, quos hoc tempore haberent, exercitus ſuos, eſſe faciendas. Quod ſi tamen Rex ipſis, quae ad bellum contra *Hiſpanos* continuandum eſſent neceſſaria, ſuppeditare uellet, maiorem ſeſe, quam antea nunquam, uirtutem eſſe praeſtituros.

At Rex, cuius exhauſta iam erant aeraria, cum facile praeuideret, minimum ſeſe ad centum tria et triginta imperialium millia, ultra millionem, ut uocant, in ſingulos annos ipſis exſoluenda, obligari, admittebat conditiones pacis, quae, autore ipſo, poſtea, reluctante licet,

Digitized by Google

cet, modis omnibus, per clientes suos, Principe *Mauritio*, fiebat.

Contra ea, Princeps, qui *Belgium Foederatum* mente iam animoque uersabat, pacemque pro ornamenti emolumentique sui fulmine, quippe quo bellum ei, tanquam uerum explendi uoti sui subsidium, praecidebatur, ducebat, non quoque nullorum contrarios uidebat animos, hos uehementius etiam inflammabat oratione quadam, in *Bogarti* Fundamento, ut uocat, *Belgicae Libertatis*, [1]) ad A. CIↃ IↃ CVII, inuenienda, quam *Ioannes Oldenbarneueldius* statim refutabat, ut uideri potest ibidem, [2]) ac tanta quidem ui, ut, maiori conuentus factioni finem fieri, consultum uideretur. Plus enim satis uidebant, pacem Reipublicae multo magis expedire, perpendebant incommoda belli, grauia, ciuiumque censum excedentia fere tributa, instabilem denique fortunam, quae facile fallere, magnamque, tum in Regimine, tum in Commerciis, efficere posset commutationem. Ad haec utique iam obtigerat, id quod diu erat quaesitum, Potestas eminens, seu, non circumscripta Libertas, unde contra ius fasque futurum esset, sine causa bellum, spe sola praedae, continuare. Terras, incolasue, acquire-

1) *pag.* 93. 2) *pag.* 100.

Digitized by Google

re plures, Reipublicae suae, recens constitutae, obfuturum esse plus, quam profuturum. Certa igitur incertis esse praeferenda, cognitaque *Hispanorum* uoluntate procliui, atque omnium suorum facta renuntiatione iurium, plenam esse libertatem prensandam.

Causa uero, quae *Oldenbarneueldium* longe quoque fortius ad pacem inducebat, quamque perpendebat figillatim, haec erat, quod, *Hispanicae* Monarchiae potentiam atque magnitudinem, sub *Carolo* v, tanta cepisse incrementa, sub *Philippo* II, per tot infelices, ambitiosas periculosasque molitiones, ad interitum ruisse, res autem *Henrici* IV, post tot casus, ad summum felicitatis fastigium ascendisse, animaduertebat, nec sine causa uerebatur, *Gallos*, qui *Veruinae* iam cum *Hispanis* pacem iniissent, *Belgio* inhiaturos. Pluribus etiam allatis nuntiis, strenue Regem parare bellum, augebatur eius solicitudo, ne, primo quoque tempore, *Belgium* a *Gallis* inuaderetur. Praeter hanc curam, alia, eaque haud leuior, ipsum exercebat, ingens nempe autoritas et potentia Principis *Mauritii*, quae, iactis olim a patre fundamentis, per huius ipsius merita gloriamque bellicam, ita iam succreuerat, uti in dominationem non circumscriptam abitura uideretur,

Digitized by Google

tur, belli quippe continuatione maius in dies incrementum captura, quo pacto nihil in eius poteſtate non fore, pace, contra, infringi eius poteſtatem autoritatemque, una potentiae ciuium cedere cogi. Eadem mente, per nouercam ſuam, *VVilhelmi*, Principis Auriaci, uiduam, *Barneueldium*, ut ſe, in obtinendo *Belgii* dominatu, adiuuaret, ſolicitauit, quae tamen repulſam ab eo tulit, interponente cauſam, rem hanc cum certiſſimo Principis interitu fore coniunctam. Huic ſententiae pacis in primis aduerſabatur Princeps *Mauritius*, qui, rem ſuſpectam eſſe, dictitans, magna ui loquebatur aduerſum alios et ſcribebat. Hunc ſequebatur *Selandia*, *Batauaeque* aliquot Ciuitates, quae, plus in bello eſſe lucri, quam in pace, ſentiebant, aperte confirmantes, Ordines re ſane ipſa eſſe liberos, eoſque, armorum ope, et egregiis, quibus adhuc fuiſſent uſi, inſtitutis, non ſine commodo ſingulari, liberos manere poſſe, quam ad rem conſenſu *Hiſpanorum* nequaquam indigerent.

Hic uero, ipſos inter Ordines, alia Quaeſtio, eaque grauis, nec ſine magno diſſidio, cooriebatur, An *Selandi*, hac in re, ad regionis libertatem, otium ac pacem, uerum quippe belli et concordiae communis ſcopum, ſpectante, alia-

Digitized by Google

rum ſuffragiis Prouinciarum ſuperari non poſſent. Dicti enim Selandi *Foedus Vltraiectinum*, tanquam coniunctionis ſuae fundamentum, obiiciebant, quo obſeruato, pacem Prouincia nulla, ſine alia, facere deberet. Atque hoc ipſum ad *Batauorum* Ciuitates perſcribebat *Mauritius*, conditiones pacis uehementiſſime diſſuadens. Poſtea, in his pertractandis, uariae oriebantur difficultates, quoniam Archidux Dominum ſeſe liberarum *Belgii* Prouinciarum appellare in poſterum quoque cupiebat, renitentibus *Batauis*, et hoc unice contendentibus, ut renuntiaret huic titulo, ipſoſque pro *Libera Gente* declararet. Tandem tamen huic etiam rei quoddam remedii genus eſt repertum, ut Archidux pronuntiaret, cum *Belgis* haud aliter ſe, ac *libera* cum *Gente*, acturum eſſe. Vnde GROTIVS quidem exiſtimat, hoc ipſo, iam tum, eos omnino pro *Gente libera* declaratos, priſtino quoque in eos iuri ab *Hiſpanis* fuiſſe renuntiatum, qui tamen ipſi longe aliter ea de re iudicarunt. Ad extremum pactio haec, conditionibus, a parte *Batauorum*, qui commerciorum ſibi *Indiae Orientalis* libertatem hic potiſſimum reſeruabant, perutilibus, ad annos duodecim, *Antwerpiae*, A. C. CIↃIↃCIX, eſt confecta.

Quan-

Digitized by Google

Quantum porro dissidiorum, induciarum tempore, cum legatis Archiducis, itemque, ob Mandata et alias difficultates, sit exortum, passim apud *Bogartum* legere licet. Vnum illud ex omnibus caput, *de Libera in Indiam Nauigatione*, obstacula praebebat, in qua neque modum sibi ullum, neque ullas metas, poni, homines quippe liberi, *Belgae* FF. patiebantur. Commercia, dictitabant, animam esse Reipubl. suae, in quibus si quid remitterent, actum de se esse. Hac in sententia permanebant, quicquid etiam obiicerent *Hispani*, qui, cum inducias flagitarent, hoc ipsum caput dimittere cogebantur. Initae pacis conditiones apud *Bogartum* et alios Scriptores reperiuntur. Factae sunt ergo hae pacis induciae A. C. CIↃIↃCIX, suasu *Oldenbarneueldii*, mirum ut hinc nemini debeat uideri, parum ei fauisse Principem, quippe cui ferendum erat, *Galliam* non Principis *Mauritii* consilium, ipsiusque una commoda, sed magni huius Ordinum Senatoris, rationes et consilia, sequi. Ac, tali pacto, fundamentum iactum est *Belgicae* illius libertatis, in qua, me quidem iudice, permultum uniuersae genti situm est, quaeque plus commodi, quam omnes omnium uel obsidionum, uel uictoriarum, indagationes descriptionesque, conciliabit, quip-

Digitized by Google

pe in qua, tanquam in ſpeculo quodam, intueri gens illa poteſt, quanta cura, ſolicitudine et cautione, fundamenta iacta ſint libertatis ſuae, cuius ſuperſtructi deinceps ſplendidi aedificii fama omnem terrarum orbem repleuit, eidemque amorem aeque, ac timorem, ſui iniecit.

Paulo poſt, Regis *Galliae*, cui *Hollandorum* potentia nimis uidebatur magna, metu *Batauia* liberabatur, putatque *Gaſſendus*, in uita Peireſcii, *Raualliacum* ab Hiſpanis pecunia fuiſſe conductum, ut periculoſa Regis conſilia, eo caeſo, impedirentur. *Patinus* dicit, interfectoris ſorori ab Rege uitium fuiſſe illatum, non ſine magnis promiſſis, quibus Rex poſtea non ſteterit, idemque addit, fratrem interfectoris, *Antuerpiae* mortuum, paulo ante finem uitae, quis nam eſſet, aperuiſſe, et una faſſum, niſi caedem feciſſet frater, eam ſe facturum certo fuiſſe. Verba eius ita ſe habent.

On fait ici un conte effroyable, et qui me fait peur, d'un certain homme, que l'on dit etre mort en Hollande *depuis enuirons un an, qui a reuelé peu auantque de mourir, qu'il etoit frere de* Rauaillac, *ce malhereux aſſaſſin, qui tua notre bon roy* Henry quatre, *il y a 54 ans, que ſi ſon frere l'eut manqué, celuici etoit en un*

Digitized by Google

un autre endroit, et cherchoit a faire le meme coup, et que ce ne fut point par reſſentiment de religion, ni par impulſion des Eſpagnols, *mais ſeulement par uengance, irrité contre ce Roy qui auoit debauche leur ſoeur, et qui ſ' etoit moque d' elle.*

Gallici uero Scriptores tradunt, ex Zelo Religionis a *Raualliaco* id eſſe factum. At multi credere noluerunt, *Raualliacum* facinus hoc abominandum ſua ſponte perpetraſſe, neminemque ab interfectore alium fuiſſe indicatum. Congregati certe *Gratianopoli* Reformati, inter alia grauaminum ſuorum capita, uerba haec memorabilia uſurparunt, *Regem, minorennitatem iam conſecutum, in caedem interfecti Regis, patris ſui, fortius inquirere, reoſque caedis compertos punire grauiter, debere.* Conſimilia reperiuntur in Propoſitionibus *Ligae*, ſub id tempus cum Principe *Condaeo* factae, Art. 11, *In parricidium ſeſe Regis dicti inquiſituros diligenter, caedemque ulturos.* Omnino igitur credidiſſe hos, oportet, alios etiam prauos homines Regis huius ſanguine ſe commaculaſſe. Quod ſi enim *Raualliacus* id unus ſponte ſua fecerat, tum uero et inquiſitio, et poenae executio, contra ipſum facta iam erat. Mirabile dictu, inquirere in caedem, cum, autore caedis

Digitized by Google

caedis iam capite plexo, neque cauſae cognitionem, neque confrontationem, neque tormenta, ulterius inſtituere liceret, niſi iudices forſitan ipſos accuſare quis uoluiſſet ſubleſtae fidei, quaſi rei huius *Raualliaci* confeſſio per torturam ab ipſis corrupta fuiſſet. In hos igitur fuiſſet inquirendum, at una quaerendum prius, quo pacto id fieri uel debuiſſet, uel potuiſſet. Conſideratione in primis dignum eſt, Principem *Condaeum*, in magno illo Manifeſto ſuo, *Coucy* A. C. CIↃIↃCXV, d. IX Aug. perſcripto, Art. IV, admodum urgere, *Ex Ordinum Declaratione, in Conuentu proximo, ipſum hoc momentum, de continuanda, propter immanem Regis caedem, accuratiore inquiſitione, deletum fuiſſe et eraſum.* Ex quo ipſo coniectura non leuis oritur, interfectorem maioris fortaſſe dignationis homines enuntiaſſe, contra quos tamen ſuſpicioni grauiori locus haud relinqui potuerit, multo minus iudicium, ab homine, tam inſigniter malefico, factum, admitti. In ſcripto quodam, cuius mentionem *Zeilerus* facit, quodque, *Congreſſus et Colloquium inter Henricum et eius Filium*, inſcribitur, A. CIↃ IↃ C XVI excuſum, mors eius Principi cuidam Gallico tribuitur, additque idem ille, comperire ſe nunquam potuiſſe, an refutatum fuerit ſcriptum iſtud. Addo uerba

Digitized by Google

ba *Perefixi*, ſcriptoris fide digniſſimi. *Les iuges memes, qui l'interrogerent, n'oſerent en ouurir la bouche et n'en parlerent iamais, que des epaules.* Dux *Sullanus* memorat, Coniugem Regis, aut Coniugis certe amicum, *Concinium* Ducem, ex zelotypia, Regem interimendum curaſſe. *P. de Lancre* commemorat, caedem Regis ad magnum quendam *Galliae* Principem referri. Id quod haud obſcure *Gramondus* innuit, his uſus uerbis. *Duxit in ſuſpicionem criminis neminem* Raualliacus, *quanquam non deerant tum, neque poſtmodum, qui miſcerent inania, quibus poſtulabatur ex primo nobilitatis ordine uir probus et innocens. Vana ſine probatione murmura, iacta per inuidiam et nefas.* Quin etiam *Iulius Caeſar Bulengerus* refert, uiduae Reginae, *Mariae* nimirum *Mediceae*, non parum in uitio poſitum fuiſſe, quod lugubrem ueſtitum cito nimis depoſuiſſet, annoque uix elapſo, ueſtitu ſplendidiore ſpectandam ſeſe praebuiſſet, cum tamen eius propinqua, *Catharina Medicea*, Henricum II, maritum ſuum, per omnem uitam, lugere non deſiiſſet. Licet, opinioni quoque *Patini* locus relinqui poſſit, *Henrici IV* Coniugem, huiuſque fautorem, operae multum contuliſſe, ut *Raualliacus* id perpetraret, quibus, dubio procul, eiuſmodi erat eligendus parricida, quem erga Regem

Digitized by Google

gem male animatum esse, certo scirent, quique, ob illatum sorori stuprum, Regis interficiendi causam habere uideretur.

Per tales inducias praecipua in *Oldenbarneueldium* cecidit inuidia, ut talium repertorem, et immensa autoritate etiam superioris fortunae hominibus grauem, nedum ut aequales illum sui, tantopere eminentem, faciles aspicerent. Ternae quoque apparuerunt literae, A. C. CIↃIↃCVIII, mense Octobri, perscriptae, quibus iam tum non obscure ad caedem is destinabatur. *Oldenbarneueldius*, tam odium, et, quod Princeps *Mauritius* iam olim, in conuentu communi, ubi de remouendo belli onere agebatur, eum non tantum arguerat mendacii, sed brachium quoque contra ipsum eleuauerat, quam illud, de cultu diuino, dissidium, *Gomarum* inter et *Arminium*, hoc anno, subortum, glisens iam, et maiori deinceps impetu eruptorum, perpendens, munus suum, in Concilio *Batauorum* deponere, constituebat, postquam officia sua, tam generatim omnibus, quam speciatim Domui *Nassouiensi*, per unum et triginta praestiterat annos, quibus Ciuitatis Roterodamensis Pensionarius fuerat, et Aduocatus Belgarum. Is dicebat, Non nouas sibi potentiorum esse offensas, nec ulla se pericula defugisse,

Digitized by Google

gisse, qui patriae inseruiret, aduersum rumores et fortuita fretus conscientiae solatio, sed, quando cerneret, rem, per se non gratam, suo insuper odio grauari, orare se, ut expediendis, quae e Republica uiderentur, minus inuisa aliorum ministeria deligerent, simulque coetu excedebat. Proximo die, cum in Concilio non conspiceretur, quidam eorum delegati sunt ad ipsum, nominatim, a Nobilibus, Dn. *Obdamus*, a Ciuitatibus, *Hugo Muis uan Holy*, *Petrus Boomius* et *Ioannes Petersonius Stopius*, qui erant Vltraiectinae, Amstelodamensis et Alcmarienſis, Ciuitatum Consules, rogatum, ne adiutam huc usque fidelibus consiliis Rempublicam, tempore tam difficili, desereret, sponsionem facientes, Concilium modis omnibus, quantum necessitas requireret, in fidem tutelamque eum recepturum, tanta quidem autoritate, ut, si quid aduersus ipsum tentaretur, haud aliter in Conuentu accepturi sint et interpretaturi, quam, si toti id Concilio accidisset. Quibus intellectis, hora licet infausta, et cum sui, in pegmate ferali, deinceps profusi, sanguinis damno, munus suum denuo in se suscepit.

Interim utraque factio dissidium illud, *Arminianos* inter et *Gomaristas* ortum, sibi faciebant lucri, animis utrinque exacerbatis, maximaque

et

Digitized by Google

et dignitate, et ciuili prudentia, praediti uiri, quibus Principis *Mauritii* autoritas nimia nimis erat ſuſpecta, ſeſe *Arminio* aſſociabant, ipſorumque caput erat *Barneueldius*, duorum et ſeptuaginta uir annorum, Penſionarius, et FF. Belgii OO. Fiſci Aduocatus. E contrario, *Mauritius* Princeps, *Gomariſtis* indulgebat, ut plebem, quae, caeco ſaepius et inconſiderato impetu, quam explorato iudicio, fertur, quippe cui nec iudicium, ut *Tacitus* [1]) ait, nec ueritas eſt, Sacerdotes item in *Belgio*, maximam partem cum *Gomariſtis* facientes, in ſua fide retineret. Dictitabant autem, *Barneueldium* conſpirare cum *Pontificiis* et *Hiſpanis*, Romanae quoque Religionis ſacra in *Belgii* F. Remp., quae his uel ſolis peſſundari poſſit, introducere conari. Et, quem ad modum *Franciſcus Aerſenius* * natura ma-

1) *Hiſt. I, 32. 2.*

* Franciſcus *hic* Aerſenius, *natione* Brabantus, *propter ea, quibus pollebat, dona, annitente* Oldenbarneueldio, *ad honeſtiſſimi fructuoſiſſimique muneris gradum euectus olim, deinceps tamen unus ex potiſſimis euaſit eorum, quorum ope operaque uſus eſt Princeps Arauſionenſis*, Mauritius, *in* Oldenbarneueldio *interimendo, eandemque ob rem, loco ueluti mercedis, pro officiis Principi tam fidelibus praeſtitis, et ciuitate* Batauorum, *et* Batauorum *equitum nobilitate, fuit donatus. Filius eius, Dn. a* Spyck, *ſtrenuam pariter operam nauauit, et, adiutore Principe* VVilhelmo, A. CIↃIↃCL, Amſtelodamum *ſubito inuadere conatus eſt, quae cauſa fuit, cur, anno inſequente, in Concilio* Batauorum, *loco ſuo cogeretur renuntiare, legem ambelans ἀμνηστίας, ne in actiones ſuas inquireretur.*

Digitized by Google

malignus erat, audax praeterea et facundus, ore perinde, atque calamo, cuiuis rei colorem quemuis conciliare callens, ita hic quoque, arrepto calamo, salutarem hanc sententiam non exosam modo reddere, sed explodendam quoque aliis obiicere, cogitabat. Hoc ipsum eo tempore ex uariis scriptis, quorum aliud post aliud prodibat in lucem, colligi poterat, ex quibus primum erat inscriptum, *Praeuia Detectio*, alterum, *Dissertatio Necessaria*, tertium, *Hispanici Consilii Artes*. Hisce scriptis pernicioſus hic homo, qui prudentiam *Oldenbarneueldii*, cuius, pro communi patriae bono, labores tam utiles, salutares atque fortunati, fuerant, tam commode quoque hac occasione ceciderant, laudare debuisset, criminari eum publice malebat, quasi cum Pontificiis sese coniunxisset, pecuniaque *Hispanorum* corruptus, Religionem incorruptam corrumpere, *Belgiumque* denuo redigere sub iugum, conaretur. At *Oldenbarneueldio* uerba hic non deerant, quibus officia sua, per tempus bene longum, Ordinibus praestita, contra istas calumnias, copiose demonstraret. Ac principio quidem Princeps laborare uehementer uidebatur, *Vltraiectenſi* aliisque Prouinciis, compluribus item *Batauiae* ciuitatibus, in partes inclinantibus *Arminianorum*. *Vni ex*

Digitized by Google

duobus, inquit Piasecius, ad A.C. CIↃIↃCXIX, *succumbendum erat, uel* Mauritio, *Principi, insimulato, quod regnum affectaret, et libertatem conscientiae restringeret, uel* Barneueldio, *ad res nouandas incitanti, quorum uter uinceret,* (fere exemplo Caesaris et Pompeii) *summa rerum gerendarum autoritate in illa Republica potiretur, uictus autem periret.* Conturbatio enim et exacerbatio tanta erat animorum, ut ipse etiam magnus ille Rex Britannorum, *Iacobus*, periculosos inde rerum casus facile coniectans, per epistolam, humanitatis plenam, Ordines commoneret, ut, pro sua prudentia, malum hoc longius serpere, ne paterentur, *tolerantiam* utrinque, hoc nomine, optimum quippe in re ista remedium, commendans, cum neutra sententiarum ita sit comparata, ut nequeat consistere cum ueritate fidei Christianae. Literae eius legi integrae merentur.

ORDINIBVS CONFOED. BELGII
REX MAGNAE BRITANNIAE.

Hauts et puissants Seigneurs, nos bons amis et allies.

Nostre affection au bien de uotre etat, singulierement en ce, qui touche la uraye religion Chretiene,

Digitized by Google

tiene, fait, que nous ſommes tres narrys d'entendre les differents, ſuruenus entre uos miniſtres et peuple, a l'occaſion de certaines diſputes theologiques. Nous auons uu les articles et opinions differentes, et trouuons, que celles concernent la diuine predeſtination et ſes dependentes points, qui ſouuent ont cauſé de grandes diſſenſions en l'egliſe; et iacoit que nous ſoyons bien aſſeurés, que ſolons uotre prudence et l'autorité, qui uous appartient ſur l'etat, les egliſes et miniſtres uous ſaues bien aſſoupir et faire ceſſer les dits differents, a fin qu'ils n'eſclattent plus fort au preiudice du pien public, du repos des egliſes, de l'auancement de la gloire de DIEU, *et de la uraye pieté. Neant moins pour l'apprehenſions, que nous auons, que le dits different pourront cauſer plus grand mal et troubles, nous uous auiſons, que l'experience nous a fait connoitre, qu'a grand peine telles queſtions ſe terminent par diſputes des theologiens. Ainſi, qu'il eſt plus conuenable les aſſoupir par autorité publique, faiſant defence a uos miniſtres, de ne porter telles diſputes en chaire, ou au commun peuple, auec commendement expres, d'entretenir la paix par une mutuelle tolerance en la diuerſité d'opinion ou ſentiment, que de part et d'autre ils ont ſur les dites points, au moins iusques a ce, qu'auec pleine cognoiſſance*

Digitized by Google

de la cauſe par autorité publique, autrement par uous en ſoit ordonné. Et a tant plus forte raiſon nous ſemble uous y deuoir perſuader, qu' ayant uu en un ecrit, que nous a donné le cheuallier Carron, *uotre ambaſſadeur, aſſes amplement deductes les opinions de l' une de l' autre de parties et les raiſons en quelles ils ſe fondent, nous ne trouuons ne l' une ne l' autre ſi eſgarré, qu' elles ne puiſſent conſiſter et auec la uerité de la foy Chretienne, et auec le ſalut des ames. Ecrit a* Neumarck, *l' 6 iour de Mars, l' an.* CIↃ IↃ C XIII.

Votre bien Amy,

IAQVES ROY.

ILLVSTRES ET PRAEPOTENTES DOMINI, AMICI ET FOEDERATI,

Facit affectus noſter pro bono ſtatus Veſtri, et in primis, quod tangit ueritatem religionis Chriſtianae, ut, cum magno animi dolore, exorta, inter uestros Miniſtros et populum, diſſidia, ob certas diſputationes theologicas, perceperimus. Legimus nos Articulos et differentes opiniones, et deprehendimus, quod concernant diuinam Praedeſtinationem, *et quae ea conſequuntur iuncta, quae ſaepe in Eccleſia magnorum motuum origo fuere. Licet autem ſatis certi ſimus, quod, iuxta prudentiam*

Digitized by Google

tiam et autoritatem, quae uobis competit in ſtatum, eccleſiam et miniſtros ueſtros, bene ſciatis, quomodo diſſidia iſta componi debeant, ne ulterius extendantur, in praeiudicium boni publici, quietis eccleſiaſticae et augmenti gloriae diuinae, nihilo minus, quia periculum eſt, ne turbae iſtae maiores motus excitent, nos, uobis ſignificandum, duximus, quod ab experientia didicerimus, tales quaeſtiones per diſputationes theologicas nunquam finiri. Ideoque conuenientius, cenſemus, ut ſupprimantur autoritate publica, ne iſtae quaeſtiones amplius in cathedram et ad populum producantur, cum expreſſo mandato, ut pax et tolerantia mutua inter diuerſas ſententias habeatur, ad minimum eo uſque, donec aliud, per pleniorem cauſae cognitionem, ex autoritate publica ueſtra, ordinetur. Eo autem facilius nos uobis perſuaſuros, confidimus, quod in lectione ſcriptorum, quae nobis legatus ueſter, Carron, *exhibuit, atque ubi utriuſque partis fundamenta ampliſſime deducta ſunt, deprehenderimus, quod neutra ita ſint aliena, ut non poſſint conſiſtere cum ueritate fidei Chriſtianae et ſalutis Chriſtianae animarum.*

Colligi ex hac Epiſtola poteſt, quam non fuerit alienus Rex *Iacobus* a ſententia *Gratiae uniuerſalis*, *Meriti Chriſti*, *gratiae reſiſtibilis*,

Digitized by Google

quamque iudicium illius longe fuerit sanius, quam *Gomaristarum* et aliorum, qui dixerunt, se non posse tuto consistere cum illa sententia ante tribunal diuinum, quin etiam, quam incaute, ne dicam, impie, Synodi *Dordracenae* Patres eam sententiam damnare sustinuerint, ut in progressu uidebis.

Decretum illud, de mutua tolerantia *Arminianorum* et *Gomaristarum*, referemus infra. Hic uero iudicium Regis, et Archiepiscopi, de edicto Ordinum *Hollandiae* et *VVestfrisiae*, interprete *Casaubono*, subiungemus.

ISAACVS CASAVBONVS S. P. D.

HVG. GROTIO.

De Edicto illustrissimorum Ordinum, quod nuper misisti, egi accurate cum Rege Serenissimo, *cum Dn. Archi-Episcopo, et cum aliis praestantis doctrinae Praesulibus, et Rex, et omnes, qui legerunt consilium, uehementer et probarunt, et laudarunt. Interest enim Religionis Christianae, et ad Protestantium existimationem uel maxime pertinet, curiosis hominibus fibulam, ut desinant tandem* φρονοῦντες, παρ' ὁ δεῖ φρονεῖν, (sapientes supra id, quod oportet sapere) *pacem ecclesiarum turbare, et sua illaudabili* πολυπραγμοσύνῃ (curiositate) *infamiam* ἀκαταστασίας καὶ νεωτεροποιίας (confusio-

fusionis et nouitatis studii) *apud ueritatis hostes reformationem profitentibus, inurere. Summa igitur laude* Illustrissimorum Ordinum *prudentia digna est, quae huius sui Edicti publicatione et curiosas hominum mentes,* DEO *coeptis fauente, in officio continebit, et sui imperii Ecclesiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit* DEVS IESVS, *ille unicus Ecclesiae Autor et Conseruator, ut, quem boni sperant, fructum ex hoc saluberrimo Consilio* Illustrissimi Ordines *percipiant, et nos, pro stabilita inter Ecclesias uestras tranquillitate, occasionem ipsis gratulandi breui habeamus. Neque uero consilium duntaxat Rex* εὐσεβέστατος (piissimus) *et alii uiri grauissimi probauerunt, sed et formulam quoque ipsam, iussu Ordinum conceptam. Apparet enim, id esse actum, ut a duobus scopulis in hac doctrina, aeque periculosis, hinc* Manichaeorum, *inde* Pelagianorum, *populi auertantur, et in ea doctrina confirmentur, quae salutis nostrae proram et puppim, principium, inquam, et progressum, et* τελειώσιν (consummationem) *uni* DEO *ascribens, contemptum tamen bonorum operum non inducit. Vale, uir Clarissime, et me ama. Lond.* XV *Cal. Iun.* CIↃIↃCXIV.

Ordines *Hollandiae*, fauentes *Arminianis*, scribebant ad Electorem *Palatinum*, et postea ad *Iacobum I*, Regem, et, ut autores sint *Tolerantiae*

tiae inter *Contraremonſtrantes* et *Remonſtrantes*, petunt, ſtatumque diſſidii exponunt. Vindicant ſibi ius et imperium in Eccleſias ſuas. Dignae ſunt Epiſtolae, quae legantur.

SERENISSIMO PRINCIPI,
ELECTORI SACRI IMPERII, DVCI BAVARIAE,
COMITI PALATINO AD RHENVM,
ORDINES HOLLANDIAE ET VVESTFRISIAE,
S. P. D.

Sereniſſime Princeps Elector,

Ab initio repurgatae apud nos religionis duae nos praecipue difficultates exercuerunt. Prior, de eo Imperio, quod circa Eccleſiaſtica Chriſtianis Magiſtratibus competit, in quo itidem, ut omnes reformati Reges, Principes ac Magiſtratus, et Reipublicae et Eccleſiae, incolumitatem in primis ſitam, ſemper exiſtimauimus, contra Miniſtrorum quorundam ſententiam, qui, Eccleſiaſticum regimen externum ſummo in Republica imperio non ſubiectum, aperte profitebantur. Altera uero, de diuerſis Theologorum ſententiis ſuper diuina Praedeſtinatione *annexiſque capitibus, ſua placita non ſine aliorum condemnatione, aut ignominia, Miniſtris quibusdam rigide urgentibus, contra, exiſtimantibus nobis, ſatius eſſe, tales controuerſias,*

Digitized by Google

ſias, plebis captum ſuperantes, a ſuggeſtis amoueri, nihilque obſtante ſententiarum diuerſitate, ſuper quaeſtionibus, inter ueteres reformatosque Doctores, adeo decertatis, pacem Eccleſiae ſeruari, eo magis, quod reformatae Eccleſiae, praeſertim uero Tuae Electoralis Serenitatis *Parentes, ipſa* Tua Electoralis Serenitas, *eiuſque praeſtantiſſimi Theologi, longius diſſidentibus Confeſſionis* Auguſtanae *Eccleſiis, eandem pacem fraternamque communionem ſaepius obtuliſſent. Et ſpes quidem fuerat, poſitis armis, qua olim omnem ferme curam ac ſolicitudinem noſtram in ſe ueterant, conſilio piorum uirorum, et publica autoritate Eccleſiam legibus ſtabilitam, et moderata aequitate compactam, in ſolido a nobis poſſe conſtitui, quo fine plurimi a nobis labores, optimo propoſito, ſuſcepti ſunt, ut ex earum literarum, quas ad* Sereniſſimum *ac* Potentiſſimum *Regem* Britanniae *mittimus, exemplo, aliiſque, eodem pertinentibus, chartis, promptum erit* Electorali Tuae Serenitati *cognoſcere. Sed miniſtri quidam, et officii ſui, et noſtri in ipſos iuris beneficiorumque, immemores, haud ante quieuerunt, quam, Eccleſia miſerabiliter diſciſſa, plebi, ſed praeſertim externis apud nos commorantibus, inobſequentius ſe gerendi exemplum, aut occaſionem, praeberent. Qui, ſicut antehac Synodis, quas nationales ipſi uocant,*

Digitized by Google

greſſi ſunt fratres, in controuerſiis difficilibus, ut diuerſus eſt humani ingenii captus, haud pariter ſecum ſentientes, acerbioribus cenſuris premere, et ab Electione Paſtorum, et reliqua Eccleſiae Inſpectione, amouere Magiſtratum, ita nunc quoque exiſtimant, id ſibi reſtare, ut, quod contra leges moliti ſunt hactenus, nunc Synodicis Decretis uim accipiat atque autoritatem. Quanquam uero Prouinciae quaedam, noſtri foederis, illis, quas diximus, controuerſiis minus obnoxiae, eo productae ſunt, ut in Synodi talis indictionem conſentirent, literaſque eam in rem ſcriberent, uſurpato Ordinum Generalium *nomine, nos tamen, gnari, et aliam eſſe apud nos Eccleſiae conſtitutionem, et eo, quod cum uicinis iniuimus, foedere ius Reipublicam, et in Republica Eccleſiam, gubernandi ſolidum atque illibatum penes nos manſiſſe, neque ea in re nos aliorum teneri imperiis, non magis, quam alii noſtris teneantur, alia remedia monſtrauimus, quae, ſaluo iure noſtro ac publicis Legibus, ad reſarciendam Eccleſiae pacem rectius ducerent, quae itidem uidere erit in chartis, quas transmittimus. Plane autem confidimus, Electoralem* Tuam Serenitatem, *hiſce cognitis, non modo nulli adiutricem fore ad eas res, quae iuri noſtro aduerſantur, ſed, contra, omni occaſione, daturam operam, ut et autoritas noſtra in Miniſtros*

noſtros

Digitized by Google

noſtros ſalua maneat, et Eccleſiarum Euangelicarum unitati, quae ex difficilium controuerſiarum definitionibus, periclitari ſolet, leniore quadam uia, Chriſtiana ſcilicet moderatione ac tolerantia, conſulatur. Id nos beneficium gratiſſimis animis amplectemur, parati referre gratiam, quotieſcunque ſe ulla praebebit occaſio. Interea DEVM *precabimur,* Sereniſſime Princeps Elector, *ut* DEVS Tuam Electoralem Serenitatem *diu incolumem florentemque ſeruet. Dabantur in Palatio noſtro,* Hagae Comitum, A. C. CIↃIↃCXVIII.

Sequitur altera Epiſtola, ad Iacobum I, Angliae Regem.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI,

IACOBO,

MAGNAE BRITANNIAE REGI,

ORDINES HOLLANDIAE.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,

Cum manifeſtum ſit nobis, de Controuerſiis, quae Eccleſias noſtras agitant, uarios ſpargi rumores, qui uera miſceant falſis, exigere uiſa eſt tum Tuae Maieſtatis *erga noſtram Rempublicam beneuolentia, tum noſtra erga* Maieſtatem Tuam *reuerentia, ut aperiremus eidem morborum ſtatum cauſaſque, cum certa fiducia, futurum, ut, cognita ipſa*

Digitized by Google

ipsa mali origine atque natura, nihil amplius obstet, quo minus et sapientia Tuae Maiestatis *optima remedia suggerat, et monstrata quam cupidissime amplectamur. Controuersiae igitur, his in partibus ortae, cum partim ad gubernationem rerum Ecclesiasticarum, partim ad Theologicas quaestiones pertineant, ab illis, ut tempore prioribus, facto initio, deinde ad alteras ueniemus. Quo primum tempore hisce regionibus,* Erasmi Lutherique *scriptis, accensa lux est, qua collustrati homines haud pauci tyrannidem Paparum, idololatricos superstitiososque cultus, et alios, paulatim in Ecclesiam inuectos, errores, agnoscere coeperunt, Pastores, qui passim pios coetus collegerunt, cum leges publicas sibi aduersas haberent, atque ideo earum praesidio uti non possent, necessitate compulsi, ad* Galliae *Exemplum, Regimen quoddam constituerunt Ecclesiasticum, quod, ex Pastoribus et delectis e fidelium multitudine Senioribus constans, e consessibus minoribus in maiores, quasi per gradus quosdam, assurgeret. Postquam uero nos, primi omnium, cum* Zelandiae *Ordinibus, ductu laudatissimi Herois,* Guilielmi, *Arausionensium Principis, armis sumptis, ad uindicandam ab illegitimis imperiis auitam libertatem, simul, quod pias Potestates decebat, ad subleuandam Ecclesiam, animum adiecimus, templa imaginibus purgata, emen-*

Digitized by Google

emendatioris magistris doctrinae tradidimus, eosdem liberalibus e publico aerario stipendiis sustentauimus, statim inter pastores quosdam et Magistratuum plerosque ortae contentiones, cum illi quidem id, quod persecutionum necessitate inualuerat, regimen sine ulla mutatione retentum uellent, sibique ac senioribus potestatem omnem ferendarum legum Ecclesiasticarum, conferendique munera Ecclesiastica, uindicarent, hi, contra, mutatis temporibus, manente functionum discrimine, mutandam non nihil, censerent, formam gubernationis, quippe cum, ut ex uerbo diuino docet Belgica confessio, *non id modo munus sit Magistratuum, ut de ciuili politica conseruanda sint solliciti, sed et, ut operam dent tollendis adulterinis cultibus, praedicando Euangelio, propagando* Christi *regno, quod cum officium faciunt, Magistratus eosdem esse supremos, et ciuilium et Ecclesiasticarum rerum gubernatores, ac proinde nullum esse regimen externum, quod non supremo in Republica Imperio subordinetur, quia, ut fert insignis* Optati Mileuitani *sententia*, nos Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica. *Huius sententiae cum esset fortissimus ac potentissimus* Arausionensium Princeps, *leges concepit, et easdem ab Ecclesiasticorum quorundam Obiectionibus uindicauit. Autor praeterea nobis et* Zelandiae *Ordinibus*

nibus fuit, ut eandem in curam toto animo incumberemus, uaticinatus, si hanc muneris nostri partem negligeremus, exitiale id Reipublicae atque Ecclesiae fore. In Mandatis, quae a nobis idem Princeps Arausionensium, *de exercitio collatae sibi potestatis, accepit, fuit illud quoque, ut, quae ad religionem pertinent, ordinaret, item, ne, Consistoria ulla esse, pateretur, nisi a nobis, aut Magistratibus, instituta. Verum haec omnia hodie euertuntur. Sunt, qui a ferendis legibus, quae ad ordinem, aut decorum Ecclesiae pertinent, ab ultima cognitione rerum Ecclesiasticarum ab Electione Pastorum ac Seniorum, Magistratus omnes, ipsasque summas Potestates, aperte excludunt, nihilque ipsis relinquunt, praeter executionem eorum, quae Ecclesiasticis placuere. Verbis facta congruunt. Habentur Ecclesiastici Conuentus, ab Ordinibus non indicti, immo, interdicti, honor Magistratuum, libellis et iactis in uulgus uocibus lancinatur, pluribus in locis, ubi dogmatum Controuersiae sunt nullae, uinculum Ecclesiasticae Vnitatis ob id abrumpitur, quod Magistratus, more ueteris Ecclesiae notissimo, assident Ecclesiasticis Conuentibus, et ad Electionem Pastorum ac Seniorum iuxta ipsos Pastores ac Seniores delegantur. Hac de causa, conquisitis signationibus, ad deferendos coetus ueteres plebs concitatur. Si obsistant Magi-*

Digitized by Google

Magiſtratus, et peſſimi exempli ſeceſſionem proba-
re nolint, ſunt, qui uim aperte minantur. Fue-
re et, qui intentarunt. Nos interim, gnari, quan-
to ampliora iura in ordinandis Eccleſiae rebus et
deſignandis Paſtoribus exerceant, non Reges *tan-*
tum et Electores, *Euangelicam ueritatem profeſ-*
ſi, ſed Comites *quoque* Germaniae, *et tum eiuſ-*
dem Germaniae, *tum* Helueticarum *Ciuitatum,*
Rectores, quomodo Geneuae *Seniores Eccleſiae*
non niſi ex Magiſtratuum numero eligantur ab
ipſis Magiſtratibus, indignum arbitramur, nobis,
qui pro tuenda uera religione, quantum uix quiſ-
quam, fecerimus pertulerimuſque, pro multiplici
beneficiorum genere has gratias rependi. Et, quan-
quam prudentiam Tuae Maieſtatis *ſemper ſumus*
uenerati, nunquam tamen antehac ſatis animo con-
cipere potuimus, tantum publicae autoritati peri-
culum imminere a Presbyteriali *iſta ſumma, im-*
perio non ſubordinata, gubernatione, quantum
iam pridem Maieſtas Tua *uoce, in* Hamptonienſi
praeſertim Conuentu et libris editis, praedixerat,
eamque ſecuti praeſtantes Angliae *Theologi mul-*
tis argumentis demonſtrauerant. Quanquam et
hic olim naſcentis tum primum licentiae argumen-
ta Princeps Arauſionenſis *praeuiderat. Nunc*
uero, exaequante tot oracula triſti experimento,
nihil habemus, quod prius accuſemus, quam diuti-
nam

Digitized by Google

nam noſtram patientiam ac lenitatem. Interea tamen confidimus, DEVM OPT. MAX., *inſtitutorem legitimarum poteſtatum, qui* Hebraeis *Regibus ſupremam ſacrorum non functionem, ſed gubernationem, diſerte imperauit, eiuſque muneris negligentiam graui aſcripſit culpae, haud paſſurum, eripi, quod ipſe conceſſit, ac ſine quo neque Eccleſia florentem ſtatum retinere, neque Reipublicae ſecuritas in tuto eſſe, poteſt. Speramus quoque,* Tuam Maieſtatem, *non immemorem eorum, quae,* A. CIↃ IↃ XCVII, Edimburgi, *ſimili obtentu, a ſimili hominum genere, perpeſſa eſt, omnibus modis oſtenſuram, quantopere ſibi diſpliceant ſchiſmaticae ac ſeditioſae molitiones.*

Alteram partem malorum, quae Eccleſias noſtras exagitant, natam, diximus, e theologicis quaeſtionibus. Ita enim ſe res habet. Ab initio repurgatae apud nos Religionis, cum inter paſtores, tum in fidelium plebe, de Praedeſtinationis *Negotio, et quae huic cohaerent, uariatum eſt ſententiis. Aliis enim ea probata ſunt dogmata, quae a* Caluini, Bezae aliorumque, *autoritate non parum ſibi dignitatis conciliarunt, eadem nimirum, quae in* Anglia *defenderant uiri docti,* VVithackerus *et* Perkinſius, *alii, ab his diſſidentes, ſententiae ſuae laudabant non ſpernendos Autores,* Eraſmum, Melanchthonem, Bullingerum *atque alios.*

Digitized by Google

alios. Quanquam uero, in Geldria *quoque et* Frisia *non defuisse Pastores, qui posteriorem hanc sententiam tuerentur editis libris, apparet, tamen, in* Hollandia VVestfrisiaque *et in prouincia* Traiectina, *maior semper fuit ita sentientium numerus, partimque uiuunt adhuc, partim obierunt, professores et pastores, qui, ante annos triginta et quadraginta, hanc docendi rationem publice sunt secuti, nemine ipsis eam ob rem mouente litem. Quod si quando, in Conuentibus Ecclesiasticis, ubi priorem illam sententiam plures tuebantur, quidam Ecclesiasticas eo nomine censuras fratribus intenderent, nos, ante annos uiginti et amplius, autoritate nostra talibus censuris intercessimus, et ad Concordiam fleximus Pastorum animos. Eandem uiam secuti sumus, cum ex Academia, cui includi subtiliores istas disputationes, aequum rectumque fuerat, in Ecclesias latius serpsisset contentio, priorisque sententiae Defensores posteriorem, ut Sacris literis,* Confessioni Belgicae, *et* Catechesi Heidelbergensi *apud nos receptae, aduersam, accusarent, contra, se ac sua tuentibus aliis. Vnde nata est collatio, quae* Hagae, *coram nostro consessu,* A. CIↃIↃCXI, *est instituta. Cuius is fuit exitus, ut, sine ullo sententiarum praeiudicio, pacem et charitatem dissidentibus commendaremus iis decretis, quorum itidem*

Digitized by Google

dem exempla tranſmittimus. Confirmati ſumus plurimum Maieſtatis Tuae *literis, quas ipſi uiſum eſt ad nos mittere, Martio Menſe,* A. CIↃIↃCXIII. *Iis etiam literis,* Maieſtas Tua, *expenſis iis, quae in controuerſiam uocabantur, pro ſumma ſua prudentia monebat, experiundo ſibi cognitum, Diſputationibus Theologicis id genus Quaeſtionum uix poſſe terminari, magis e re fore, ut publica autoritate ſopirentur, uetitis Miniſtris, eas diſputationes in ſuggeſtum aut ad plebem perferre, iuſſiſque, pacem colere, et, in iſta opinionum ac ſententiarum diſcrepantia inuicem ſe tolerare, ſaltem, donec, mature cognito negotio, autoritate publica aliter ſtatueretur. Addebat* Maieſtas Tua *compertum ſibi, neutram ſententiam ita deuiam, ut non poſſet cum fide Chriſtianae ueritatis, et cum animarum ſalute, conſiſtere. Similia ſuper hoc argumento ex Auguſto* Maieſtatis Tuae *ore ſe intellexiſſe, iam ante retulerant Legati Ordinum Foederatorum, qui in* Britannia *fuerant,* A. CIↃIↃCX. *Neque incognitum erat, cum pridem, in* Cantabrigienſi *Academia, eaedem quaeſtiones incaluiſſent, conceptas quidem* Lambethae *aſſertiones quaſdam, ſed nunquam iis acceſſiſſe publicam autoritatem. Et, cum,* A. CIↃIↃCIII, *a* Renoldo *eiuſque Sociis* Maieſtas Tua *oraretur, ut Corpori* Anglicanae *Confeſſionis pate-*

Digitized by Google

pateretur adiungi eaſdem aſſertiones, Maieſtati Tuae *minime ex re uiſum Eccleſiae, librum Confeſſionis farciri theologicis concluſionibus. Legebatur in alio libello,* Maieſtatis Tuae *iuſſu, conſcripto atque edito, rerum abſolute neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum. Quare exiſtimare* Tuam Maieſtatem, *nullam ad ineundam concordiam breuiorem uiam fore, quam ſi diligenter ſeparentur neceſſaria, et, ut de neceſſariis conueniat, omnis opera inſumatur, in non neceſſariis libertati Chriſtianae locus detur. Cum uero, in Decretis noſtris prioribus, nonnulli requirerent certos* Tolerantiae *fines, ne, iſtarum diſputationum obtentu, irreperent dogmata, aut, quae* DEVM *facerent peccati autorem, aut, quae gratiae uere gratuitae honorem delibarent, concepta eſt formula, quae, reiectis illis erroribus, quas Eccleſiae ueteres et reformatae damnauerant, tolerantiam diſputationibus, in Collatione tractatis, tanquam limitibus quibuſdam, circumſcriberet, cum praecepto, ne quis in reliquis doctrinae partibus quicquam doceret, quod a receptis per Eccleſias reformatas ſententiis diſſideret. Haec quoque formula ad* Maieſtatem Tuam *miſſa eſt, lectaque tum ipſi, tum inſignibus* Angliae *Theologis. Reſcriptum a Viro clariſſimo, non conſilium tantum* Maieſtati Tuae *aliiſque uiris*

Digitized by Google

grauiſſimis probari, ſed formulam quoque ipſam. Apparere enim, id actum, ut a duobus ſcopulis, in hac doctrina aeque periculoſis, hinc Manichaeorum, *inde* Pelagianorum, *populi auertantur, et in ea doctrina confirmentur, quae ſalutis noſtrae proram et puppim, principium ſcilicet, progreſſum et conſummationem, uni* DEO *aſcribens, contemptum tamen bonorum operum non inducat. En igitur, Formula ad Ciuitates* Hollandiae *ac* VVeſtfriſiae *miſſa, multis probata, tum illius, tum huius, ſententiae paſtoribus, maiori parti Conuentus placuit, factumque ea de re decretum eſt, quod ipſum quoque* Maieſtati Tuae *exhibemus. Acceſſerunt poſtea interpretamenta quaedam, quibus teſtati ſumus, neutram nos partem praelatam alteri uelle. Impetrata haec, donec plenius res cognoſcatur, atque interim* Confeſſioni *ac* Catecheſi *ſaluam manere, quam obtinuerat hactenus, autoritatem, ne quid iis aduerſum docere cuipiam liceat. In* Traiectina *prouincia, iam ante illud noſtrum Decretum,* Tolerantia *ſuper* Praedeſtinationis *controuerſia, et quae huic adhaerent, Synodi Prouincialis conſenſu et Ordinum imperio, ſancita fuerat, ut ex Canonibus, hic itidem exhibitis, uidere eſt. Nuper etiam* Tranſyluaniae *prouinciae Ordines pro* tolerantia *edictum fecere, quod ipſum quoque tranſ-*

Digitized by Google

transmittitur. Confidimus quoque, a nobis uicinarumque Prouinciarum Ordinibus in hoc negotio nihil factum, quod alienum sit a piorum Magistratuum officio et certissima sententia Ecclesiarum Reformatarum, ut cuius clarissimi Doctores, conuenienter exactissimo Maiestatis Tuae *iudicio, controuersias istas, quae uersantur in explicando ordine decretorum* DEI, *quibus gratia et gloria praeparantur, aut culpae praecognitae praeparatur supplicium in conciliandis gratiae internis actionibus, ad omne bonum spirituale necessariis, cum libero uoluntatis assensu, in componenda fiducia diuini contra tentationes auxilii, quae pios unice consolatur, cum timore et tremore, in quo salutem nostram iubemur operari, retulerint non ad fundamentum, sed ad id, quod superstruitur, partim aurum et argentum, partim foenum et stipulas, eoque conuincerent, eiusmodi dissensiones non obstare, quo minus retineatur unitas Ecclesiae et Catholica communio, quam etiam his, qui tum circa ista, tum in pluribus aliis, dissident,* Augustanae Confessionis *Pastoribus gregibusque Ecclesiarum reformatarum Pastores et greges saepissime obtulerunt. Quare dolemus, acerbis orationibus et libris, perque coitiones, rem ad apertum schisma productam illis in locis, ubi nullae ostendi possunt controuersiae, praeter*

Digitized by Google

ter eas, quae Hagienſi *Collatione tractatae ſunt. Sunt, qui exiſtimarint, haſce controuerſias nationalis Synodi deciſione terminandas. Nos uero* Maieſtatem Tuam, *pro ſumma ſua tum in rebus omnibus, tum in iis praeſertim, quae ad ordinandum Eccleſiae ſtatum pertinent, ſapientia, expendere oramus, prius, An utilis ſit futura illarum controuerſiarum deciſio, deinde, an recte per nationalem Synodum id poſſit expediri. Ad prius quod attinet, rogatur* Maieſtas Tua *examinare, an credibile ſit, in iis controuerſiis, de quibus manifeſtá eſt ueterum Patrum diſſenſio, de quibus inter Religionis inſtauratores conuenirì non potuit, ac ne inter Pontificios quidem conuenit, praeſtari poſſe a noſtri ſeculi ingeniis, quod hactenus nullá ſecula praeſtiterunt, ut in tantae difficultatis argumento certum aliquid definiatur, in quo aut omnium, aut partis maximae animi acquieſcant an uero potius contenti eſſe debeamus illis canonibus, quos contrà* Pelagium, Semi-Pelagianos, *et eos, qui ex aduerſo errabant, condiderunt* Africae *Epiſcopi in tribus* Carthaginenſibus, *unoque* Mileuitano *Concilio, et* Galli *in Synodo* Arauſiana, *quibus addi poſſunt ſententiae quindecim, ſiue* Auguſtini, *ſiue* Proſperi, *ad Capitula* Gallorum, *et illae, quas* Coeleſtinus, *Romae Epiſcopus, tranſmiſit. Et, an de cetero dicere non liceat, quod*

Digitized by Google

quod in eodem argumento dixit idem Coeleſtinus. *Profundiores difficilioreſque partes incurrentium quaeſtionum, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere. Videntur enim, ſi quae aliae, hae certe quaeſtiones eius eſſe generis, quibus optimo iure applicetur illud* Auguſtini, *Sunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi regulae catholicae defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant. Et illud* Vincentii Lirinenſis, *Antiqua Sanctorum patrum conſenſio non in omnibus diuinae legis quaeſtiunculis, ſed ſolum, certe praecipue, in fidei regula, magno nobis ſtudio inueſtiganda eſt et ſequenda.* Haec autem eo iuſtius ad noſtras controuerſias uidentur poſſe aptari, ſi recte conſiderentur ea, quae diſſentientium pars altera alteri conceſſit, quorum indicem Maieſtati Tuae *mittimus, ut inde appareat, quam multa, in confeſſo poſita, diſputationes anguſto limite coërceant. Accedit, quod, per* Hollandiam *et* VVeſtfriſiam, *aliaſque nonnullas Prouincias, ea eſt multitudo aliter atque aliter de his quaeſtionibus ſentientium, tum Paſtorum, tum aliorum, qui aut in plebe ſunt, aut etiam in dignitatibus conſtituti, ut, utramuis in partem definitio ceciderit, laboratura ſit aut Eccleſiae autoritas, aut tranquillitas publica. Alterum, quod ad* Maieſtatis Tuae

Digitized by Google

perſpicax iudicium deferimus, hoc eſt, An tutum ſatis ſit, et concordiae omnium Eccleſiarum conueniens, controuerſias, quae omes ferme Eccleſias ſunt peruagatae, unius noſtrae nationis Synodo determinari? Scit Maieſtas Tua, *cui omnis Eccleſiae Hiſtoria eſt cognitiſſima, de unitate diuinae eſſentiae, et perſonarum Trinitate, de unica* Chriſti *perſona, et duabus naturis, loquendi formulas, quibus detegerentur haeretici, et agnoſcerentur recte ſentientes, non nationalibus, ſed uniuerſalibus, Conciliis conſtitutas, et, ſi quando nationis unius conuentibus facti ſunt dogmatici Canones, ut contra* Pelagium *eiuſque reliquias, eos non ante ratos eſſe habitos, quam ad omnes Eccleſias miſſi, communis iudicii approbationem accepiſſent. Quoties aliter actum eſt, ferme uidemus, non abiiſſe id ſine diſpendio Catholicae unitatis, orta olim quaeſtione, An haereticorum baptiſmus uere baptiſmus eſſet? Nationalis* Africae *Synodus* LXXXVII *Epiſcoporum pronuntiauit. non eſſe. Aliis per orbem Eccleſiis aliter uiſum eſt, et, cum earum praeualuiſſet ſententia,* Donatiſtae *tamen illius Synodi autoritate ſchiſma fecerunt inſanabile. Ita et, cum, poſt oecumenicas Synodos,* occidentis *Eccleſia in Symbolo poſuiſſet, Spiritum S. a Patre Filioque procedere,* orientalis *Eccleſia, indignata, adiectum aliquid*

For-

Digitized by Google

Formulae citra consensum communem, abrupit unitatis uinculum, quod nunquam ex eo bona fide restitutum est. Habemus et recens in Germania *exemplum, ubi, cum* Saxones *Theologi et Pastores librum confeciſſent, quem* Concordiae *uocabant, in quo multa de effectibus hypostaticae Vnionis naturarum in* Christo, *de modo praesentiae Dominici corporis in* Coena, *item, de his ipsis nostris Controuersiis, quae ad* praedestinationem *et* liberum arbitrium, *et* amissibilitatem status iustitiae, *pertinent, definierant, placuit Reginae* Elisabethae *et piis* Germaniae *Principibus,* Francofurti *conuentum instituere, in quo Legati ipsius Reginae, item Ecclesiarum* Galliae, Poloniae, Hungariae, Bohemiae, Heluetiorum *et* Belgicae *nostrae, communi consilio, Epistolam ad* Germaniae *Principes scripserunt, in qua ostendunt, recte ipsos facturas fuisse, si consilia sua contuliſſent cum aliis gentibus, quae eundem, quem ipsi,* DEVM *inuocant. Extat* Roberti Beli, *Legati Reginae* Angliae, *pia atque erudita ad Principes* Augustanae Confessionis *Oratio, in qua docet, ex peculiaribus definitionibus sequi Ecclesiarum distractiones, quod omnes tangit, ab omnibus tractari debere, si quid definiendum sit, indicendum conuentum, ad quem conuocentur omnes, qui reformatam religionem profitentur, cum creda-*

Digitized by Google

mus, Ecclesiam Christi *esse uniuersalem, et negotia, eandem concernentia, uniuersalia, et non particularia, esse oportere, et, propter communionem, quae inter membra Ecclesiae esse debet, non posse aliquod iudicium ferri in Ecclesiis* Germaniae, *quod non ad alios spectet et pertineat. Eadem ferme, eodem tempore, monuerunt Ecclesiae nostrae* Belgicae, *edito eam in rem praeclaro libello. Tam piis moderatisque consiliis cum non auscultarent Doctores* Saxonici, *sed paucarum Prouinciarum consensum subscriptionibus firmarent, secuta inde est illa, luctuosa nobis, lucrosa hostibus, Euangelicarum Ecclesiarum diuulsio. Quod ipsum satis graue nobis Exemplum esse debet, ne tale quid iterum committamus. Eo autem magis ad communem Euangelicarum Ecclesiarum statum pertinebit, quicquid de* praedestinatione *et adhaerentibus quaestionibus statuetur, quod* Augustanae Confessionis *theologi in his controuersiis nunc maxime pedem figant. Quare cauendum in primis uidetur, ne quos* Maiestas Tua, *Electores* Palatini, *apud nos quoque Princeps* Arausionensis, *totaeque Synodi, ad communionem reuocandas censuerunt, eos noua controuersorum dogmatum definitione longius a nobis alienemus. Neque illud silentio praetereundum, tam diu apud nos decertatis hisce controuersiis pauciss-imos esse Pastores, quos non suspectos habeat par-*

Digitized by Google

partium altera, quippe cum et singulorum, et integrorum, conuentuum praeiudicia extent, quae futuri iudicii autoritatem non leuiter infringant. Non est dubitandum, quin Maiestati Tuae, *inter assiduas pro salute Ecclesiae curas, saepe inciderit cogitatio conuocandae Synodi generalis Ecclesiarum Reformatarum. Neque sane cuiquam magis conuenit, in eo laborare, quam ei, cui inter emendationis religionis Principes principem locum assignauit* DEVS. *Vtinam uero, sicut aliis uirtutibus, ita hoc quoque negotio feliciter peragendo, illum ex eadem* Tua Britannia *diuinitus concessum Ecclesiae* Magnum Constantinum Tua Maiestas *exaequet. Sane, non ad haec nostra tantum, sed etiam ad alia plura, Ecclesiae mala sananda, praesentius nullum esse remedium, monent eruditissimi Pastores, monuit et nos ipsos, anni iam sunt decem,* Fridericus, Elector Palatinus. *At, sicut tum idem Elector existimauit, medio tempore inter eos, qui in* Germania *super his aliisque capitibus dissentiunt, consensum talem, talemque coniunctionem, statui ac seruari debere, qualis* Sendomiriae *sancita fuerat, quoniam omnes (uerba sunt Electoris) unum fundamentum fidei et salutis habeant, ac, solius* Christi *gratia saluari se, credant, atque ita unius corporis membra sint, cuius caput est* Christus, *defectus*

Digitized by Google

ctus uero imperfectionemque mutuo tolerandam esse, certo consilio, id DEO *gratius et utrique parti utilius fore, quam pertinacem in schismate perseuerantiam, ita cogitandum* Maiestati Tuae *relinquitur, an non idem apud nos sequendum sit. Interea, cum non tam opinionum discrepantia, quam contentiosus docendi modus, animos et Pastorum, et plebis, exasperet, utile credimus, sine sententiarum praeiudicio, ex his, quae confessa sunt inter partes, aut alioqui satis certa, formulam aliquam sobriam atque moderatam constitui, quae paci et aedificationi, pro temporum ratione, optime conueniret, ad quam homilias suas Pastores confirmarent. In qua constituenda obseruandum in primis uidetur illud* Mosis, *„Quae „occulta sunt, penes Dominum* DEVM *nostrum sunt, at, quae reuelata nobis et filiis nostris, usque „in seculum reuelata sunt, ut faciamus omnia „uerba huius legis.„ Et affine* Pauli *Apostoli illud, „Ne quis sapiat supra modum, ultra, quam oportet, sed sapiat ad sobrietatem.„ Memorabilis est et* Angliae Tuae *Canon. „In primis uidebunt „concionatores, ne quid unquam doceant pro con„cione, quod a populo religiose teneri et credi ue„lint, nisi, quod consentaneum sit doctrinae V. et N. „T., quodque ex illa ipsa doctrina catholici Patres „et ueteres Episcopi collegerint.„ Proprie uero ad*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiarum noſtrarum ſtatum id pertinet, quod Vir eruditiſſimus, Hieronymus Zanchius, *ſcriptum reliquit,* "*Cum utraque pars diſſidentium*" *cum ſcandalo Eccleſiae imprudenter et intempeſtiue inuehitur, debere mandare Principem, ut*" *utraque pars contenta ſit locutione S. Scriptu*"*rae, item, ne pars altera alteram publice damnet,*" *dum in libera Synodo legitime de ea re diſcepte*"*tur et definiatur. Hoc enim eſſe conſilium Apo*"*ſtoli, repetitum millies ab* Auguſtino *ad hoc pro*"*poſitum, Quotquot perfecti ſumus, hoc retinea*"*mus* (Chriſtum *ſcil. fundamentum.*) *Quod ſi quid*" *aliter ſentitis,* DEVS *id quoque reuelabit, modo*" *in eo, ad quod peruenimus, permaneamus.*" *Nihil autem uerius, arbitramur, dici potuiſſe eo, quod* Maieſtatis Tuae *poſtremis ad* Ordines Foederatos *literis continetur, Nimis curioſarum eſ*"*ſe mentium, de* praedeſtinatione *ex ſuggeſtu diſ*"*ſerere. Neque tantum infructuoſas eſſe eiuſmo*"*di diſſertationes, ſed, loco ſolidae aedificationis,*" *commoueri prurientes animos apicibus argumen*"*ti, et ſublimioris, et obſcurioris, quam in multi*"*tudinis captum cadat.*" *Quanquam autem decreta noſtra, antehac, audito Paſtorum iudicio, facta, ad hos fines reſpiciant, tamen non deſperamus, quin, obſeruatis cautionibus iſtis, de propriore atque preſſiore aliqua regula poſſit conueniri.*

In

Digitized by Google

In qua constituenda multum nos iuuare posset et Maiestatis Tuae, *et* Britanniae *Theologorum, prudens Consilium. Et hoc quidem modo, arbitramur, non* Hollandiae *tantum et* VVestfrisiae, *sed et aliarum quarundam Prouinciarum, Ordines obtinere id posse, quo omnes omni ope conniti,* Tua Maiestas *hortatur, ut nimirum sopiantur tristes illae, proculque dubio tum in Ecclesiam tum in Rempublicam exitiosae, distractiones, quas controuersiae de* Praedestinatione *et ei affines attulerunt, saltem de eo, ut, dictum iam est, commune aliquod extet super iisdem reformatarum Ecclesiarum iudicium. Ea uero dogmata, quae uniuersali Ecclesiarum, aut ueterum, aut reformatarum, consensui repugnare, ex Synodis antiquis, aut ex Euangelicarum Confessionum, quas inter et nostra est, edita in hunc finem Harmonia, apparet, iudicamus, nullo modo esse ferenda, aut dissimulanda, quod et plurimis decretis testatum fecimus, multumque dolet nobis, dum illa tolerabilia, de quibus ante egimus, non tolerantur, ex schismatum licentia nasci Ecclesiastici ordinis euersionem, quae deinde efficit, ut multa minus tolerabilia irrepant. His autem euellendis, ut, quantum fieri potest, operam demus, satis intelligimus, nos, ratione eius, quod gerimus, muneris,*

Re-

Digitized by Google

Regum Regi et Domino dominantium obligatos.

Synodum Communem Foederatarum Prouinciarum, quam Nationalem uocant, quod attinet, ab ea iam olim complures Prouinciae animo fuerunt alieno. Primum, quia Prouincia unaquaeque ante aliquot ſecula proprias leges, propriaque inſtituta, ac proinde perfectam intra ſe Rempublicam, habuit. Cumque plures armorum ſocietate et arcto foedere inter ſe coniunctae ſint, uetera tamen illa Imperii iura minime permiſcuerunt, de Religione autem cautum uoluerunt nominatim, ut Prouinciae cuique eius ordinandae Saluâ maneret Libertas, aliarum Prouinciarum imperiis non obnoxia etc.

Sed Controuerſiae illae in *Belgio Foederato*, *Arminianos* inter et *Gomariſtas*, quae per mutuam tolerantiam ſopiri poſſe credebantur, magis magiſque, hac tempeſtate, exaeſtuabant. Neque enim tantum quinque illi Articuli *Remonſtrantium*, ſeu *Arminianorum*, ſub aeſtu erant contentionis, ſed etiam illa, quae Ordines ipſos tangebant, *de ſummarum imperio poteſtatum circa ſacra*, quam *Arminiani* Ordinibus uindicabant, *Gomariſtae*, contra, plerique uellicabant, et, praeter externam curam atque execu-

Digitized by Google

executionem, uix aliquid concedebant. Neque deerant, inter ipsos magistratus, ipsosque Reipublicae Proceres, qui *inconteſtabile* ius in res Eccleſiasticas Ordinum *Hollandiae*, arbitrium ad *Delegatos F. B.*, deferrent. Quae res poſtea magnis motibus anſam dedit. Vtraque enim pars litigantium *Angliam* in partes trahere conata eſt, haud dubie maximum momentum ac pondus, tum ob autoritatem Regis *Iacobi*, tum etiam Eccleſiae illius florentis. Et ſane, ſi, uerum fateri, conuenit, non ipſe tantum Rex, ſed etiam plures Epiſcopi, non prorſus alieni ab *Arminianorum* ſententia fuerunt. Producam, in eius rei fidem, *Ioannis Oueralli*, doctiſſimi Epiſcopi Conuentrienſis et Lichtfeldenſis, Epiſtolas ueras ad H. GROTIVM.

IOANNES OVERALLVS
HVGONI GROTIO
S. D. P.

Clariſſime Domine,

Redditae mihi ſunt literae tuae, cum libro de Imperio ſummarum Poteſtatum in Sacra, et exemplari libri Thomſoniani, *de quibus ſingulis tibi gratias ago, de libro tuo potiſſimum, quem ſtatim raptim percurri, non minore delectatione, quam auiditate. Sed, quantum gaudii ex libro tuo,*

Digitized by Google

tuo, tantum doloris ex literis, percepi, quibus controuersias uestras, de Praedestinatione, *recruduisse, perque insanas callidorum hominum molitiones in schisma passim erupisse, intellexi. Quasi scilicet in illis scitis theologicae disquisitionis sita esset ipsa salus fidei catholicae. Narrabo tibi hac de re, quid, initio huius anni, dicere mihi et audire contigerit. Aderam forte* Serenissimo Regi *nostro, in postremis festis natalitiis* Christi, *Seruatoris, cum quaereret ex me de Archi-Episcopo* Spalatino, *qui paulo ante ad nos uenerat, num quos cum illo de rebus theologicis sermones habuissem? Vbi cum respondissem, habuisse me aliquos, et in his me quandam eius sententiam ualde probare, quam ille de uestris controuersiis, de* Praedestinatione, *dum per uos transiret, interrogatus responderat, non illas sibi uideri res fidei catholicae, sed disputationis theologicae, ideoque non esse permittendum, ut Concionatores hisce de rebus, publicis et aduersis concionibus, ad distractionem plebis, inter se contenderent, sed potius priuatis colloquiis doctorum, e liquidis Scripturae Sacrae et antiquitatis testimoniis, easdem componerent. Subiecit* Serenissimus Rex, *se eiusdem esse sententiae, uiderique sibi temerarium, de huiusce modi quaestionibus diuinae* Praedestinationis *tam scrupulose homines contendere, tamque*

Digitized by Google

confidenter asserere, quasi, coelo delapsi, diuinis consiliis interfuissent. Quam grauissimam Serenissimi Regis sententiam Episcopi, qui audiuerunt, comprobarunt. Atque obiter haec hactenus. Quam breui remitti tibi librum uelis, cupio cognoscere. Episcopus Elienſis *in* Scotia *est cum* Sereniſſimo Rege, *reuersurus ad Michaelis, siue mense Septembri.* DEVM *precor, ut turbas uestras sedet, et laboribus tuis benedicat.* Londini, Iun. xx, CIↃ IↃ C XVII.

tui studiosissimus,
IO. OVERALLVS,
Episc. Conuentrienſis et Lichtfeldenſis.

IOANNI OVERALLO,
EPISCOPO CONVENTRIENSI ET LICHTFELDENSI,
HVGO GROTIVS.

Reuerendissime Domine ac Pater,

Exosculatus sum aliquoties literas, ex quibus, et te uiuere, et mei memorem esse, intelligo. Tomsonianum *librum, peruelim, edi emendatius. Ita enim meretur et argumentum, et in argumento autoris industria. Meam, de Imperio summarum Potestatum, diatribam, uelim, et legas diligenter, et iis, quorum iudicio aliquid tribuis, tradas legendam, seruesque, donec redibit* Elienſis... *ac deinde collecta omnium Iudicia, si impetrari id potest, cum libro ad me redeant. Controuersias de*

Digitized by Google

de Praedestinatione *magis magisque in schisma erumpere, est sane, ut scribis et dolendum, et iniquum. Atqui* Sereniſſimi Regis, *id uel maxime, ut scio, tuque nuntias, improbantis, autoritas obtenditur. Quasi, postremis ad Ordines epistolis, pullulare haereses, cum dicit, eo animo complectatur sententias a Caluino dissidentium? Mitto pietati tuae librum, qui Epistolas duas complectitur, alteram* VValachrorum, *qui* Caluinum *ferme sequuntur, alteram* Remonſtrantium, *qui ad* Melanchthonem *accedunt propius. Ex eo libro, promptissimum erit, omnem controuersiae statum intelligere. Rogo, aduertas animum, si res tuae permittunt, et, qua potes, ueritati pacique ne desis. Ego* DEVM *precabor, ut te tuique similes, bono sanctae suae Ecclesiae, diu seruet. Vale, mi Pater.* IX Iulii, A. CIↃIↃCXVII, iuxta Calendarium *Roterodami.*

Tuae pietatis reuerentissimus,

HVGO GROTIVS.

IOANNES OVERALLVS HVGONI GROTIO

Salutem in Christo.

Accepi literas Tuas, Clarissime Domine, cum responso Remonſtrantium *ad Epistolam* VValachrorum, *legique libenter, et miror doleoque,*

Digitized by Google

esse tam multos, qui sententiam tam moderatam, tam piam et doctam, ferre non possint. Ita Parcarum tabulae uoluerunt. *Ego hodie dioecesin meam peto, in occursum* Sereniſſimi Regis, *per eam e* Scotia *redeuntis, qui, abiens, in mandatis mihi dedit, ut illi reduci ad* Conuentriam *adessem, zelotarum quorundam causa, qui in illa urbe morem Ecclesiae nostrae, Sacramentum corporis et sanguinis* Christi *de geniculis accipiendi, oppugnant, aut eum saltem colere et custodire recusant. Vbi, si* Elienſis *in comitatu Regio fuerit, tradam illi librum tuum,* de Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra, *uti rogas, sin prius a Regis comitatu in suam dioecesin diuerterit, remittam* Londinum *ad aedes eius, quam primum illuc redierit. Tu recte feceris, si literas ad eum eo nomine perscripseris, interea, dum ad urbem rediero, quod ineunte Octobri,* DEO *uolente, facturus sum, et te, praestantissime* GROTI, *et causam uestram,* DEO O. M. *commendabo precibus meis, nec alias uerbis factisque defuturus sum, si eam quocunque modo promouere potuero. Vale. Idibus Augusti,* A. CIↃ IↃ C XVII.

Tui studiosissimus,
IO. OVERALLVS,
Episc. Conuentrienſis et Lichtfeldenſis.

Interim *Galliae* Rex operam dabat per ſuos lega-

Digitized by Google

legatos, *Maurerium* et *Bossissium*, ut, per demonstrationes, ab his factas, A. CIↃIↃCXVII, XVIII et XIX, tam OO. Generales, quam Status *Hollandiae*, ad concordiam perduceret, ad declinandas turbas. Ea de causa GROTIVS, in Praefatione Apologiae, ita loquitur. *Rex Galliae, intellectis amicorum dissidiis*, Bossissium *ad ipsos allegat, qui consequenter his, quae per* Maurerium, *eiusdem Regis Ordinarium legatum, acta hactenus fuerant, auctor esset omnium, quae ad concordiam spectarent.* Hae uero demonstrationes proficiebant parum, *Arminianis* summarum imperium potestatum circa sacra cuique Prouinciae uindicantibus, cum Ordines, in rebus ad religionem spectantibus, semper sibi ipsi prospexissent. Contra, *Gomaristae* in dubium uocabant hoc ius Ordinum *Hollandiae*, Ordinibusque Generalibus ascribebant, ut, tali ratione, animi magis magisque exacerbarentur. Nec a parte Principis bene res euentura fuisset, nisi *Iacobus*, Rex *Angliae*, partibus Principis fauens, interposita autoritate sua, eo rem perduxisset, ut causa aliquantum differretur, donec primus ille ardor deferbuisset, Princepsque hac ratione occasionem nancisceretur autoritatem suam magis magisque stabiliendi. *Nisi, pro eo seruando, grauius desudasset Rex*

Digitized by Google

Angliae, scribit Piasecius, *et ipsemet* Mauritius *propria industria, in herba, ut aiunt, oppressisset periculum, armis aduersae parti celerius ademptis, ac Synodo nationali, pro suo uoto, instructa etc.* Eo etiam facilius Regem Princeps partibus suis adiungebat, ut de *Oldenbarneueldio* premendo simul cogitationem susciperet, quoniam antehac regi persuaserat, *Oldenbarneueldio* acceptum esse ferendum, quod Rex uoti et sessionis, itemque locorum *Flissingiae, Brilae*, et *Remecken*, A. CIↃIↃCXVI, fecerit iacturam, de quo pluribus infra. In Mandatis igitur dabat Rex legato suo, ut Ordines, nomine suo, rogaret amice, ut, instituta ocyus nationali Synodo, turbas, ob *Arminii* doctrinam nuper natas, intra prima sua principia diligenter suffocare contenderent, oratione sequenti.

ORATIO LEGATI MAGNAE BRITANNIAE REGIS, AD GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES.

Equidem praeuaricationis in DEVM, *Regem, Dominum meum, et Vos, Illustres Ordines, crimen effugere non possem, si uos de publicis calamitatibus, quae uobis impendent, et uniuersali exitio, quod dissensiones Ecclesiis et Rebus publicis afferre solent, non commonefacerem. Rem enim eo*

dedu-

deductam, uideo, ut, nisi mature prouideatis, a naufragio non procul abstitis. Parum igitur mandatorum, a Rege, Domino meo, acceptorum, et officii mei ac iurisiurandi, quo, tanquam Consiliarius Ordinum, Prouinciis Foederatis obstrictus sum, memor essem, nisi ea, quae ad originem et progressum huius mali, totumque statum praesentem cognoscendum, facere, arbitror, uobis exponerem, ut de remediis adhibendis cogitationem mature suscipiatis. Etsi enim non ignorem, desperatis morbis, ut tradit Hippocrates, in Aphorismis, medicinam adhibendam non esse, tamen, rem eo loco nondum esse, puto, quamuis proximum uideatur esse exitium, et periculum sit, ne, uobis cunctantibus, et malis quotidie inualescentibus, consilium omne sit inutile et fructu sperato careat. Quod igitur ad originem Controuersiae istius, quae nunc agitatur, attinet, certum est, diu ante tempora Arminii, qui nuper Leydae theologiae Professor fuit, errores quosdam irrepsisse, et capita quaedam de articulo Praedestinationis in dubium fuisse uocata. Nihilo minus status Ecclesiae pacatus et tranquillus fuit, usque ad tempora Arminii, ita, ut turbae et dissidia, in Ecclesiis reformatis excitata, propter toleratum de Praedestinatione errorem, nulli, praeterquam Arminio, accepta referri debeant, qui schismatis huius et

factionis dux et autor. Ex cineribus ipsius exorti sunt non nulli, qui peculiares opiniones, quas ille, dum uixit, fouit, excludere, et palam in Ecclesiam inuehere, modis omnibus allaborarunt. Hi, cum uiderent, se erroneam suam sententiam, ordinaria uia, in coetibus Ecclesiasticis tueri non posse, ad politicos, nempe ad particulares Ordines Singularum Prouinciarum Foederatarum, confugerunt. Tunc, sublato nomine Arminii, Remonstrantes *dici, uoluerunt, et Orthodoxos* Contraremonstrantes *appellarunt, et, reluctando, excipiendo, replicando, nihil intentatum reliquerunt, ut aduersarios opprimerent. Iidem postea in gratiam Ordinum Prouincialium se insinuarunt, quorum fauore subnixi, officia et dignitates ambiuerunt, et, inuitis fere omnibus urbibus, tolerati ac promoti fuerunt. Theologi autem in concionibus insolenter admodum se gesserunt, et, sub uano praetextu quinque Articulorum, nondum satis examinatorum, an cum uerbo* DEI *congruant, multa falsa dogmata disseminarunt, multas calumnias, contra Ministros orthodoxos et fidos religionis reformatae antistites, excogitarunt, et uariis modis auditores ab ipsis abalienare conati sunt, denique in urbibus et alibi summum rigorem exercuerunt, reuocato, ab una quidem parte, odioso Inquisitionis, ab altera luctuosae afflictae Ecclesiae, nomine, Superio-*

Digitized by Google

periorumque autoritate abusi, se solos Magistratui obtemperare, praedicarunt. Contraremonstrantes *autem, tanquam seditiosos et quietis publicae perturbatores, insectati sunt, uoces ambiguas in populum sparserunt, magistratum ad arma capienda exstimularunt, praesidium sibi a seculari brachio externaque potentia quaesiuerunt, in quibusdam urbibus et Prouinciis copias conscripserunt, et uires undique ad sui defensionem contraxerunt. Haec, inquam, est origo, initium et progressus praesertim, calamitatum. Vigent in Ecclesia dissensiones, et errores. Vrbes dissidiis intestinis laborant, persecutiones recrudescunt, magistratus simultatibus, populus odiis, distractus est. Hinc turbae inter plebem, contentiones inter ueteres et nouos milites, effusio sanguinis humani, trepidatio subditorum, plausus et risus hostium, dolor et gemitus amicorum. Quoniam uero contraria iuxta se posita magis eluescunt, operae pretium est, considerare, quis fuerit harum regionum, ante sectam istam* Arminianam, *status. Summa erat inter Ecclesias et urbes concordia, una Magistratus uoluntas, mutuus in subditos amor, iudices aequitatis et iustitiae diligentem rationem habebant, milites erga omnes, hostibus exceptis, beneuolos se praebebant, omnes denique laetitia exultabant, cum uiderent manifesta benedictionis*

Digitized by Google

diuinae in has Prouincias indicia, hostibus ringentibus et amicis uobis gratulantibus. Quoniam igitur, praeteriti temporis memoriam recolentes, fateri cogimur, statum Ecclesiae tunc fuisse pacatiorem et feliciorem, quam nunc est, Remonstrantes *hanc meam commonefactionem, ut supra, non aspernabuntur, sed probabunt, atque operam dabunt, ut felix illud seculum renascatur. Non igitur pertinaciter opinioni* Arminii *inhaerendum, sed, trutina uerbi diuini in manus sumpta, explorandum est, utra opinio propius ad ueritatem accedat, aut, quomodo, et quibus conditionibus, utraque in Ecclesia* DEI *tolerari possit, prius sciendum, quis in hac causa iudex esse debeat. Magistratui certe politico potestas ista soli deferenda non est, ne* DEO, *quod* DEI *est, eripiatur. Quare, ne uel illi, qui in corpora nostra imperium habent, praetereantur, uel, quibus animarum nostrarum curam* DEVS *commisit, negligantur, unicum remedium supereſt, quo Ecclesia in huiusmodi casibus semper usa est, nempe Synodus Nationalis. Nam, cum malum ab una prouincia in aliam iam penetrarit, Prouincialem quidem Synodum uiam ad Nationalem parare, non autem malum, quod iam tantas radices egit, curare potest. Certissimum igitur remedium, et turbis istis componendis, atque omnibus malis eradicandis aptissimum, plerarumque*

Digitized by Google

que Prouinciarum et Regis ipſius iudicio, eſt Synodus Nationalis. Nolo eſſe curioſus in aliena Republica, neque iudicium meum interponere, quantum una Prouincia alteri deferre, aut omnes communi Reipublicae tribuere, debeant, hoc ſaltem dicam, cauendum eſſe, ne commune uinculum, quo omnes Prouinciae ab initio inter ſe colligatae fuerunt, diſſoluatur. Vnio Vltraiectenſis *fundata eſt in religione, nec eſt, quod quis dicat, relictam tunc fuiſſe cuilibet Prouinciae ſuam in religione libertatem. Nam id propterea factum eſt, ut pura religio reformata tanto magis creſceret, et propagaretur, non, ut noua introduceretur. Vnio, inquam,* Vltraiectenſis, *aſſerendae et confirmandae Religionis reformatae cauſa, ſancita fuit, tametſi Prouinciae, quae nondum erant ad Vnitatem Eccleſiae, qua iam fruuntur, redactae, tunc prorſus Contrarium ſenſerint. Etſi uero inter Prouincias, de hoc Capite, quod ad Religionis puritatem ſpectat, conueniri non poſſet, tamen Regis autoritas minime eſt contemnenda, qui iam pridem omnes has difficultates perſpexit, et de iis Ordines monuit, cum de* Vorſtii *cauſa ageretur. Tunc enim aperte praedixit, nullum bonum fructum ex publicis* Armirianorum *Concionibus de* Praedeſtinatione *eſſe expectandum. Inde facile erat, iudicare de ſincero ſuae Maieſtatis erga Prouincias*

Digitized by Google

uincias et communem cauſam religionis affectu. Cuius ſalutaribus monitis et conſiliis locus omnino dandus erat. Nihilo minus Rex poſtea nihil magis curae cordique habuit, quam, ut Ordines denuo per literas moneret, antequam in Scotiam *proficiſceretur, ut, indicta Synodo Nationali, radicem omnium horum malorum euellerent. Verum ad literas ipſius, XIII Calend. April. datas, nihil hactenus reſponſum fuit, et res adhuc in incerto eſt. Rex poſtea, ab itinere ſuo reuerſus, quamuis coelum mutaſſet, tamen animum non mutauit, ſed in eadem erga Vos beneuolentia conſiſtit. Quam ob rem Vos rogo, ut ad literas ipſius reſpondeatis, atque ita re ipſa demonſtretis, quanti eius monita faciatis, et, quanto pacis in Eccleſia et Republica conſeruandae ſtudio teneamini.*

Quo euenit, ut factio Principis maius in dies caperet incrementum, et, quia militares copias omnes in ſua manu habebat, imperitam plebem prauis propoſitionibus, de quibus accuſabantur *Arminiani*, facile mouebat, cum plebs perſuadere ſibi non poſſet, Principem, qui, in gratiam communis uulgi libertatis, iam per longum temporis ſpatium, tanta ſubierat pericula, aliquid mali in mente moliri. *Arminiani*, impares ſe, conſpicati, aduerſariorum uiribus, et Synodo, quae inſtituebatur, diffidentes, praeuer-

Digitized by Google

uertendum periculo, autoratis hinc inde aliquot militum signis, censuerunt. *Vltraiectinorum*, *Leidensium*, *Harlemensium*, in primis, id consilium erat, autoribus, ut ferebantur, *Ioanne Oldenbarneueldio*, Viro summae apud *Batauos* autoritatis, *Ioanne Vtenbogardo*, Presbytero Hagiensi, *Adolpho Valleo*, *Aegidio Ledembergio*, *Rumoldo Hogerbecio*, Syndico Leydensi, H. GROTIO, Roterodamensi, et aliis, qui, cuique Ecclesiae id iuris esse, contendebant, ut, pro suo arbitratu, pastores sibi legeret, quo, hac ratione, tam communem causam, quam suam priuatam conseruationem et commodum, propugnarent, et Synodo Nationali sese opponerent, urgentibus *Hollandiae* Rectoribus plerisque, *Traiectinis* quoque et *Transisulanis* et parte *Geldriae*, qui, plus nocumenti, quam emolumenti, suae regioni Synodum esse allaturam, credebant, metu malorum, quae ex definitionibus nasci solent. Idque non frustra. Quis enim, uitae sanctitatem morumque integritatem inter Doctores Ecclesiae, in eiusmodi Concilio, regnare, statueret? Quis sanctam, sine affectibus pronuntiatam decisionem, in eo expectaret, ea tempestate, qua in Ecclesia nihil, nisi accusationes, damnationes, iurgia, diffidia, partium bella, audiebatur. Hi etiam, qui illud sibi boni imagi-

Digitized by Google

imaginantur, quod in Concilio isto omnium primo, praesentibus Apostolis, praesente uniuerso quoque Laicorum coetu, *Hierosolymis* celebratum est et decretum, discrimen ingens utrinque offendent. Nam in illo praecipuum erat, dictans ea, quae uera erant, ipse Spiritus S., qui in eorum decretis definiebat omnia et constituebat. Sed, ueritatem ad paucorum arbitrium referre, quippe quae altercando plerunque amittitur, eandemque in disputationis discrimen coniicere, ac pro eadem, tanquam pro aris focisque, certare, eam denique, non, quod uera, sed, quod res quaedam propria sit facta, propugnare, pro uictoriae gloria nihil sanctum, aut inuiolabile, ducere, si hoc est, ueritatem sequi, ego, me *Pilatum* uel *Gamalieli* praeferre, ingenue profiteor. Quod dum apud me recogito, nihil miror, *Gregorium Nazianzenum*, paulo reliquis sinceriorem, suo iam tempore, fassum esse, *Nihil fere sani esse ab his Conuentibus expectandum*, quatenus pro autoritate gestum, pro autoritate pronuntiatum, et, pro autoritate accusati, aut, causa uel plane non, uel non satis, cognita, sunt damnati. Sunt eiusmodi Confessus mali augurii, sunt publicorum maximorumque testes malorum. Quorum enim de recuperanda ualetudine desperare incipimus, ad

eos

Digitized by Google

eos curandos, uel e longinquo medicos accerſere ſolemus. Conſultatur, diſputatur, raroque inter medicos conuenitur, plurium calculus uincit, eo denique res perducitur, fateri ut cogatur aegrotus, medicorum ſibi multitudinem exitio fuiſſe. Laudationes non parcae haudquaquam ibi deſunt, multo minus machinae et fraudes, ſcopuſque uix unquam iuſtitia ac ueritas, nunquam uero non uis et licentia eorum, qui frena prenſant. Sed, quid opus eſt Conciliis, aut, quid Synodis talibus eſt opus? Lites de religione aut eius ſunt generis, ut uel capita eius primaria, uel ſecundaria tantummodo quaedam, in ea ſpectent. Quod ad primaria attinet capita, non opus eſt Concilio, non Synodo, cum Scriptura S. eiuſmodi tricas iam ſatis ſuperque confutauerit, DEVSque O. M. clariſſime, immo, luce meridiana clarius, omnem ſuam diuinam uoluntatem humano generi aperuerit iam olim. Huic, ut unicae fidei normae, inhaerendum, et brachio haud indigebimus humano. Hanc Religionis normam qui ſequi detrectat, exeat e Republica mature, et bene ipſi precetur. Contra, ſi ſunt res ſecundariae, optime ſcio, plurimas collinèare ad ſophiſmata et ſubtiliores quoſdam fines, qui a Clericis non nullis, inſolèntia infla-

inflatis, et inquietis, saepissime maiores iactantur, quam reuera sunt, ut consultissimum hic sit, si Dominus territorii hos, per Politicos, alienos a partium studiis et prudentes, perque eiusmodi Theologos, quos *Paulus* in religione Christiana requirit, et quales esse debent, discutiendos curet. Hi partis dissentientis falsam opinionem redarguere possunt, et, si oppositа his dubia nullius sint momenti, nec ulteriore digna disquisitione, Dominus territorii potestatem utique habet eminenti sua autoritate utendi, nocentique, immo, quod consultissimum est, utrique parti silentium imponendi. Profecto, si Principes, in plurimis religionis dissidiis, autoritatem, a DEO sibi concessam, adhibuissent, nec, inutiles litigationes tantopere irradicare, passi fuissent, multas procul dubio, scissiones intermissae, nec plures scintillae in ignes, aegre extinguibiles, toties euasissent.

Pars igitur altera ui perrumpebat, et, quanquam *Oldenbarneueldius Vltraiecti*, ciuibus consilium dederat, ut suum praesidium, in securitatem suam instructum, quodque, uigore priuilegiorum suae Prouinciae, quae Ordines cuiusque Prouinciae in *Vltraiectenſi* unione sibi reseruauerant, retinere niterentur, Princeps tamen

men et eius amici, quibus *Oldenbarneueldius* tam erat infensus, hunc conatum esse cum perduellionis crimine coniunctum, arguebant, Ordinesque permouebant, ut *Vltraiectinos* excubitores opprimerent, exarmataeque ciuitati Rectores darent, ab istis consiliis alienos, conspirationis incentoribus in uincula abductis, *Lugduni* quoque, *Harlemi*, *Amstelodami*, *Dordraci*, *Delphis*, *Schidami*, *Brilae*, *Schonhouii*, *Gorcumi*, *Medenblici*, *Monachodami*, *Hornae* aliisque in locis, Senatum *Arminianum*, Praesides maxime sinceros ac patriae fidos, remouebant ab officio, hisque *Gomaristas* surrogabant. Breui post tempore, Princeps, per Conuentum extraordinarium, ex octo uiris constantem, sub nomine Ordinum, d. 22 Augusti, A. C. CIↃIↃCXVIII, *Ioannem Oldenbarneueldium*, Aduocatum generalem, et Sigilli *Batauorum* Custodem, in captiuitatem deduci, arcique *Hagae Comitum* includi, iubebat, et quidem conclaui eidem, in quo Archithalassus *Aragoniae*, *Mendoza*, fuerat olim detentus. Praemonebatur quidem *Oldenbarneueldius*, at ille innocentia sua fidebat. Duo quoque genere nobiles uiri conabantur ipsum liberare, uerum hi ipsi in custodiam ducebantur. Contra ea, Mandatum edebatur, sine sigillo tamen

Digitized by Google

et nomine, quo confirmabatur, *Oldenbarneueldium*, alioſque cum eo captiuos, iuſte comprehenſos eſſe, ut omne detrimentum, in Rempublicam alioquin redundaturum, mature auerteretur. Multorum tamen ea res in ſe oculos animoſque conuertebat, neque aberat ſuſpicio, FF. Ordinum iuſſu hos uiros fuiſſe in uincula coniectos, cum quidem *Oldenbarneueldius* Miniſter etiam ipſe eſſet *Batauorum*, adeoque, ſaluo *Batauorum* iure, abripi ab illis in cuſtodiam haudquaquam debuiſſet.

Eodem tempore, in poteſtatem ſuam redigebat *Hogerbecium*, urbis *Lugduni* Syndicum, inſigni aequitate et peritia uirum, et GROTIVM noſtrum, Syndicum eo tempore *Roterodamenſem*. Idem accidebat paulo poſt *Ledembergio*, *Vltraiectenſis* Prouinciae Secretario, qui poſt aliquot dies, *Hagam* adducebatur, ut, una cum aliis, examinaretur, ſed in cuſtodia, ubi cultro ſe ipſe iugulârat, mortuus inueniebatur. Hanc uero temporum infelicitatem alii quoque ſunt docti et prudentes Viri experti, docente *Voſſio*, patre,[1] quae res *Remonſtrantium* pleriſque animos fregit. Tandem appropinquabat fatalis ille Synodi dies, quo *Arminianos* plane

1) *Epiſt. 236, ad I. Meurſ. p. 271.*

Digitized by Google

plane peſſundare moliebantur, *Synodum* hanc appellantes *Nationalem*, quaſi *Belgium Foederatum* non eſſet unum corpus, unaque natio, et, hoc pacto, ſingulis Prouinciis, in eorum dioeceſibus, ius atque imperium circa ſacra, contra ius faſque, adimebant. Quod tam certum eſt, ut, cum Ordines Generales XVII Prouinciarum, *Bruxellis* olim congregati, exercitium Religionis Catholicae a *VVilhelmo*, Principe *Auriaco*, in Prouinciis ſuis expeterent, hic reſponſum illis daret, *Prouinciis hoc ſingulis competere.* Poſt pacem *Gandauenſem* idem ille Princeps, rogatus a nationibus aliis, ut in *Hollandia*, *Zelandiaque*, in *Romanenſium* gratiam, aliquid conſtitueret, reſpondit ſemper, *Nihil ſe eius rei, niſi uolentibus Hollandiae et Zelandiae Proceribus, poſſe.* Quid de Foedere *Traiectino*, A. CIↃ IↃ LXXIX, hac de re cautum ſit, uulgo ſatis notum eſt. Id quod etiam ex iis, colligi poteſt, cum Ordines Generales *Belgii Foederati*, Synodum *Nationalem* metuentes, ne animi irritarentur magis, proteſtarentur, in ſua Declaratione, ſe per Synodum hanc nequaquam conari iuribus et Priuilegiis Prouinciarum praeiudicare.

Conuenerant ad eam Synodum ex Foedera-

Digitized by Google

tis *Belgii* Prouinciis *Contraremonſtrantes*, numero propemodum ſeptuaginta, et ex ciuitatibus *Germaniae Heluetiaeque* eiuſdem ſectae legati, quos inter affuit quoque, a Rege *Angliae* miſſus, Archiepiſcopus *Londinenſis*, eiuſdem religionis. Rex *Galliae*, oratus ab Ordinibus *Hollandiae*, ut mitteret, aut permitteret uenire uolentes, ciues ſuos, neminem miſit, nemini, uenire, permiſit, immo, ſub poena capitis, interdixit, ne quis e ſuis eo proficiſci auderet. Ex altera uero parte, nempe *Arminianorum*, ſeu *Remonſtrantium*, homines omnino XIV, ex omnibus *Belgii* locis, eo conuenerunt. Inchoata igitur Synodo, praeſidente in ea *Ioanne Bogermanno*, paſtore Leouardienſi, *Arminiani* primum propoſuerunt, Subiicere ſe non poſſe tali Synodo, quae libera cenſeri non poſſet, cum in ea ſui aduerſarii praeſiderent, Iudicis ſimul et Actoris partes agerent, nec, impugnari, ſinerent, rationes *Gomariſtis* contrarias, ſed, pro arbitrio, poteſtate abſoluta, opinionem propriam aſſererent, eamque credi, iuberent, ac doceri. In quo non auditi, cum, interpellatione oppoſita, diſceſſum pararent, interdicto ſubſiſtere ſunt coacti. Continuatis, ad initium menſis Maii, ſeſſionibus, illa Synodus plures *Concluſiones*, aduerſus *Arminiana* dogmata, ſanciuit,

Digitized by Google

ciuit, eaque omnia damnauit, una cum quinque de *Praedestinatione* Articulis, (licet isti, non multo ante, iudicio Ordinum Generalium, fuerint approbati,) qui *Contraremonstrantium* doctrinae repugnabant. Nec aliud fortius argumentum *Reformatis* contra *Arminianos* suffragabatur, nisi, quod Reformatae Religionis uinculo, ab initio foederis sui, Prouinciae illae *Belgii* fuerint colligatae, uerendumque esset, ne, hoc disrupto, tota quoque compages Reipublicae illius dissolueretur una et collaberetur. Libertatem quoque Conscientiae, defensores isti, praesertim Orator *Angliae* Regis, in illis initiis, cautam fuisse omnibus, aiebant, non, ad nouam religionem introducendam, sed, ad Reformatam, tunc receptam, confirmandam potius et propugnandam. Durante quidem adhuc Synodo, Concionatores omnes *Arminiani* e suis cathedris fuerunt deiecti, eorumque loco substituti sunt *Reformati*, non sine labore armatorum in compescenda plebe, praesertim *Alcmariae*, *Hornae*, *Roterodami*, propterea tumultuante. Confirmabant Relationes publicae, istos homines uniuersos, ex Synodi Decreto, post octo mensium uincula, uehiculis impositos, summa cum festinatione, ne amicis quidem salutatis, neque ulla rerum sua-

Digitized by Google

rum ablata secum, ad fines usque *Belgii* fuisse abductos, unde maximam partem ad *Brabantos* sese et *Antuerpienses* contulerunt. Illud quoque refertur, *Goclenium*, Lugduni Batauorum, esse fassum, si ad Colloquium *Arminiani* fuissent admissi, futurum fuisse, ut aduersarii eorum caderent causa. Non possum, quin, missis aliis, hoc loco iudicia quaedam addam *Britanniae* Theologorum, in quibus docetur, qua uia modoque contra *Arminianos* sit processum, cum alioquin haud immemor sim, neque Synodi huius, neque *Oldenbarneueldii*, a me scribi Historiam, sed ea tantum, quae ad purgandum a culpa GROTIVM faciunt, in medium debere proferri.

Post discessum *Arminianorum*, Synodus ad fabricam *Canonum* accessit, quibus eam adiecit clausulam, ut, qui nollet eis subscribere, ab officio remoueretur. Quae durities non solum *Arminianis* crudelissima est uisa, sed Theologis etiam *Britannis*. Extat Epistola *Balcanqualli*, celebris Theologi, ad *Dudleium Carletonum*, legatum *Angliae*, in hanc sententiam confecta.

Illustrissime Vir,

Tandem operi nostro, de quinque Articulis, coronidem imposuimus. Quantum laboris, in ultimis

mis seſſionibus, exantlauerimus, nemini, niſi experto, conſtare poterit, quamque mirum in modum ſe gesserint, in primis Praeſes, uel caecus ſatis uiderit. Multum ſane ſpem omnium de ſe fefellit. Quod ad Cenſuram Perſonalem, quae res eſt magni momenti, nihil nobis de ea innotuerat, niſi, ex ipſo momento, quo praelegebatur, ac, quoniam Deputati, qui Hagam *cogitabant, diutius retineri non debebant, tota Synodus illi aſſentire neceſſe habuit. Medio tempore intra ſeſſionem antemeridianam et pomeridianam ualde apud exteros allaborabant, quo iſti cenſurae ſuffragarentur, ſed nos quidem huic negotio non immiſcuimus. Quod ſolum poſſum dicere, hoc eſt, nimis mihi durum uidetur, quemque qui ſingulis Canonibus non uult ſubſcribere, munere ſuo moueri. Nunquam uetus Eccleſia, nunquam ulla Reformata, adeo multos Articulos reſeruandos propoſuit, ſub poena excommunicationis. Nonne itaque crudele fuiſſet, ſi omnia pro Canonibus habita fuiſſent, quae illi uolebant? Exempli gratia, illud, de abſoluta Neceſſitate aequalitatis naturae, ad noſtram redemptionem conficiendam etc.*

Ceterum, quod ad Canones ipſos, ratione materiae, attinet, longa in primis quaeſtio fuit, cum circa Articulum primum, dum *Angliae* Theologi nullo modo in ſententiam *Gomari*, ſiue *Supra-*

Digitized by Google

lapſariorum, condeſcendere uolebant, tum in primis circa Articulum ſecundum de *Vniuerſali Merito Chriſti*, et propoſitionibus generalibus, inde fluentibus, Euangelicis. Inde laudatus *Balcanqualius*, in Epiſtola ad *Nantonem, Anglum*, ita ſcripſit.

Diligenter admodum expoliendis Canonibus, quos nobis Deputati mittunt, incumbimus. Laboramus iam de ſecundo Articulo. Maxima Synodi pars ſuffragiorum numero nos eo adigere conatur, ut uniuerſales propoſitiones, quae in S. Scriptura et Reformatarum Eccleſiarum Confeſſionibus, de Morte Chriſti, *occurrunt, ad ſolas Electos reſtringamus. Nos, contra, tuemur, iſtas nec explicandas, nec reſtringendas, eſſe, multumque gaudemus, mandata, quae D. Legatus, nomine Regis, nobis dedit, tam exacte cum ſententia noſtra de ſecundo Articulo, quam ſubſcriptam Synodo dedimus, conuenire. Cenſemus enim, ita demum ſolidum ſufficiensque fundamentum ſubſterni praedicationi Euangelii, omnibus hominibus annuntiandi. Dein euitamus maximam partem ſcandali, aliter neceſſario* Lutheranis *Eccleſiis dandi. Tertio retinemus eaſdem phraſes et formulas, quibus Patres uſi ſunt, qui cum* Pelagianis *de eodem dogmate diſputarunt. Siquidem hic conſentimus, de ceteris ſatis moderate actum iri, ſpero. Si tamen Moderatio exterorum Theologo-*

Digitized by Google

logorum non obſtaret, ſane Canones conderentur, quorum ſimiles conſpicere, non eſſet datum. Neque enim ullum ferme Prouincialem Miniſtrum reperias, qui, ob rigidum aliquod effatum, a Remonſtrantibus *reprehenſus, illud huic, illiue, Canoni immiſcere non conetur, ut, hac ratione, ſententiam ſuam tueri poſſit. Quam primum de Canonibus ſtatutum fuerit, eos tibi mittam. etc.*

Tandem, cum *Remonſtrantes* Canonibus iſtis ſubſcribere nollent, damnata eorum Doctrina, in Perſonas quoque cenſura fuit lata. Pronuntiati enim primo fuerunt rei *corruptae Religionis*, ſecundo, *ſciſſae unitatis*, ſeu ſchiſmatis in Eccleſia, tertio, *grauiſſimorum ſcandalorum*, quarto, *intolerandae peruicaciae*. Cuſus inſuper fuit aureus nummus ab Ordinibus, cum inſcriptione, RELIGIONE. ASSERTA. IN. PERPETVAM. SYNODI. DORDRACENAE. MEMORIAM. Sed illi egregio Scripto ſe defenderunt hoc anno, et iniquum Synodi proceſſum in illo ob oculos poſuerunt.

Non poſſumus non hic ingenuam ſubiungere Confeſſionem *Theologi* cuiuſdam *Angli*, ex Epiſtola ad *Dudleium Carletonum*, M. Britanniae legatum. *Si*, inquit ille, *Remonſtrantes ſcriptis ſuis euulgarent, Sententiam, quam Praeſes pro-*

Digitized by Google

nuntiauit, non fuisse Synodi, non mentirentur. Iurisconsulti et Canonistae, qui multum circa formalia, in Concilio Tridentino *praetermissa, scripserunt, minoris momenti exceptiones urgent, quam* Remonstrantes *urgere possent. Praeterea nec tertia suffragiorum pars fuit interrogata, ex quibus Sententia ferri nequit. Nec Sententia scripto erat comprehensa, et a Synodo approbata, et amarulentae locutiones, in Sententia expressae, nullius suffragantium uerba fuerant, si paucula quaedam excipias, ab unico solum homine probata.*

Vix crederes, quenquam reperiri posse, qui iniusta condemnatione hominum, sibi parium, delectaretur, et, post ereptas iis omnes dignitates, interitum tot miserorum grauiorem reddere, anniteretur. Ac profecto caecus iste Religionis ardor est ex rebus uel maxime deplorandis, qui, tantum abest, ut Christianae Religioni sit conformis, uix ut intelligi possit, qua ratione homines Christiani in immanem eiusmodi dementiam prolabi possint. Seruatorem enim nostrum praecepisse, et instituisse excommunicationem, seu exclusionem, mendacium est, Foederis Noui scitis aduersum. Nam, contra quos usum habere debuisset? Num contra

Digitized by Google

tra infideles? At hi parum excommunicationem curaſſent Chriſtianorum. An contra ipſos Chriſtianos? At hoc fundamento aduerſatur doctrinae Chriſtianae. Erant ne *Arminiani* Chriſtiani, pacem amantes? Cur ergo timendi, ut in Republica tolerari non poſſent? Accuſabatur *Oldenbarneueldius*, cum aſſeclis ſuis, ipſos, tolerantiam ſuadentes *Arminianorum*, diſſidium in Religione et Republica inferre uoluiſſe, quod tamen ſapientiſſimus hic Vir perutile dignumque laude ducebat, non modo, ut omnia haec diſſidia, tam in Scholis, quam in Eccleſiis, praeciderentur, ſed etiam, ut eorum Eccleſia, non obſtante diſſenſus ipſorum tolerantia, commode ſatis perſiſtere poſſet. *Maiores noſtri*, [1]) inquit GROTIVS, *ita ſunt arbitrati, Rempublicam ſaluam eſſe poſſe, etiamſi nationes aliae Romanenſem, aliae Reformatam, religionem amplexarentur.* Exemplo, hac in re, nobis eſſe poteſt cum aliorum cura laborque pius, uel Principum, uel Theologorum, tum conſociatio illa, in Colloquio *Marburgenſi* inſtituta, A. CIↃ IↃ XXIX, et A. CIↃ IↃ XXXVII, inter ipſum D. *Lutherum* et *Heluetiae* Theologos, repetita etiam A. CIↃ IↃ LXX, in *Sendomirienſi* Poloniae Conuentu, inter addictos Formulae *Auguſtanae*, et ſecta-

1) *Apol. c. 19.*

Digitized by Google

ctatores Formulae *Bohemicae* atque *Helueticae*, qui promiserunt omnes, sese, non obstante utrinque de S. Coena dissensione, mutui fraterni amoris, ut homines Christianos facere par est, rationem omni esse tempore habituros. *Augustini* uerba hic debebant expendi, *Sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Regulae catholicae defensores, salua fidei compage, non consonant.* Ita uidemus, Christianos ueteres neque idem sensisse, neque docuisse, super animarum origine ac statu post mortem, antequam corpora resurgant, aliisque de rebus, non abrupto tamen, ob haec, fraternitatis uinculo. *Guil. Perkinsius*, inter Controuersias, quae fundamentum salutis nostrae inuiolatum relinquunt, ponit dogma de *Gratia Vniuersali* et de *Libero Arbitrio*. *Pareus* etiam, inter Conclusiones, quae ad necessaria capita non pertinent, recenset eas, quae sunt de *Praedestinatione*, eius causis, atque affectionibus; de *Liberi* item *Arbitrii* Natura. Ecquis nescit, quantis in *Belgio* motibus agitata nuper Quaestio fuerit de *Sabbatho*, quantis illa de *Coma?* Vtraque tamen euanuit, spreta a Republica, aut neglecta. Quae non uero, in Ecclesia etiam *Lutherana*, iam inde ab incunabu-

Digitized by Google

nabulis eius, ad hodiernum usque diem, intestina dissidia sunt coorta? Seculo certe sexto decimo, illae cum *Andrea Osiandro* lites, cum *Stancaro*, cum *Interimistis*, quos uocant, et *Adiaphoristis*, cum *Maioristis*, cum *Samuele* item *Hubero* et *aliis*, diuiniorem coetum plus satis turbarunt, neque minus, superiore seculo septimo decimo, *Tubingensium* istae cum *Gissensibus* controuersiae, *Vittembergensium* cum *Regiomontanis*, nominatim cum *Calixto*, cum *Musaeo* aliisque *Theologis Ienensibus*, dissidia item, ob *Ioannis Arndii*, *Henrici Mulleri*, et *aliorum*, scripta, licet ex his omnibus atque singulis plena et constans scissio enata sit haud ulla, cum hae potius aliaeque huiusmodi controuersiae deinceps sua sponte expirarint. Quis hodie putat, uiolari Religionem uetere illa et celebri, de *Antipodibus*, Quaestione, quam *Lactantius* et ceteri, qui Christiani Patres appellantur, non fuerunt ausi errore, an impietate, absoluere? Quis credit, interesse Religionis, *Vtrum Sol moueatur, an Terra?* Licet fuerint, qui illud magnis urserint clamoribus. Sic, in Ecclesia *Romana*, propter opiniones discrepantes, quae emerserunt, nominatim, ob litem Doctorum in ea Ecclesia, de *Maria, Virgine, an sine peccato sit, nec ne*, scissio nulla

Digitized by Google

nulla fuit orta. Hoc ante *Oldenbarneueldium* Senior animaduertit *Valentinianus*, Imperator, qui, etsi Christianam amplecteretur disciplinam, inclaruit tamen, ut *Ammianus Marcellinus* [1]) perhibet, hoc moderamine principatus, *quod inter Religionum diuersitates medius stetit, nec quenquam inquietauit, neque, ut hoc coleretur, imperauit, aut illud, nec interdictis minacibus subiectorum ceruicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.* Hoc uisum fuit *Aegyptiis*, ut strategema politicum, de quibus memoriae proditum est, stabiliendo imperio uariam excogitasse Religionem, ne conspirare omnes possent. Idem hoc probe *Midas* intellexit, qui, regno ad se translato, *Phrygiam* religionibus impleuit, teste *Iustino*, [2]) quibus per omnem uitam tutior, quam armis, fuit. *Iulianus* quoque, cum, aperiri templa, arisque hostias admoueri, statueret, ut dispositorum firmaret effectum, nonne dissidentes Christianorum Antistites, cum plebe discissa, in Palatium intromissos, monuisse dicitur, ut, ciuilibus discordiis consopitis, unusquisque, nullo uetante, Religioni suae seruiret intrepidus, *ut*, teste eodem *Ammiano*, [3]) *dissensiones augente licentia, non timeret unanimitatem postea plebis.*

1) *XXX, 9.* 2) *II, 7.* 3) *XX, 5.*

Digitized by Google

plebis. Sed, quid ego haec commemoro exempla et teſtimonia? Rem potius ipſam ſpectemus. Quod, quaeſo, periculum Principi, aut Reipubl., ab opinione, aut ſecta, licet noua, dummodo non aliena ſit a bonis moribus, et uenerationi ſeruiat ſummi imperii? Nam, ſi perdendae ſit opportuna Reipublicae, non, quia noua eſt, prohiberi debet, ſed, quia noxia. Alioqui, quid fuit, quo ſe primi excuſarent Chriſtiani aduerſus immanes gentilium uexationes, ad quos utique doctrinam afferebant nouam et inuſitatam. Nec magis ſibi Princeps metuet a Nouitate, ſi non miſceat ſe litibus innoxiis, et a ciuili uita ac ratione imperii alienis, neque, ut uni proſit ſectae, alteram opprimat. Quid ſi uero ſuſpecti ſint conuentus, obiicias? At, qui ſunt integra uita, ſceleris expertes, niſi cogantur metu, latere nolunt. Taceo, addi his Arbitrum poſſe. Nec quicquam uetat, publice definiri coeuntium numerum, ſicut in *Bacchi* ſacris, cum ab Senatu R. indulgerentur, obſeruatum fuiſſe, ex *Liuio* intelligimus.[1] Poteſt etiam caueri legibus, ne utrinque ſe damnent ſectae, neque contumelia afficiant, poſitis poenis, ſi quis contra feciſſe dicatur. Et hoc eſt, circa quod Lex humana agit. Si credis, circa diſpu-

1) *XXXIX, 18.*

Digitized by Google

disputationes uersari, erras. Quid ergo? Cauet, nec uult eos, quibus praeest, bonos facere, contenta est, si assequatur, ne alios afficiant iniuria. Adeo tota ad actionem spectat, et, cum uirtutem imperat, non uoluntate eam atque animo aestimat, neque, ut uirtutem, imperat, sed, ut actionem, Reipublicae utilem, cum uero uitium prohibet, non eius detestationem requirit, sed prohibet noxiam Reipublicae actionem, bonumque ciuem etiam eum censet, qui alterius est Religionis. Adde, non esse Legislatoris, omnia, quae DEO inuisa sunt, legibus punire. Nihil dicam de inclementia, auaritia, luxuria, inuidia, desidia, temeritate, ebrietate, intemperantia, libidine, quae non procul peccato esse, et a DEO obseruari, quis dubitat? Vbi tamen neque Rempublicam attingunt, nec alios laedunt, nonne effugiunt legum seueritatem? Quid turpius mendacio, quid periurio? Atqui de his silent iura, nisi aut Rempublicam iniuria afficiant, aut alios. Ceterum ad DEVM et mendax, et periurus, remittitur. Extra forum ciuile uersatur certe oppressio Religionis, cuius proinde fines Princeps transilire non debet, cum homo sit, non DEVS. Dominium eius, corporis circulo terminatur, ultra quod ut non procedit, ita conscientiae duros miserae seruitutis

Digitized by Google

tutis compedes haud affiget. Quod olim egregie demonstrauit Imperatori *Valentiniano Ambrosius*, Mediolanensis Episcopus. Cum enim Imperator suauissimis *Symmachi* persuasionibus aures beneuolas praebuisset, cultumque Idololatricum, aliis licet renitentibus, ex orco in Ecclesiae pomoeria reducere anniteretur, ab *Ambrosio* haec ad eum perscribebantur. *Cum a Te, Imperator Christianissime, fides* DEO *uero sit exhibenda, cum ipsius sit fidei studium, cautio atque deuotio, quo modo, miror, aliquibus in spem uenerit, quod debeas aras diis gentium tuo restaurare praecepto, ad usus quoque sacrificiorum praebere sumptum. - - - Nihil maius est Religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset, diuersae parti responsio seruaretur, causa religionis est, Episcopos conuenio. Valentinianus*, Senior, *Valens* et *Gratianus*, tres inuictissimi Imperatores, probe aduertentes, nullum sibi ius in conscientiam competere, nullamque religionem conscientiae posse obtrudi, in suis quidem literis ad Episcopos *Asiaticos*, fidem, quam in *Nicaeno* Concilio Patres professi fuerant, et, ipsis retinendam esse, mandarunt. Verba ipsorum haec sunt. *Hanc* (Fidem Nicaenam) *praedicari, Maiestas nostra praecipit, sic tamen, ut non dicant aliqui, sequimur religionem Imperatoris,*

Digitized by Google

disputationes uersari, erras. Quid ergo? Cauet, nec uult eos, quibus praeest, bonos facere, contenta est, si assequatur, ne alios afficiant iniuria. Adeo tota ad actionem spectat, et, cum uirtutem imperat, non uoluntate eam atque animo aestimat, neque, ut uirtutem, imperat, sed, ut actionem, Reipublicae utilem, cum uero uitium prohibet, non eius detestationem requirit, sed prohibet noxiam Reipublicae actionem, bonumque ciuem etiam eum censet, qui alterius est Religionis. Adde, non esse Legislatoris, omnia, quae DEO inuisa sunt, legibus punire. Nihil dicam de inclementia, auaritia, luxuria, inuidia, desidia, temeritate, ebrietate, intemperantia, libidine, quae non procul peccato esse, et a DEO obseruari, quis dubitat? Vbi tamen neque Rempublicam attingunt, nec alios laedunt, nonne effugiunt legum seueritatem? Quid turpius mendacio, quid periurio? Atqui de his silent iura, nisi aut Rempublicam iniuria afficiant, aut alios. Ceterum ad DEVM et mendax, et periurus, remittitur. Extra forum ciuile uersatur certe oppressio Religionis, cuius proinde fines Princeps transilire non debet, cum homo sit, non DEVS. Dominium eius, corporis circulo terminatur, ultra quod ut non procedit, ita conscientiae duros miserae seruitutis

Digitized by Google

tutis compedes haud affiget. Quod olim egregie demonstrauit Imperatori *Valentiniano Ambrosius*, Mediolanensis Episcopus. Cum enim Imperator suauissimis *Symmachi* persuasionibus aures beneuolas praebuisset, cultumque Idololatricum, aliis licet renitentibus, ex orco in Ecclesiae pomoeria reducere anniteretur, ab *Ambrosio* haec ad eum perscribebantur. *Cum a Te, Imperator Christianissime, fides* DEO *uero sit exhibenda, cum ipsius sit fidei studium, cautio atque deuotio, quo modo, miror, aliquibus in spem uenerit, quod debeas aras diis gentium tuo restaurare praecepto, ad usus quoque sacrificiorum praebere sumptum. - - - Nihil maius est Religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset, diuersae parti responsio seruaretur, causa religionis est, Episcopos conuenio. Valentinianus*, Senior, *Valens* et *Gratianus*, tres inuictissimi Imperatores, probe aduertentes, nullum sibi ius in conscientiam competere, nullamque religionem conscientiae posse obtrudi, in suis quidem literis ad Episcopos *Asiaticos*, fidem, quam in *Nicaeno* Concilio Patres professi fuerant, et, ipsis retinendam esse, mandarunt. Verba ipsorum haec sunt. *Hanc* (Fidem Nicaenam) *praedicari, Maiestas nostra praecipit, sic tamen, ut non dicant aliqui, sequimur religionem Imperatoris,*

Digitized by Google

hanc terram gubernantis, illum non attendentes, qui de salute mandata nobis dedit. Euangelii quippe DEI *nostri uox est, quae hanc habet sententiam, Reddite, quæ sunt Caesaris, Caesari, et, quae sunt* DEI, DEO. Nec minus memorabilis disputatio est Episcoporum cum *Constantino*, Imperatore, de hac materia habita. Cum enim *Constantius*, Imperator, Episcopis seuere iniungeret, et ex Imperatoria autoritate imperaret, ut omnes condemnationi publicae *Athanasii*, Episcopi Alexandrini, subscriberent, uno omnes ore respondebant, *Esse hoc contra Canonem Ecclesiae.* Contra, Imperator excipiebat, *Quod ego uolo, pro Canone sit.* Sed ad hoc omnes Episcopi apte regerebant, *Regnum non ipsius esse, sed* DEI, prout recenset *Athanasius.*[1]) *Religionis cultus, ut est inuisibilis et spiritualis, ita nec uisibilibus ac corporalibus suppositus esse potest iniuriis, nec capax uisibilis et externae cuiusdam defensionis*, scribit *Hortlederus.*[2]) Placet egregium hac de re iudicium *Bodini*, qui, de Rep. L. IV, c. 7, ita scribit. *Si princeps aliquis, certissimus de lege diuina, deque uera religione, assensiones animo comprehensas habeat, subditosque, opinionum uarietate ac multitudine sectarum distractos, in suam pertrahere uolet religionem, uim amouere, oportet. Nam, quo*

1) *Epist. ad solit. uitam agentes, Oper. Tomo I, pag. 831.*
2) *Disput. de Iust. Bell. ass. 2.*

Digitized by Google

quo grauiora ſupplicia irrogabis, eo minus proficies, cum ea ſit in hominibus inſita uis ac natura, ut, ad aliquid aſſentiendum, ſponte duci, uelit, cogi, nolit. Haec mea fuit ad Eliſabetham, *Anglorum Reginam, et ad Optimates Seniores, oratio, cum de* Campiano *Ieſuita, deque Catholicis, quaeſtiones capitales haberentur.* Conſpectui etiam ſubditorum diuerſae religionis ſi proponantur uaria, eaque truculenta, tormentorum genera, rigidae immanium poenarum exactiones, furiales templorum deſtructiones, cruenti ſacerdotum laniatus, terrorem quidem haec omnia incutere, affirmarem, coactionem autem, et diuerſarum religionum exoptatam abrogationem, efficere, negarem. Quamuis enim ſubditi externe peragerent, quae ad religionem principis facere uidentur, attamen intus et in cute iidem, quales antea fuerunt, permanebunt. Hinc Ilias illa inſuperabilis malorum, hinc fons uenenatiſſimus ſimulationum et diſſimulationum, perpetuis ſimultatum occultarum fluctibus ſtillans, ſcaturiet, fraudumque erunt omnia plena. Vbi enim turpiſſima tot hominum ſubleſtae fidei propudia inueniuntur, ibi etiam, ſub uerae amicitiae ſimulacro, tam uaria cuſtodiuntur offendicula, ut, nebulam eorum ſi perſpexerit princeps, cui tuto credat, uix ſit inuen-

Digitized by Google

turus. Neque etiam periculis caret haec simulatio, secundum illud *Ouidii*,

Tuta frequensque uia est, per amici fallere nomen.
Tuta frequensque licet sit uia, crimen habet.

Regum enim opes saepius assentatio, quam hostis, euertit, teste *Curtio*, [1] nullaeque sunt occultiores priuatis insidiae, quam hae, quae latent in simulatione officii, iudice *Cicerone*, Orat. Verr. 3. Quod *Plinius* ita, illustrat. *Periculosiores sunt fontes, qui, limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt, minus formidandi, qui ipsa specie testantur, aquas esse fugiendas. Ita difficilius uitantur mala, quae, boni praetextu, fallunt.* Omnia siquidem in Republ. simulate, adeoque fraudulenter, a talibus simulatoribus peragentur. Sic homagium praestandum praestabunt, sed simulate. Si quid in Principis et Reipublicae emolumentum peragendum, peragent, sed tecta infidelitate. Quid boni sincerique ab his Princeps et Respublica posset expectare? Omnia tandem negotia Reipubl., cum publica, tum priuata, pessundabuntur. [3] Obtingit illis simulatoribus, una cum ingenuis (animos enim perscrutati datum haud est) illud, quod obtigisse *Tiberio*, refert *Tacitus*, ut,

1) *VIII, 5.* 2) *H. N. XXXI, 2.*
3) *Conf.* Arnisaeus, *de Iure Maiest. L. II, cap. 3.*

Digitized by Google

ut, in illis etiam rebus, in quibus nulla simulatio est, simulatio tamen subesse putetur. Omnia ergo in tali Republica incerta erunt, et Princeps, ubi pedem figat, ne in ipsis quidem sacris iureque iurandis, inueniet.

Neque ab huiusmodi ciuibus Princeps est tutus. Nam, ut sancta religionis obseruatio et inhibita uiolatio animos ciuium et Principis adamantino uinculo coniungit, amoremque conciliat subditorum, ita huius uinculi diuulsio affectum subditorum erga Principem tollit. *Omnis humanae societatis fundamentum conuellit, qui religionem tollit, aut ex animis hominum euellit*, ait *Plato*, de Republ. L. II. Perit enim hoc modo apud ciues erga Principes fides et beneuolentia, quae Principi ad tuendam autoritatem incolumitatemque uel maxime necessaria est. *Nam, frustra se terrore cinxerit Princeps, qui septus charitate non fuerit*, inquit, *Plinius Secundus*, Panegyr. in Trai. Ciues enim, dum, religionem supprimi, uident, truculenta animo uersant, et, siue palam, siue clam, fiat, parum illi curant, unde nusquam erit tutus Princeps, qui de amore subditorum non est tutus. Nescit, an, hoste regionem inuadente, subditi turmatim accurrant, hostem subleuent, uiam ei sternant, propugnacula dedant, et in ipsos Principis milites

Digitized by Google

saeuiant. Oritur proinde apud subditos ex diffidentia odium, ex odio simultas, ex simultate seditio, ex seditione rebellio, ex rebellione clades, quae, quamcunque partem feriant, tandem tamen Princeps damnum sentit, unde ruina ipsius regni sensim paulatimque appropinquat. Hoc expertus est *Valens*, Imperator, qui, hac Religionis suppressione, non modo regnum sed uitam quoque suam, dedit in casum. *Valens* enim feruidus erat *Arianismi* sectator, alios que tales esse, uolebat, unicam religionem *Arianam* in suo Imperio, quam rectam ac ueram esse, credebat, tolerare, reliquis extirpatis, contendens. Dehortabatur eum *Themistius*, Constantinopolitanae urbis praefectus, his uerbis. *Quamuis sint uariantes sententiae de* DEO *apud* Graecos, DEVM *tamen, tam diuersa ac dispari opinionum ratione, suam uelle gloriam illustrare, quo singuli diuinam Maiestatem magis reuereantur, quod non sit procliue cuilibet, accurate* DEVM *cognoscere*. Sed frustra. Eius nimirum iussu, non nulli Confessores, *Antiochiae*, in *Oronte*, flumine, submersi, et Presbyteri, numero LXXX, ob religionis libertatem ei supplices, uiui sunt cremati. Neque uero integris etiam Ecclesiis, nempe *Thracicis*, *Dacicis* et *Pannoniis*, pepercit, donec ista malorum lerna in publicum

Digitized by Google

cum prodiret. Exorta enim sunt, ex hac religionis oppressione, bella ciuilia et intestina, quae Imperii uires exhauriebant, ut externo hosti debite resistere Imperator non posset. Quem alium ergo exitum, cum *Valenti* Gothica gens, ab ipso *Arianissimo* infecta, bellum inferret, expectare quis tum potuisset, quam sinistrum funestumque. *Valens* enim, beneuolentia subditorum nulla stipatus, fugabatur, milites eum plane dereliquerant, unde, solus et nusquam tutus, in tugurium sese recepit, in quo se ab insultibus hostium tutum fore, putabat. Sed, inuentus, proditione, an fortuito, incertum est, igne iniecto, misere periit. Consimile fere quid, in *Belgio*, Principi Arausionensi, *Mauritio*, accidisse uidetur. Conspirabant enim aduersus hunc Principem ex *Arminianis* nonnulli, et, quamuis aperiretur ista conspiratio, autoresque eius poena sequeretur, Principem tamen ingens quidam manebat contemptus, cumque paulo ante nemo non cupidus fuisset eum uidendi et omni honoris cultu prosequendi, ad extremum, confirmante *Beni. Aub. Maurenio*, tantum non omnes conspectum eius refugerunt, immo, teste eodem, Principem, forte *Gorcumi* forum transeuntem, nemo quisquam salutauit. Quod quidem num res illa *Barneueldiana*

ueldiana effecerit, an *Arminianorum* expulsio, an res utraque, Lectoris relinquo coniecturae. Illud uero, ex eiusdem *Maurerii* Memoriis, plus satis constat, Principem, contemptione hac animaduersa, spe quoque omni summae potestatis in *Belgio* potiundae deiectum, in tantum incidisse moerorem, ut eo tandem extingueretur. Haec mala Religionum oppressio secum uehit, turbaturque semper Reipublicae nauis, ubi haec ancora est mutata. Contra, si Princeps diuersitatem religionis eiusque libertatem subditis permittat, nulliusque conscientiam laqueis oppressionis ad aliquam religionem astringat, Reipublicae florentem statum, religionum diuersitate non obstante, promouere, et promotum in summo splendore conspicuum reddere, poterit. Regnum *Turcicum* diuersitate religionum prae aliis regionibus abundat, ubi sedem suam habent *Gentiles*, *Idololatriae*, *Persae*, *Iudaei*, *Georgiani*, *Circassii*, *Mengrelii*, *Coptitae*, *Abessini*, *Armenii*, *Maronitae*, *Melchitae*, *Iacobitae*, *Nestoriani*, *Graeci*, *Moscouitae*, *Lutherani*, *Reformati*, *Sociniani*, *Papicolae* et *alii*, uix nomine quidam noti. Hi omnes suam religionem seruant. *Turca quippe, pacto tributo contentus, modo* Mahumedanae *sectae non contradicant, libertatem religionis permittit*, ut ait,

Digitized by Google

ait *Ed. Brereuodus*, [1]) Hinc, fidem Christianam ibi profiteri, tuto licet. [2]) Memorabile est, quod de *Turcarum* Imperatore, *Solymanno*, ex *Leuenclauio Camerarius* refert, eum talia protulisse. *Quemadmodum uarietas herbarum non solum nihil obest, sed mirifice oculos et sensus recreat, sic in Imperio meo diuersa fides et religio potius usui est, quam oneri, modo pacate uiuant.* [3]) Quamuis ergo haec tolerantia diuersissimarum Religionum in imperio *Turcico* obtineat, ex ea tamen illud non coarctatur, sed manet amplissimum, per tres mundi partes dispersum. Cum enim Princeps dissentientes, qui in sua religione eiusmodi principiis gaudent, quae seditionum flabra esse possunt, certis legibus et oculata animaduersione constrinxerit, ut nihil in rebus ciuilibus contra maiestatem Principis tentare possint, magni alicuius momenti malum, quodue non facile possit auerti, Princeps non habet, quod pertimescat. Interim securitati Principis nihil exinde decedit (quod bene *Midas* sciuit, quem supra memorauimus,) sed, tales tolerando, uires acquirit et floret. Imperatores Romani, *Ethnicismo* addicti, quanquam alias, easque uarias, sub suo imperio religiones

1) *Scrutin. Religion. p. 5.*
2) *Vid.* Hottingerus, *Hist. Orient. Lib. II, cap. 2.*
3) *Parte I Hor. Succis., cap. 58.*

Digitized by Google

haberent, neminem tamen, primis temporibus, ui impulerunt, ut Diis *Romanorum* tutelaribus ſacrificaret. Quamuis etiam *Iudaeorum* Domini fuerint, qui *Paganiſmum* odio ardentiſſimo proſequebantur, neque illos tamen ui ad *Paganiſmum* compellere uoluerunt. Nam, cum *Hyrcanus* et *Ariſtobulus* de Principatu inter *Iudaeos* diſceptarent, *Pompeius*, tanquam arbiter, illum *Hyrcano* adiudicauit. Id autem aegre ferens *Ariſtobulus*, urbem *Hieroſolymitanam* armata manu cepit. Factum ergo eſt, ut *Pompeius* urbem exercitu obſideret, occuparet, ac iure belli, retineret, unde, ex eo tempore, *Iudaeorum* gens facta eſt *Romanis* uectigalis, apud *Euſeb.* Hiſt. I, 6. Quamuis igitur ab *Romanis* ſubiugatus fuerit populus *Iudaicus*, nihilo minus libertas ei religionis fuit conceſſa, immo, quod mireris, haec libertatis poteſtas tanta fuit apud *Iudaeos*, ut alios populos hac in parte anteirent. Nam, crimen olim erat, ciuem *Romanum* interficere, ſed hoc *Iudaeis* erat permiſſum, ſi *Romanus* eorum ſacris nimis appropinquaret. Hanc poteſtatem ſingularem et libertatem religionis eximiam, ingrato animo a *Iudaeis* agnitam, eis olim exprobrabat *Titus*, ita eos affatus. *Nonne Vos, o, ſceleratiſſimi, cancello ſanctum locum protexiſtis? Nonne literis Grae-*

Digitized by Google

Graecis et noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus, ne ſepta cuiquam tranſgredi liceat, edicitur? Nonne eos, qui tranſiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, uobis, necare, permiſimus? Haec, quamuis maxima fuerit religionis libertas, *Romani* tamen Imperii felicitati derogare nihil potuit, adeo, ut ipſi *Romani* de ſui imperii amplitudine gloriarentur, teſte *Arnobio*, initio Libri III contra Gentes.

Poſtquam autem Imperatores *Romani* tolerantiam cum oppreſſione permutarunt, factum eſt, ut eorum et imperium, et religio, decreſceret. Chriſtianis enim libertas adimebatur Religionis, et furor Imperatorum in miſeros Chriſtianos effundebatur. Inde Chriſtianorum erat miſerrimus ſtatus et conditio plane indigna, quam Ethnicorum oculis *Arnobius* his ſubiicit uerbis. *Vos ipſi, cum libido inceſſerit ſaeua, exuitis nos bonis, exterminatis patriis ſedibus, irrogatis ſupplicia, capitaliter torquetis, dilaceratis, exuritis, et ad extremum nos feris et belluarum laniatibus obiectatis?* [1]) Similiter *Eccleſia Gallicana* conqueritur, ad Ethnicam religionem ſeſe cogi, uociferationibus, plagis, uiolentis tractibus, lapidum proiectionibus, carceribus, compedibus,

1) *L. I aduerſus Gentes, pag. 19.*

Digitized by Google

bus, cathedris ferreis, ſecuribus, trabibus, tympanis, gladiis, retibus, ſtigmatibus et flagris, apud *Euſebium*,[1]) Sed haec ipſa uiolentia cultioribus diſplicuit gentibus, quod, omnis mali fore cauſam, praeſagiebant. Exprobabat hoc ipſis *Tertullianus*,[2]) *Tales*, inquiens, *ſemper uobis inſecutores, iniuſti, impii, turpes, quos et ipſi damnare conſueuiſtis, et a quibus damnatos reſtituere ſoliti eſtis.* Ipſe *Plinius*, Epiſtola ad Imperaterem *Traianum* perſcripta, uim hanc diſſuaſit, tanquam minus profuturam. Cui *Traianus* ita reſpondit, *Genus Chriſtianorum inquirendum quidem non eſſe, oblatos autem puniri, oportere*, teſte *Tertulliano*,[3]) Ex quibus patet, *Traianum*, rationibus *Plinii* ciuilibus permotum, de priſtina ſaeuitia aliquantulum remiſiſſe. Subſequentes autem Imperatores, dum, oppreſſionem religionum magis magiſque exercere, pertenderunt, felicitatem et religionem *Romanam* eneruari, ſuamque una ignominiam attrahi, ſenſerunt, id quod tempora potiſſimum *Maximini*, ſaeuiſſimi religionis Chriſtianae hoſtis, luculenter declarant. *Maximinus* enim, primus ex Imperatoribus, fere omnium infenſiſſimus, impiiſſimus, famoſiſſimus, ac DEO certe ſupra modum inuiſus, Tyrannus publicis edictis declaratus eſt, et, quaecunque

1) *H. E. V, 1.* 2) *Apolog. cap. V.* 3) *de Perſec. Lib. I, cap. 2.*

Digitized by Google

cunque literarum monumenta, in illius ac liberorum eius honorem, per singulas ciuitates, erecta prostabant, in terram deiecta protritaque sunt, obscuro colore obducta et denigrata, uix ut quicquam in iis dignosci posset. Idem factum est statuis, quotquot in honorem illius ante fuerant erectae, risui deinceps omnium et illusioni expositis, cognatis etiam Tyranni, qui antea, per insolentiam, cunctos mortales spernebant, et eius liberis, quos iam imperialis ille honoris, tabularumque et insignium publicorum, socios reddiderat, supplicia, cum extrema ignominia, perpeti coactis, prout testatur *Eusebius*, [1])

Religio tandem pagana, quae profundas et late serpentes egerat radices, hac ipsa uiolentia est eradicata. *Olim quidem ubique Delphica, Dodonaea, Boeotica, Lycia, Aegyptiaca, Cabirorum, oracula impostoris uaticiniorum scatebant, Pythica apud homines in admiratione erant*, ait *Athanasius*, [2]) Sed, postquam Imperatores Ethnici ferro et flammis Religionem Christianam extirpare instituerunt, factum est, ut uesaniae Ethnicae desinerent, neque fatidicus superesset ullus. *Nullae igitur diuinationes ad Castalias aquas, nullae ad Colophonium fontem, nihil loquitur*

1) *H. E. X, 11.* 2) *Orat. de Incarnat. uerbi.*

Digitized by Google

tur uulgatissima illa quercus, sed tacet Iupiter Dodonaeus, Colophonius, Apollo Delius, Pythius, Clarius, Dodonaeus, silentium est in Lebadia, et in Trophonii antro, obmutuit et Ammonis oraculum, cessauit etiam illa Chaldaeorum ac Tyrrhenorum, per mortuos, diuinatio, inquit *Theodoretus*,[1] *de curandis Graecorum affectionibus*. En, quid profecerit Ethnicorum cruenta erga homines ad *Paganismum* cogendos, crudelitas. Ex comparatione ergo imperii *Romani*, tempore libertatis, in religione concessae, et oppressionis introductae, patebit, tempora libertatis felicitati *Romanae*, tempora autem uiolentiae subsequentibus malis et Reipubl. decrementis, originem dedisse.

Nolo diutius saxum hoc uoluere, cum longius[2] sit progressus sermo, quam cogitaueram, exemplum potius rei huius nouissimum addam. Quem enim latet, in his prouinciis F. B., cum *Hispani* immanium sedem armorum constituerent, quibus Religiones omnes, sibi aduersarias, opprimere destinauerant, quaenam furoris sui tulerint praemia. Non alia sane, nisi haec, ut, cum terror quondam uniuersae essent *Europae*, ludibrium nunc facti sint hostium suorum, solemque in dio-

1) *Lib. X.*

2) *Vide ea de re latius differentem ipsorum* Batauorum *Iurisconsultum et Professorem cel.*, G. Noodtum, *alioque, quorum non plane nulla in usus meos conuertere, haud dubitaui.*

Digitized by Google

tione sua, nunquam olim occiduum, nunc calamitatis suae perpetuum testem habeant et spectatorem. Cum enim Dux *Albanus*, sex illis annis, quibus *Belgio* praefuit, hominum duodeuiginti millia utriusque sexus, et clanculum, et palam, ob religionem, furiosis carnificinis consumpsisset, residui cateruatim ad arma prouolauerunt, externisque copiis auxiliatricibus ascitis, *Hispanos* clade affecerunt, alios Principes, quibus adhuc florentissimum *Hispaniae* regnum sudes in oculis fuerat, ad bellum *Hispanis* inferendum impulerunt, adeoque non solum iugum *Hispanicum Belgae*, parta libertate, excusserunt, uerum etiam, aliorum beneficio, fulcra regni huius ita concusserunt, ut, ne ad hunc quidem usque diem, in pristinum florem statumque firmum redigi potuerit.

Sed ad propositum nostrum reuertamur. Si *Reformati*, inquit *Benthemius*,[1] in uno alteroque, antehac disceptato, Articulo primario, salua conscientia, Ecclesiae *Lutheranae* sese iungere possunt, cur *Gomaristis* cum *Arminianis*, idem facere, non licuisset? Si *Gomaristae*, ope suae doctrinae, saluari possunt, et, in fundamento fidei cum *Arminianis* conueniunt, sicut ipsi fatentur et docent,* ui etiam conscientiae, obligati erant, in reliquis Capitibus, minus grauibus, remitte-

re,

1) *in Praef. Stat. Schol. et Eccl.* * *supra p. 44.*

Digitized by Google

re, se cum iis coniungere, eosdemque tolerare. Interim tunc temporis crescebant fere magis *Arminiani*, quam decrescebant, et hinc est, quod etiam nunc perpetuo reliquiae quaedam huius Doctrinae superfuerint, hoc tamen cum discrimine, ut, apud quosdam *Remonstrantes*, plures lateant opiniones, *Socini* sectam redolentes. Constat enim, *Arminium* * non tam longe, quam successores eius, processisse. Ecce Fructus, si innocentes fidei socii, uel in paucis momenti minoris uerbis, a nobis recedentes, tolerare recusamus, interdictione Concionatorum Doctorumque ipsorum, ad amplectenda alia Religionis dogmata, per summam iniuriam, adigentes.

Decisis *Dordraci* controuersiis ex arbitrio *Contraremonstrantium*, ad Carnificinam et Supplicia deuentum. *Oldenbarneueldius* enim, uir rerum ciuilium scientissimus, et Reipublicae suae *Cato* habitus, a Foederatis Ordinibus ad ultimum supplicium damnatus fuit. Enormium in Rempublicam delictorum reus arguebatur, contra quae omnia amici [1]) eius ipsum solide satis

* *Nomen* Iacobi Hermanni *mutauerat in* Arminii *nomen.*

1) *Ordd. Gener. Scriptum u. Theatri Europ. Tomo I, p. 286, sqq. conf. Relat. Lipsi. contin. IV, pag. 30, sqq. et omnino Historie van het Leuen en Steruen* Barnefeld, *A. 1648. ed., praesertim in appendice, a pag. 1, - 27,* Vtenbogaerd, *p. 240, 252. 994, 1199, 1201, 1213.*

Digitized by Google

satis excusarunt, inter alia, quasi totam regionem implere sanguine et *Hispanis* prodere, quod per tolerantiam item *Arminianorum* Papatum introducere, uoluerit, eoque consilio impediuerit, quo minus institueretur Synodus, causam interserens, Vnicuique Prouinciae liberum esse, in rebus Religionis, pro lubitu ordinare. Orationes, eo tempore habitae, a diuersarum nationum Proceribus, manifeste ostendunt, non tantum a Proceribus improbatum genus illud causarum, super quibus aduersus captos, per meram inquisitionem agebatur, sed ipsum quoque illum agendi modum, ut libertati ac moribus auitis repugnantem. In primis uero Rex *Galliae*, tam per *Maurerium*, quam *Bossissium*, quos, semel iterumque, ut Legatos extraordinarios, in *Batauiam* mittebat, omnem nauabat operam, Ordines, in ipsorummet commodum, cohortando, ut causam captiuorum agerent moderate, immo, eodem illo die, quo Legatus Gallicus, *Maurerius*, comperiebat, capite plectendum esse *Oldenbarneueldium*, aditum ad Ordines adhuc expetebat, cumque hic ei, ob horam mortis destinatam, denegaretur, nihilo minus, ut obtemperaret mandato Regis, per Epistolam eos inter alia monebat, ut uitae huius ueteris Ministri OO. parcerent, cuius uitae

Digitized by Google

terminus, uel ſine morte uiolenta, appropinquaturus eſſet. Verum hae literae uim nihilo maiorem habebant, quam interceſſiones ullae ſuperiores. Ad nuntium mortis commotum paulo, memorant, mox tamen, collecto ſpiritu, ſedatum prorſus uiſum, id tantum quaeſiuiſſe, *Meuſne* GROTIVS *quoque morietur et* Hogerbecius? *Iuniores ſunt, multum adhuc officii Reipublicae praeſtare poſſent.* Monuit porro paſtores, *Lamotium* et *Beierum*, qui ultimis eius, iuſſu Ordinum, aderant, ne graues *Remonſtrantibus* eſſent, quo quieta Reſpublica eſſe poſſet. Poſtea ſcripſit literas ad Coniugem et Liberos, quas hic ſubiungemus.

CHARISSIMA CONIVX,

LIBERI, GENERI ET NEPOTES, DILECTISSIMI,

Saluto Vos omnes peramanter. Hac ipſa hora ad me defertur nuntius duriſſimus ac triſtiſſimus, nempe, ut ego ſenex, pro omnibus officiis, tot annis, bona ſemper et optima fide, patriae praeſtitis, poſtquam excellentiſſimum Principem, ſincero affectu, tot annis, et quibus potui ſeruitiis, quantum per munera publica et uocationes licuit, et humilibus obſequiis, coluerim, multis, ex omnium hominum genere, beneuolentiam exhibuerim, nemine mortalium, quod ſciam, iniuria affecto, ad mortem,

Digitized by Google

tem, craſtino die, ſufferendam, praeparare me debeam. Conſolor me in Domino DEO, *qui et omnium corda nouit, et omnes, quotquot ſunt, homines eſt iudicaturus. Obſecro, ut et iam Vos omnes idem facere uelitis. Dominis meis*, Hollandiae *et* VVeſtfriſiae Ordinibus, *nempe, Dominis Nobilibus, et Ciuitatibus, animo ſincero, probo atque fideli, inſeruii, pariterque Dominis Ordinibus* Vltraiectenſis *Prouinciae, utpote Patriae meae, ſupremo Magiſtratui, ipſis petentibus, ſincerum conſilium dedi et fidele, ut a ſeditione populari et ſanguinis effuſione, ab qua iam dudum ipſis periculum imminuit, liberaretur. Eaedem erga* Hollandiae *Ciuitates intentiones meae, nempe, ut, nemine laeſo, omnes protegerentur. Viuite inter Vos in charitate et pace. Rogate pro me Dominum* DEVM *omnipotentem, qui nobis omnibus ſancto ſuo praeſidio aderit. Ex* triſtitiae cubiculo, d. XII Maii, CIↃ IↃ C XIX.

Veſtri amantiſſimus,

CONIVX, PARENS, SOCER ET AVVS,

IOANNES AB OLDENBARNEVELD.

Paulo poſt citatus *Oldenbarneueldius* ad iudices, ut ſententiam audiret, dictatum mortis ſupplicium ſine motu percepit, at, cum de bonis

Digitized by Google

actum, ut ea fisco cederent, commotior uisus, regessit, *Iudices quaedam condemnationi indidisse, quae in confessione non haberentur, se putauisse quoque, satiatos fore Ordines Foederatos uita et sanguine suo, bona autem Vxori et Liberis relicturos, id praemium esse, pro* XL *annorum praestitis officiis.* Sed, surdis ista erant dicta. Deductus igitur hic *Venerabilis Senex* ad pegma, inter *Lamotium* et ministrum suum, tunica talari nigra indutus, ad populum conuersus, dixit, *Suauissimi Ciues, morior, non, ut patriae meae hostis, aut proditor, sed, ut eius amantissimus*, uel, ut *Maurerius* in suis Memoriis, paulo aliter narrat, *Sese mori, ut amicum patriae, et, patriae libertatis defensorem.* Procidens deinde in genua, cum Theologo, preces ad DEVM fudit, cumque ad uerba peruenisset, *in manus Tuas commendo spiritum meum*, caput ipsi uno ictu abscissum est. Corpus eius, applicato rursus ad collum capite, sicut erat uestitum, tumba reconditum, et in arcis templum fuit delatum. Hic uir immortalis, quem Reipublicae *Nestorem Meursius* nominat, autor *Iacobo I* fuit, ut millio ista Imperialium restitueretur, pro qua tot loca *Britannis* fuerant a *Batauis* oppignorata, quaeque a *Batauis* hoc tempore non posse restitui, Rex erat persuasus. Verum *Oldenbarneueldius* hanc rem expediebat, unde *Iacobus* odio eum

Digitized by Google

cum acerrimo prosequi coepit, mortisque causas ei non parum uel auxit, uel accelauerit. His urbibus redemptis, sedis et uoti in Ordinum Senatu ius amittebant *Britanni*, quorum legati, ad hoc usque tempus locum suum nunquam non obtinuerant, ita, ut, *Britanniae* legato praesente nullo, *Flissingensis* Oppidi Praefectus *Britannorum* ageret causam. Sic fidus ille patriae suae Vindex *Belgae* non modo a *Britannorum* et *Hispanorum* iugo aliorumque molitionibus liberauit, uerum iisdem una quoque eam conciliauit libertatem ac potentiam, qua hodieque perfruuntur, quamque huic eidem acceptam iure ferunt. Nec minus inclaruit hic laudabilis *Senex* moderatione Christiana, quod inter Religionum diuersitates medius stetit, nec quenquam in Religione sua turbauit. Fruere uero hac prudentiae, iustitiae et aequitatis, gloria, magne *Oldenbarneueldi*, qui, quam animo tuo probabas religionem, rite coluisti et caste, nec tamen, aliam, si iniuria uacaret, pro crimine haberi punirique, es passus, ut, cum uir pius esses ac religiosus, simul meminisses, te et magistratum esse, et Reipublicae gerere personam, ad cuius fidem ac tutelam omnes pertinent, qui eius securitatem, pacem utilitatemque, non offendunt. Equidem uix mihi tempero, quin tam honesto

Digitized by Google

finceroque teſtimonio mite illud, humanum modeſtumque, *Decretum*, te potiſſimum adiutore, confectum, hic adiungam.

DECRETVM

ILLVSTRIVM AC POTENTVM ORDINVM HOLLANDIAE ET VVESTFRISIAE, PRO PACE ECCLESIARVM.

Quando multum diſſidii ac contentionis, per harum Regionum Eccleſias, ſubortum eſt ex diuerſis interpretationibus locorum S. Scripturae, in quibus de aeterna DEI Praedeſtinatione, *et quae huic cohaerent, agitur, calore certaminis eo uſque prouecto, ut ſint, qui male audiant, uelut directe, aut per obliquum, docentes, alii quidem, homines aliquos a* DEO *immortali ad damnationem creatos, quibuſdam hominibus a* DEO *peccandi neceſſitatem imponi, tum uero a* DEO *quoſdam ad ſalutem inuitari, quibus omnino ſalutem non dare decreuerit, alii uero, naturales hominum uires, aut facta, ſalutem ipſorum poſſe operari. Quae ſpectant utrinque ad* DEI *ignominiam, ad infamandam Chriſtianam Reformationem, et noſtrae piae ſententiae aduerſantur, quibus obuiam iri, uiſum eſt nobis, ad diuini honoris et gloriae propagationem, ad incolumitatem Reipublicae et Eccleſiarum, ad tranquillitatem et concordiam, bonamque frugem ciuium, per-*

quam

Digitized by Google

quam necessarium. Idcirco, rebus diu multumque perpensis, religioseque et circumspecte examinatis singulis, quae in Colloquio duodecim Pastorum, A. CIↃ IↃ CXI, *nostro in Conuentu, ore primum peracta, mox etiam, cum ipsorum consiliis, perscripta, nobisque tradita, fuere, usi ea auctoritate, quae nobis, ut summis legitimis Potestatibus, iuxta sanctum* DEI *uerbum, eorumque Regum, Principum ac Ciuitatum, quae Reformationem Religionis amplexae sunt, exempla, competit, imperauimus, atque etiamnum imperamus, ut, in memoratis modo interpretationibus, diligenter quisque attendat ad sancti* Pauli *Apostoli Monitum, docentis,* Ne quis supra modum sapiat, ultra, quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique DEVS partitus est mensuram fidei, *et, id quod passim tradunt sacrae literae,* salutem quidem nostram ex DEO solo esse, at nobis nos ipsis perniciem arcessere. *Ac proinde, in explicandis sacris literis, quoties ita feret occasio, Pastores infigant populo, singulorumque sub nostro Imperio habitantium animis, principium, progressum ac finem, humanae salutis, atque ipsam adeo fidem, non natiuis hominum uiribus, aut factis, sed soli, nec promeritae,* DEI, *in* IESV CHRISTO, *Seruatore nostro, gratiae accepta ferri debere. Nullos a* DEO *omnipotente homines ad damnationem creatos,*

Nullis a DEO *peccandi neceſſitatem imponi, neque a* DEO *ad ſalutem inuitari quenquam, cui ſalutem omnino non dare decreuerit. Quanquam uero in Academiis, eruditorumque hominum et uerbi diuini interpretum Conuentibus, ſolent, uti nos quoque permittimus, de ſenſu eorum Sacrae Scripturae locorum, in quibus de* Praedeſtinatione, *et, quae cohaerent, agitur, colloquia inſtitui, unde accidere poteſt, ut diuerſa ſentiant, quod et olim, et noſtro hoc ſeculo, uiris doctis piiſque euenit, nolumus tamen, eas diſputationes profundiores, quae, contra ſententiam iuſſionemque noſtram, extrema illa atque abſurda, quae imputari quibuſdam, ante diximus, poſt ſe trahunt, publice, aut e ſuggeſtu, aut alias, apud populum proponi. etc.*

GROTIVS, tum uirtute, tum ſapientia, aſſecla *Oldenbarneueldii*, una cum *R. Hogerbecio*, Aſſeſſore *Lugdunenſium*, ac deinde, in Conſeſſu ſupremo, Iudice, per annos xx, et Penſionario, tam integro, ut Iudicis perfectiſſimi haberetur exemplum, *Aegidio* item *Ledembergio*, *Traiecti ad Rhenum* Secretario, ea conſtantia partibus eius erat addictus, ut eodem diſcrimine implicaretur, eo re perducta, uti Iudices ipſis conſtituerentur, quos *Incompetentes* exiſtimabat GROTIVS.[1] *Ego*, inquit, *in quaeſtione prima, antequam reſponderem*

1) *Apol. c. 15, p. 270, Edit. Pariſ. 1640.*

Digitized by Google

derem ad interrogata, dixi, natum me Hollandum, *miniſtrum oppidi* Hollandiae, *captum in ſolo* Hollandico, *iudices nullos, niſi* Hollandos, *agnoſcere, paratum tamen me, apud quoſuis defendere, quae egiſſem. Poſt datos iudices, dixi,* Proceres Foederatos *in me imperium ſummum non habere, ac proinde iudices in me ab eis dari non poſſe, uſus etiam ſum lege* Roterodamenſi, *et iure, quod iuxta municipes habebam. Precatus ſum quoque, ut haec, cum ſuis cauſis ac rationibus, Proceribus tum* Hollandiae, *tum* Foederatis, *ſinerer commonſtrare, ſed impetrare hoc non potui. Poſt, conditionem tuli, cognitionem ſuper exceptione mea deferri duobus per* Hollandiam *Iudicum Conſeſſibus, aut iis, qui, Iudicum munere apud nos, aut nationes alias, fungentes, ad hanc cauſam iuxta ceteros delegati erant, ut quos ceteris aequiores cenſerem. Cum iuberer, ſine horum detrimento, ad interrogata reſpondere, facturum, dixi, ui maiore compulſum. Puto, tantundem ab* Hogerbecio *factum.* Sed ſurdis fabula canebatur. Incuſabantur iniuſte, quaſi crimen admiſiſſent laeſae Maieſtatis, et GROTIVS, Comment. ſuo, de *Pietate OO. Hollandiae,* Clericorum in ſe odia concitauerat, *Neque neſciebam,*[1] inquiens, *quid eſſet, irritare crabrones, ſed; fretus honeſti propoſiti conſcientia, auſus ſum*

1) *Ep. XVII. ad Iac. Aug. Thuan. p. 34.*

Digitized by Google

me calumniis obiicere, quas nunquam effugiant, qui adulta et robusta uitia oppugnabunt. Seorsim ei exprobrabatur, quasi, ciuilibus fundamentalibusque Status legibus neglectis, Religioni et Ecclesiis, ratione haud una, esset aduersatus, ciuilis item Regiminis cum damno detrimentoque, tot rerum nouarum cupidus semper autor suasorque fuisset. At ille contentiosum scribendi genus ingressus est, non sui ductu ingenii, minime quippe rixosi, sed impulsus ui quadam maiore, consilio scilicet uirorum prudentium, et studio iuuandae tum Patriae, tum profecto magis Ecclesiae, quo diras Theologorum imprecationes, contentiones rixosas, uirulentos et turbulentos controuersiarum clamores, stomachosos opinionum conflictus; accusationes et damnationes, arceret ab Scholis, Ecclesiis et suggestis, resque plane alienas, isti negotio immixtas, atque ad odium, Magistratibus, pacem sectantibus concitandum, aptas, praecideret, *Arminianos* item, qui unicum in Magistratuum bonitate habebant perfugium, a *Gomaristarum* uehementia pressos, defenderet, ille, inquam, rei coetuique sacro aduersatus esse culpatur, qui hunc laborem scribendi suscepit, quod propior uideretur eius, quod tum obibat, muneri, quique in conscientiae suae adyto, quod omnibus ei tribunalibus erat sanctius,

Digitized by Google

ctius, nihil aliud reperit, quam, perpetuo propositum sibi fuisse, salua opinionum libertate, in illis, quae disputabantur, retinere et Reipublicae, et Ecclesiae, pacem et unitatem, quae res neque ueteribus, neque nouis, exemplis ac legibus caret, ille ipse, contra fundamentales istas Reiminis Statusque leges arguitur peccasse. Quasi uero Christiana Religio ea sit, in qua pietas pax et tranquillitas, nuda sint nomina, charitas, amor, uitae sanctitas morumque integritas, iaceant, accusatione omnia, uel damnatione, ratione nihil, nihil humanitate et aequo iure, decernatur, quasi denique Respublica sit, in qua leges nomen sint, iudicia iaceant, omnia ui, aut factione, ratione nihil, nihil aequo iure, decernatur.

Nitentibus contra, et, uim autoritati suae inferri, frustra clamantibus, ipsis *Hollandiae* Ordinibus, tandem, optimis quibusque a muneribus suis dimotis, nouisque in locum eorum, contra leges, impositis, omnia pro libidine agi coepta sunt eorum, qui istius nouitatis erant autores.

Ita captus est H. GROTIVS, uir innocentissimus, et patriae suae libertatisque publicae multo amantissimus, postquam nouem per menses detentus *Hagae* fuisset, eorumque sex elapsi essent in conquirendo infensissimos quosque, quibus

Iudicum

Digitized by Google

Iudicum munus tuto committerent, treſque reliqui informandis accuſationum capitibus eſſent conſumpti, interdicto interim uxori, liberis, parentibus, conſanguineis et amicis, ne adire, colloqui, aut ullam operam praeſtare captiuo, quamuis periculoſe aegrotanti, uel coram ipſis Iudicibus, liceret. *Paucis*,* inquit, *diebus, poſt me captum, uxor libellum obtulit, ut, adeſſe mihi, permitteretur, et mecum in cuſtodia manere ad cauſae definitionem, ſed repulſam tulit. Poſt id in graues et periculoſos morbos incidi, nunquam tamen coniugi permiſſum eſt, me aut uidere, aut alloqui, ne quidem arbitris cuſtodibus. Cum ſecunda in nos quaeſtio eſt habita, charta nobis et atramentum ſubducta ſunt, atque ita detenti ſumus per menſes ſex.* Quamuis autem ſcriptione, hoc modo, ei fuerit interdictum, eius tamen temporis ſtatum probe ab ipſo delineatum fuiſſe, reperimus, idque in *Florilegio Stobaeano*, ubi, *Rogo*, inquit, *attente legas titulum* Florilegii XLIX, *ad quem me peruenifſe, memoro, in Prolegomenis, eo tempore, cum ſcribendi mihi copia* Hagae *fuit adempta. Continet enim is titulus illius temporis expreſſum characterem.* Ex quo colligi ſimul poteſt, calami, chartae atramentique, copiam ei clam fuiſſe factam.

Damnatus tandem eſt, d. XIIX Maii, A. CIↃIↃCXIX, ad

* *Apol. XIV. p. 256.*

Digitized by Google

ad carceres perpetuos, bonaque eius sunt publicata. Quod, cum ostensum Iudicibus esset, per leges patriae non licere, nisi in reos damnatosque Maiestatis, d. VI Iun. A. CIↃ IↃ CXX, post latam sententiam, pronuntiatum ab iis est, sibi, dum ferrent sententiam, nullam aliam fuisse mentem, quam, GROTIVM aliosque Maiestatis fuisse reos.

Sententiam, contra ipsum latam, anno eius seculi XIX, duodeuicesimo die Maii, hic affigam.

SENTENTIA.

Cum HVGO GROTIVS, *ante* Roterodamensium *Syndicus, ac nunc in custodiam traditus, reusque coram Dominis* Delegatis, *quos Potentissimi Prouinciarum Foederatarum Ordines quaestioni, de eo habendae, proposuerant, ac mox coram Dominis Iudicibus, quibus summa eorundem Potentissimorum Ordinum autoritas totius negotii cognitionem atque iudicium detulerat, extra compedes cruciatusque confessus sit, cumque iidem Domini Iudices inde compertum habuerint, eum (etsi nemini fas sit, ea uincula ac fundamenta legum conuellere, aut temerare, quibus Prouinciarum Foederatarum regimen, ad haec usque tempora, subnixum, et, auxiliante diuini* Numinis *gratia, aduersus hostium et maleuolorum uim, insidiasque*

et

Digitized by Google

et molitiones, inconcussum stetit) tamen eo progressum esse, ut statum Religionis una cum aliis turbare, Ecclesiamque DEI *ingenti tristitia atque angore afficere, ueritus non fuerit, prolatis, in eam rem, atque ipso opere tentatis, inusitatis quibusdam et Reipublicae exitiosis principiis praeceptisque, per quae non modo priuatim, sed etiam in Comitiorum Conuentuumque publicorum celebritate, scriptis orationibusque, atque aliis id genus modis, asseruit, ac multis etiam persuasit, competere singulis seorsim Prouinciis in Religionem summum ius atque potestatem, nihil uti ad Prouincias socias foederatasque eius rei cura pertineat, atque insuper eundem reum assensu suffragioque suo, et quibusdam scriptis, fecisse, uti multae opiniones nouae, formulisque initae concordiae repugnantes, ac nunquam ante in reformata Ecclesia huius Reipublicae inueherentur, atque illic defenderentur, quin et eundem reum ita se penitus in eam causam demisisse, ut, licet sciuerit haud esse decurionum* Schielandiae, *leges ullas sciscere, tamen, eorum nomine, conscripserit formaueritque immite Edictum, quod, uicesimo et primo die Iunii, Anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, editum, nomine Praetoris, Assessorumque et Decurionum* Schielandiae, *fuit, qui, cum non ignorarent, templa omnia publica intra suae iurisdictionis fines*

ab

Digitized by Google

ab eiusmodi Concionatoribus teneri, qui nouis imbuti opinionibus essent, tamen, eo Edicto, sanxerunt, uti ne alibi, quam in supra dictis templis, sacros conuentus celebrare, ueraeque reformatae Religioni operam dare, fas esset, qui secus fecissent, eorum uti domus, horreum, foenile, nauis, cymba, fundus, aliaque loca, in queis sacra ea peracta essent, publicarentur, etiamsi forte is, ad quem earum rerum dominium, proprietasque pertineret, in eos conuentus non consensisset, cui integra duntaxat relinqueretur actio aduersus conductorem, eosue qui talem coetum conuocassent, tum et, ut trecentis florenis is mulctaretur, qui concionatus illic esset, quique Sacramenta administrasset, aut textum biblicum coetui praelegisset, aliosue sacros actus obiuisset, denique, qui conuentum indixisset, aut eum locum inhabitaret, ubi coetus initus esset, qua de causa is etiam e uestigio in custodias includi posset, donec exoluta praesens pecunia foret, repertis insuper quibusdam insolitis Rei iudiciariae modis, e quibus iste erat, ut confiteri crimen existimaretur, qui respondere ad interrogata recusaret, utque e dictis duntaxat testium sententia ferretur. Deinde, hunc ipsum quoque, ut his malis iusta remedia adhiberentur, neue opiniones eiusmodi nouae a sacro limine arcerentur, assidue illud operam dedisse, uti in Foederatis Prouinciis nulla Synodus Nationalis

Digitized by Google

tionalis haberetur, aut permitteretur, quamuis ad-pellendas eas, quae in Religione enatae erant, difficultates, remedium hoc esse praesens et necessarium iudicaretur a Sereniſſimo Magnae Britanniae *Rege, ab illuſtriſſimo Principe* Auriaco, *a maiore Prouinciarum parte, atque a multis* Hollandiae *Ciuitatibus, quarum erat notabilis autoritas potestasque. Eundem quoque reum, ad eum finem, haec talia iactasse, Synodos Supremae Ordinum Iurisdictioni aliquid praeiudicati afferre, in causa Synodi neque Suffragiis, neque numero Suffragiorum, agendum esse, fore id aduersus Maiestatem, libertatemque et iura* Hollandiae, *si eius Prouinciae Ordinibus, aut maiori eorum parti, sine plena eorum assensione, obtruderetur Nationalis Synodus. Ad hoc, eundem reum, quo acrius aduersus hanc obniteretur, quosdam segregatos Conuentus cum delegatis ex* VIII *Vrbibus peregisse, ut de tota re dispicerent ante inter se, consultarentque, atque ita mox, ex composito, in comitiis illustrium Ordinum, sententias arte consonantes dicerent. Ad haec eundem reum, iniussu Ordinum* Hollandiae, *cum etiam nihil quicquam de Mandato Ordinum* Vltraiectensium *aut* Transſyſſulanorum *compertum haberet, ausum fuisse, in aedibus* Ioannis ab Oldenbarneueld, *obnuntiationem quandam, nomine trium simul Prouinciarum,* Hollandiae, Vltraiecti

iecti *et* Transſyſſulaniae, *conſcribere, qua eae mox coniunctim atque ex compacto in potentiſſimorum Foederatorum Ordinum conſeſſu, nouo inauditoque more, teſtatae ſunt, ceterarum Prouinciarum* Legatos, *qui Synodum* Nationalem *maturarent, malorum grauiſſimorum, et immedicabilium autores fore, eundemque etiam antea hanc obnuntiationem in ſenatum delegatorum ab Ordinibus* Hollandiae, *ſecus, quam fieri ſolet, attuliſſe, atque illic recitauiſſe, neque ſuffragia, decretumue, ſuper ea rite, aut ordine, expectaſſe. Eundem quoque aſſenſiſſe, et una cum delegatis ex* VIII *urbibus effeciſſe, ut magna ſociorum deſpicatione literae eae, quas Foederati Ordines dederant, nondum apertae lectaeque retrorſum miſſae reiectaeque ſint. Quin et eundem cum aliis una formauiſſe Epiſtolam, quae, nomine Ordinum* Hollandiae, *ſcripta ad* Chriſtianiſſimum Galliae *Regem fuit, ob hanc cauſam, uti Maieſtas eius falſo crederet, Synodi* Nationalis *Conuocatione id agi, ut ſupremis Magiſtratibus, Nobilibuſque et Spectatiſſimis Prouinciarum Vaſallis, iura collationis et patronatus adimerentur, tum, uti exiſtimaret, DD. Ordines Generales, in conuocanda ea Synodo, nihil, niſi appellationem Ordinum Generalium, ſibi aſſumere, atque uti rogaretur eius Maieſtas, ne quenquam ex ſua ditione ad Synodum uenire ſineret, ſed ut*

Digitized by Google

Hollandis *potius aduersus ceterorum factiones (ut quidem ibi uocant) opem auxiliumque ferret. Quae omnia illuc pertinebant, ut et* Nationalis *Synodus, et ea remedia, quae erant componendis tantis in religione dissensionibus, impedirentur. Sed et eundem reum in* Anglia, *monitu* Ioannis ab Oldenbarneueld, *tentauisse et exquisiuisse Episcoporum Iudicia, ut, si amplius obsisti non posset, saltem quidam eorum ad Synodum uenirent, qui nouitati opinionum non aduersarentur. Cum tamen omnium Foederatarum Prouinciarum Rectores, multis recessuum actis, pactionibus, transactionibusque ac decretis, mutuo sibi inter se promiserint, seque huic Legi astrinxerint, ut opibus omnibus, uitaque et sanguine, Reformatam Euangelii Doctrinam, quae in hisce Prouinciis ubique susceptа est, protegerent ac tuerentur, nihil ut in ea immutarent ipsi, immutariue sinerent, denique, quamuis ad hancce Normam,* A. DEI *Dominique nostri* CIↃ IↃ LXXXVIII, *iuramento omnia, quae a Gubernatoribus et Praefectis, Ducibusque ac militibus, exigerentur, ita composita et publico Decreto comprobata essent, uti sanctissime suam fidem obligarent, in Ordinibus Generalibus, qui in foedere semel icto, atque in defensione uerae Reformatae Religionis, perdurarent, postremo, quamuis, in omni deditione captarum urbium, pactio interposita fuerit,*

Digitized by Google

rit, uti necesse haberent, eam exercere Religionem, quae a Victoribus Foederatisque suscepta iam ubique erat. Insuper eundem, cum, haud sufficere isthaec, crederet, ausum etiam fuisse, ope sua auxilioque statum Reipublicae ciuilem turbare, uti deinde in eo ad arbitrium paucorum cuncta constituerentur, atque in his rebus eam uiam institisse, ut multis Ecclesiasticis Laicisque, qui, se iniuria affectos relegatosque, et eiectos atque oppressos, querebantur, iustitiamque legesque implorare, ac Iuris remedia persentiscere, non concederentur, sed uti Ciuitatum Magistratibus uires animique suppeditarentur, ne Curiarum iuridicarum Mandata, in eam rem impetrata, audirent. Dein, ut mutuam sibi inter se operam nauarent, conatibusque suis autoritatem illustrium DD. Ordinum praetexerent, eundem reum, super his et id genus aliis negotiis, monitis Ioannis ab Oldenbarneueld, multos clandestinos conuentus cum delegatis ex supra dictis ciuitatibus peregisse, uti de tota re dispicerent ante inter se, consiliaque in unum conferrent, atque ita mox in comitiis Ordinum ex compacto suffragiis consonarent, decretaque eiusmodi, uti pro re nata opus esset, conficerent, in quibus quidem coetibus etiam plura rerum capita, de quibus separatim, alio atque alio tempore, ad Senatum Ordinum retulerant, recognita et repetita fuerunt, ut

Digitized by Google

in uniuersum de iis conderetur unum decretum, quod et factum fuit, cum a Ioanne ab Oldenbarneueld *composita, ac mox ore ac uerbis tenus in unam concluſa ſummam eſt formula acerrimi Senatus-Conſulti, quod die quarto* Auguſti, A. CIↃIↃCXVII, *conditum eſt, quo Mandata Curiae utriuſque iuridicae, aduerſus factioſos eorum conatus impetrata, declarantur nulla atque inualida, monenturque Ciuitatum Rectores et Magiſtratus, ut iis obtemperent, atque etiam poteſtas ſit iiſdem Magiſtratibus, uti praeſidia ſibi armatorum Militum legant, et ſacramentum ab illis exigant, non Sociis Foederatiſque in commune, ſed ipſis ſolis, praeſtandum, ac iubentur omnes praefecti, praetoreſque et iudices, qui iure iurando ſeſe* Hollandiae *obſtrinxerunt, decretum illud ex fide, quam debebant, exequi, denique cautum fuit, ut tribuni omnes, Duceſque et milites, qui allecti in Ordinarias copias erant, cogerentur, ſpretis aliorum omnium iuſſibus, Ordinibus duntaxat Prouinciae cuiuſque, qui ſtipendia ipſis ſoluerent, magiſtratibuſque earum urbium, ubi in praeſidiis eſſent, fidem atque obſequium commodare, quod ſi aduerſum ea facerent, ignominioſa miſſione, ſacramento militiae ſoluendos fore. Quibus rebus illud demum effectum eſt, ut aduerſus Curias iuridicas acrior ſuſcepta molitio ſit, atque ut edictum quoddam, quod*

conſcio

Digitized by Google

conscio hoc reo compositum, atque ab ipso recognitum est, publice, Magistratuum Harlemensium *nomine, promulgaretur, quo, supremae Curiae Assessores contumaces ac refractarios esse, contraque bonum et honestum, atque aduersus iurisiurandi fidem feciſſe, et sententias eorum nullas atque inualidas esse, declarabatur, propterea, quod officium suum quibusdam impertierat, qui, praeterius fasque se oppressos, conquerebantur. Sed et illud hinc contigit, ut Magistratus Rectoresque supra dictarum* VIII *urbium, cum* Ioannes ab Oldenbarneueld *identidem monuisset, uigilandum et securitati consulendum esse, nouos Milites legerint ac sub uexillis habuerint, aut, quae ante erexerant, uexilla immutauerint, iisque plures milites addiderint, exacto eiusmodi sacramento, quo et singulis Ciuitatibus fides obsequiumque promitteretur, et Foederati Ordines, atque illustrissimus Princeps, Praefectus Generalis, excluderentur, adiecto etiam hoc mandato, ut Magistratibus urbium obtemperarent, aduersus quoslibet, atque etiam contra Foederatos Ordines illustrissimumque Principem, si iidem Magistratus existimarent, aliquid ab his tentari, quod iuri suo libertatique crederent officere. Eundem quoque reum auscultauisse monitis* Ioannis ab Oldenbarneueld *atque assensisse, uti pariter* Roterodamenses *quoque nouum*

uum militem conſcriberent, atque ut, ex Sententia ſupra dicti Senatus-Conſulti, Brielam *quidam Delegati, ignaro illuſtriſſimo Principe, Praefecto Generali, mitterentur, qui ordinarias cohortes, illic in praeſidiis collocatas, ſupra dicto ſacramento adigerent, aut recuſantes exautorarent. Super haec, ſciuiſſe eundem reum, non eſſe noui militis conſcriptionem factam ad inhibendas ſeditiones plebis, cum quo ſimiliter conſcriptus eiuſmodi miles eſſet* Hornae *et* Goudae, *ubi haud metuendi erant tumultus, tum, quod* Vltraiecti *idem factum eſſet, in qua urbe, ab* A. CIↃ ↃC X, *praeſidiarii milites ingentes, ualidaeque copiae, ad depellendos ciuicos motus, erant collocatae, denique, quod* Roterodamenſes *atque* Vltraiectini Schonhouiam, *ubi duae Foederatorum Ordinum cohortes in praeſidiis erant, milites, recens a ſe lectos, miſerint, ne ea urbs factioni ſuae ſubtraheretur, quemadmodum et hic ipſe reus quoſdam e Decurionibus* Delphenſibus *permouere ſtuduit, uti, eiuſmodi noui militis conſcriptione pariter ſibi opus eſſe, crederent. Sed et intellexiſſe eundem reum, ad inhibendos ciuicos motus haud neceſſum eſſe, uti tam multae nouorum militum cohortes conſcriberentur, aut, uti, ob eam cauſam, Foederatis Ordinibus Praefectoque Generali ſacramentum non dicerent. Atque etiam eundem reum una conſultauiſſe de ſtipendiis nouorum mili-*

Digitized by Google

militum inter ciuitates, quarum negotium agebatur, pro rata parte constituendis, aut in rationes eas, quas cum Foederatis Ordinibus haberent, referendis, cum tamen ipse fateatur, non debuisse eos Foederatis Ordinibus obtemperare, si Magistratus Vrbici legibus contraria imperarent. Tum et eundem cum aliis deliberauisse, de Copiis auxiliaribus Gallicis *exautorandis, aut de Cohortibus ceteris, si quae grandiores essent, in pauciora capita contrahendis, uti in facili foret, unde stipendia nouo militi exoluerentur. Ad hoc, eundem, per idem Senatus Consultum, studuisse formulam sacramenti, ad quam ordinariae cohortes adiguntur, in hanc sententiam detorquere, quasi ante omnia obsequi deberent Ordinibus cuiusque* Prouinciae, *unde stipendia acciperent, Magistratibusque earum urbium, ubi praesidia agitarent, etiam aduersus Foederatos Ordines, contraque illustrissimum Principem, si forte ii diuersa iuberent, ut et hac ipsa re, atque etiam noui militis delectu, summa potestas popularibus factionis istiusce foret in cunctas fere copias militares harum Prouinciarum. Super haec eundem quoque, in supra dictis conuenticulis, comprobasse, et una cum* Hanio *atque* Hogerbecio, *ex consilio* Ioannis ab Oldenbarneueld, *formauisse eam orationem, quae habita, nomine* Harlemensium, *in Comitiis Ordinum* Hollandiae, *et suffragiis ceterorum*

Digitized by Google

rorum eiusdem factionis confirmata fuit, qua asse-rebant iidem Harlemenses, *nunquam fore, ut, aut ceteras Foederatas Prouincias, in causa Religionis, quicquam, se inuitis, facere, aut, Curias iuridicas ul-la Mandata aduersus placita sua decernere, sinerent, quin potius, opes omnes et uectigalia reipublicae, auerruncandis his rebus, impendi, oportere, tum et debere Ordinarias Foederatarum Prouinciarum cohortes Magistratibus urbium earum, in quas, praesidii gratiã, mitterentur, sacramentum dicere, eosque propugnare, etiamsi quid ab his per causam, aut praetextum, Religionis imperaretur, denique, qua pecunias, quas extra ordinem promittere in aerarii subsidium solent, cautionibus inusitatis a-strinxerunt, atque in eum modum ceteras Ciuitates socioque ueluti ad noui Foederis leges inuitarunt. Eundem quoque reum curauisse, eam Orationem ex* Belgico *in* Gallicum *sermonem uerti, et in alias terras mitti, atque etiam super hac re consilia cum legato quodam extero communicauisse. Mox, cum illustrissimus Princeps* Brielae *ualidius praesi-dium ex Foederatorum Ordinum cohortibus, eo con-silio, imposuisset, uti ne in ea urbe etiam nouus miles conscriberetur, eundem reum palam id improbauis-se, et una cum quibusdam ex Senatu delegatorum effeciisse, uti ad* Ioannem ab Oldenbarneueld *et* Hollandiae *Ciuitates, tanquam in re trepida anci-pitique,*

Digitized by Google

pitique, literae scriberentur, atque ut ex eodem Senatu quidam Brielam *mitterentur, qui illustrissimum Principem ab incepto transuersum agerent. Eundem quoque, uti praesidium isti factioni adderet, decreuisse atque concepisse, una cum Delegatis ex octo urbibus, formulam cuiusdam Mandati, quod, decimo et quarto die* Maii, A. CIↃ IↃ CXVIII, *supra dictae octo Ciuitates Delegatis dederunt, quo potestas iisdem Delegatis facta fuit, ut, nulla ad Senatum relatione facta, libere inter se statuerent, de eiusmodi remediis, quae aut adhiberi iam coeperant, aut deinceps comparanda esse uiderentur, aduersum eos, qui Synodum* Nationalem *muturarent, aut noui militis missionem molirentur, (quod quidem non ad alios proferri, nisi ad illustrissimum Principem, et ad potentissimos Foederatos Ordines, potuit, qui in utrumque hoc negotium intenti erant) denique, quo permissum iisdem Delegatis erat, ut, data inuicem fide, promitterent sibi inter se auxilium, suppetiasque et indemnitatem, ita, uti pro re nata opus esse uideretur, quae res eo pertinebat, uti inter se in nouum Foedus coirent, in cuius Societatem etiam Ordines* Vltraiectini *inuitati fuere, quorum nomine mox simile Mandatum est editum, die tertio* Iunii, A. CIↃ IↃ CXVIII, *styli ueteris, quanquam Magistratus urbis* Vltraiectinae, *cum impensius animaduerteret, quo istud pertenderet, non aliter illud*

Digitized by Google

comprobare sustinuit, nisi hac cautione, ut Delegatis neutiquam fas foret, ope, aut assensu, uiolenta et extrema tentare, aut nouas Societatis leges sancire, quae extra commune Prouinciarum Foedus essent. Exhinc, cum DD. Ordines Vltraiectini *cernerent, in pestem aerarii nouum militem retineri, eamque ob causam Delegatos ex consessu suo, iusto numero,* Hagam *misissent, uti cum illustrissimo Principe de noui militis exautoratione agerent, eundem reum, cum Syndicis,* Hanio *et* Hogerbecio, *et cum Secretario* Ledembergio, *in aedibus* Ioannis Vtenbogardi, *consultauisse, qua potissimum ratione, quaue uia, permoueri possent ceteri Delegati* Vltraiectini, *ut ne acceptum super ea re Mandatum exponerent. Mox et eundem reum, postquam de his ad* Ioannem ab Oldenbarneueld *retulisset, iniussu eorum, quorum Actor Syndicusque erat, affuisse, una cum supra dictis Syndicis, in aedibus* Danielis Treselii, *in quas ceteri Delegati* Vltraiectini *data opera, conuocati erant, atque illic, eum eosdem Delegatos multis acribus pernicioss;que, et communi quieti atque publico Prouinciarum statui inutilibus, rationibus, et insuper suppetiarum pollicitatione, eo adduxisse, uti accepta mandata illustrissimo Principi non exponerent, sed* Vltraiectum *reuerterentur, magno Reipublicae urbisque* Vltraiectinae *periculo. Quin etiam eundem reum illic*

ad

Digitized by Google

ad hunc modum uerba feciſſe, ut potentiſſimos Ordines Foederatos illuſtriſſimumque Principem, per uituperationem, aduerſarios inuidoſque ac maleuolos dixerit, aduerſus quos fidenter obniti, opibuſque Reipublicae haud parcere, oporteret, tum, ut aſſereret, exautoratione noui militis animos auctum iri maleuolis, ac damnum irreparabile ſuae factioni afferri, periculumque eſſe, ne in grauiora incideret mala, neue ceterae Ciuitates, quarum ſalus in hoc uertebatur, rem eam inique ferrent, incerta atque intuta eſſe, quae ab ordinariis cohortibus ſperarentur, opus hic eſſe, uti fiduciam ac ſpiritus ſumerent, fore, ut ceterae ciuitates parteſque Hollandiae, *ad quas ea res pertineret, ſuppetias ipſis ferrent, cauſamque, iunctis uiribus, ad exitum perducerent, atque omni ope, quae proficiſci ab humano ingenio poſſet, conſtantiam incepti ſeruarent, tum et* Hollandos *aerarii ſui rationibus ita conſulturos, ut hinc accepturi leuamen aliquod* Vltraiectenſes *eſſent, eoſdemque etiam circa milites, quibus ſtipendia exoluerent, in eum modum omnia ordinaturos, ut deinceps reſciſcerent, quorum fides probata certaque, aut dubia et fluxa, eſſet. Quae omnia ſic dicta factaque ab eodem reo fuere, etſi fateatur ipſe, ſe ad animum ſuum iudicauiſſe, expedita commodaque uia occurri multis malis potuiſſe, ſi mandata ea Delegati expoſuiſſent.*

Dein,

Digitized by Google

Dein, cum potentissimi Ordines Foederati illustrissimum Principem rogassent, ut cum Delegatis aliquot, quos ex consessu suo elegerant, Vltraiectum *proficisceretur, atque illic exautorationem noui militis, conuocationemque* Nationalis *Synodi, et id genus alia, urgeret, eundem reum a paucis Nobilibus, et trium Ciuitatum Legatis, atque insuper a quibusdam ex Senatu delegatorum Ordinum, (qui potestatem eius rei nullam a suis acceperant) id negotii sibi dari, passum esse, ut, una cum Syndico* Hogerbecio, *atque cum aliis,* Vltraiectum *abiret, et Ordinibus Prouinciae* Vltraiectinae, *ac Magistratui urbis, opem consiliumque et omnis generis copias promitteret, atque ut insuper, si forte ab illustrissimo Principe, et a Legatis Foederatorum Ordinum, exautoratio noui militis, sine Ordinum* Vltraiectinorum *suffragatione, tentaretur, eam rem ui armisque impediret, cuius quidem legationis susceptae causam fuisse sibi hanc, confitetur, ut propositum DD. Ordinum* Vltraiectensium *iuuaret, atque ut Ordinarias cohortes pariter iisdem, ad eum finem, operam manusque commodare, iuberet, acceptis in eam rem literis ad ordinarii militis praefectos, stipendia ex* Hollandiae *aerario capientes, qua conscribillatae primitus a* Ioanne ab Oldenbarneueld, *sed in Comitiis, quae tunc erant, recitatae non fuere, quarum sententia erat, Debere eos solis illis,*

Digitized by Google

illis, quorum aere mererent, Ordinibusque insuper earum Prouinciarum, in quas missi essent, fidem et obsequium praestare, eorumque decreta omnia obseruare, ac iubere, obseruari, nihil uti aduersum ea faciant, tententue, aut fieri tentariue sinant. Eundemque reum mox, postquam celeriter Vltraiectum *uenisset, et clandestinis conuentibus cum* Ledembergio *agitasset, qua uia, quibusue pollicitationibus,* Vltraiectinos *Ordines adoriri oporteret, ne nouum militem sacramento solui sinerent, sed uti eam rem impedirent potius, in Consensu DD. Ordinum, una cum* Hogerbecio *et aliis eiusdem factionis popularibus, ea exposuisse, quorum causa uenisset, consiliumque illis, et opem copiasque, promisisse, atque ad eundem modum etiam uerba fecisse apud Magistratum urbis, adductis eiusmodi rationibus, quae et DD. Foederatis Ordinibus illustrissimoque Principi formidolosae essent, et* Vltraiectinos *acrius accenderent, animarentque, ut ne inuitos se cogi ad missionem noui militis sinerent. Insuper his, cum illustrissimus Princeps quoque et Legati Ordinum Generalium illuc aduenissent, atque edisseruissent, quae acceperant, mandata, eundem reum commodauisse operam suam ad componendum id responsum, quod, nomine DD. Ordinum* Vltraiectensium, *ipsis redderetur, in quo ita orationem instituit, ut eos, qui cum illustrissimo Principe*

Digitized by Google

cipe aderant, agnoscere Foederatorum Ordinum legatos noluerit, quamuis et tales se probauissent publicis literis, quas, ad fidem faciendam, tradiderant, atque etiam in eum modum illic se immiscuisse curis Reipublicae Vltraiectinae, *atque in clandestinis conuentibus una affuisse, in queis Centurioni* Harteueltio *datum est summum in nouos milites imperium, tum et operam eum dedisse, uti priuatim uni ex Consulibus* Vltraiectinis *persuaderet, retinendum esse nouum militem, atque etiam consultauisse cum praesidiorum Praefecto, quam insistere uiam oporteret, si illustrissimus Princeps noui militis exautorationem ui exequi anniteretur. Eundem quoque reum studuisse DD. Ordines* Vltraiectinos *permouere, ut aduersum haec manu armisque tenderent, ac suasisse, fidas custodias ad portas collocarent, securitatique suae consulerent, et ut ciues armati curiam custodirent. Dein, cum Centurioni* Harteueltio *religio esset, manus suas aduersus potentissimos Ordines Foederatos, contraque illustrissimum Principem, armare, eundem reum ad haec dixisse, nihil id aliud esse, nisi degeneris animi ignauiam meramque perfidiam, quae neque honorifica, neque utilis, esse posset, ac satis mirari eam rem nequiuisse. Super haec, eundem reum, uti etiam Ordinariae cohortes contra ea, quae parabantur, resisterent, sacramenti eas admonuisse,*

Digitized by Google

se, ad quod adactae essent, atque illud tali interpretatione peruertere uoluisse, ut existimaretur, haud debere eas DD. Ordinibus Foederatis illustrissimoque Principi obtemperare aduersus DD. Ordinum Vltraiectensium *imperia, sed, e contrario, debere ea facere, et curare fieri, quae aut ii, quorum aere merebant, aut Ordines* Vltraiectini, *iuberent decernentque, nihil ut aduersum ea agant tententue, aut agi tentariue sinant, atque etiam minitatum esse iisdem, fore, ut aere diruerentur, si secus fecissent. Eundem quoque reum, una cum popularibus eiusdem factionis, haud dubitasse Praefecto Praesidiorum imperare, ne aliorum iussa, nisi sua Ordinumque* Vltraiectensium, *capesseret. Insuperque eundem reum, ut, omni ope id, quod coeperat, pertendere se uelle, significaret, pridie, quam exautoratio noui militis facta est, Ducibus Rectoribusque ordinarii Praesidii supradictas literas, quae, Ordinum* Hollandiae *nomine, scriptae ad eos erant, in manum tradidisse, ut saltem desidere et nihil contra moliri uellent, quo quidem casu,* Ledembergius *atque alii significauerant, facile superari posse praesens discrimen, quoniam solicite a se circa nouum militem ordinata erant. Postremo eundem reum, ea ipsa nocte, consilia communicauisse cum Praesidiorum Praefecto, ac deliberasse cum eo, qua demum ratione efficeretur, ne illustrissimus Princeps plures*

ex

Digitized by Google

ex ſuis copiis in urbem introduceret, tum, ut ad eum finem porta Amerſfortenſis *fidis euſtodiis teneretur, atque etiam dixiſſe, uim id fore, ſi ea cauſa illuſtriſſimus Princeps reſerare portas conaretur. Quae quidem artes uniuerſae eo ſpectauerint, ut non ſolum* Vltraiectinae *Prouinciae Metropolis multo ſanguine undaret, ſed etiam totius Reipublicae ſtatus et uita illuſtriſſimi Principis in extremum adduceretur diſcrimen, effectumque eſt, per has et alias eiuſce generis machinas conſpirationeſque, ut contigerit, inter Ordines eſſe alios Ordines, aliud in rerum regimine regimen exiſtere, nouas ſocietates iniri aduerſus commune Foedus, turbari in uniuerſum Reipublicae Eccleſiaſticum et ciuilem ſtatum, aerarium exhauriri, decies decieſque et amplius centena millia expendi, diffidentiam paſſim, diſſenſioneſque inter ſocios, atque inter ciues, excitari, Foederis inibi uincula diſrumpi, Prouinciaſque ad ſui tutelam inualidas fieri, ac ferme in periculum uenire, ne ad probroſam aliquam pactionem deſcendere, aut etiam funditus interire, cogantur. Quae eiuſmodi ſunt, ut, in Republica bene compoſita, neutiquam ferri, ſed, publici exempli cauſa uindicari, oporteat.*

Quare his adducti Domini Iudices, poſt maturam deliberationem, perſpectis expenſiſque iis omnibus, quae

Digitized by Google

quae ad rem facerent, quibusque permoueri possent, ius dicentes, nomine atque iussu potentissimorum Ordinum Foederatarum Prouinciarum, condemnarunt eundem reum, atque in praesens condemnant, ut CARCERE PERPETVO *attineatur, eaque causa deducatur in locum munitum, quem potentissimi Ordines Foederati assignabunt, atque illic,* per omne tempus uitae custodiis asseruetur, bona eius omnia FISCO addunt. *Actum in Consessu eorundem Dominorum Iudicum,* Hagae Comitum, *praenuntiatumque* XVIII Maii, A. CIↃ IↃ CXIX.

Haga Comitum, A. CIↃ IↃ CXIX, d. VI Iunii, in Castellum *Lupestenium* transducebatur, in *Hollandia* situm, ad fines *Geldriae, Mosam* inter et *Vahalim,* ut uitam, in paedore carceris, finire cogeretur. Sesquiannuum ibi spatium exigendum ei fuit, inter maximas carceris molestias, fundis ipsius aut diuenditis, aut addictis fisco. *Attributi,** inquit, *ad alimenta nostra fuerunt uiceni quatuor asses in diem. Qui sensu communi non carent, iudicare facile possunt, an satis id fuerit sustentandis illis, quos familiae onus non leue urgebat. Sed Coniuges, non grauatae, illos, de eo, quod ipsis restabat, alere, nunquam eam pecuniam accipere uoluerunt. Per tempus aliquod custodibus illorum mandatum erat, cibos nobis dare, sed*

* *Apol. c. XVIII, p. 296.*

Digitized by Google

ultro inſtitimus, ut ea moleſtia, et, quod ultra ſuſpicari, non abs re erat, liberaremur. Seni Patri meo nunquam me uidendi facta eſt copia, uxor uero ac liberi mei primum uſi ſunt libertate adeundi me, atque a me recedendi, ſed, paulo poſt, arcano ductu, decretum longe aliud cuſum eſt, uxorem mecum carceri includendam, quam diu adeſſe mihi uellet, neque uero abire permittendam, ni ueniam expreſſam eius rei impetraſſet. Ex hoc decreto Vxor mea, quanquam et hoc, multum annuente Dauentrio, *qui iam imperium in cuſtodiam acceperat, uix obtinuit, ut* Hagam *proficiſci liceret, ibique oſtendit, quam graue et iniquum eſſet, cogi ſe, aut in ea calamitate maritum deſerere, aut ipſam quoque, damno ualetudinis, manere captiuam, proiectis extra curam ſuam liberis, natu minimis, ualde infantibus, quos ſecum in carcerem adducere non poſſet. Re ſaepe negata, ſaepe dilata, tandem Vxoris libertas ita coarctata eſt, ut manendum haberent intra arcem* Lupeſtenii, *neque inde progredi, niſi quod bis, intra dies ſeptem, comparando uictui, aut ire poſſent, aut aliquem mittere. Quod ita manſit per aliquod tempus.* Ac Regi quidem *Galliae* non parum curae cordique erat GROTII liberatio, quam per legatum ſuum, *Beni. Aub. Maurerium*, tentabat, prouti hoc ipſe GROTIVS, * ad *Maurerium*, teſtatur. *Chriſtia-*

* *Epiſt. XXV.*

ſtianiſſimo, inquit, *Regi, ſapientiſſimo eius Conſilio, ac nominatim, Vir illuſtriſſime, tibi, quantum dici non poteſt, me debere, profiteor, gratiam, pro ſuſceptis laboribus, ad ſubleuandas eas, in quas, Reipubl. fato, incidi, calamitates. Quanquam uero effectu ſuo ea res hactenus caruit, non exiguum tamen leuamentum fuit, tales ac tantos uidere noſtris malis indolentes.* Ac ſpem fecerant Ordines liberum dimittendi GROTIVM, ſi, ſe peccaſſe, agnoſceret, erratorumque peteret ueniam, quod cum detrectaret excelſus animus, ac duriora cuncta perpeti mallet, quam ueniam poſcere earum rerum, in quibus culpam non agnoſcebat, effectu caruit interceſſio Gallicana. *At illud*, inquit GROTIVS,* *uerum eſſe, teſtatur mihi animus, quod iudicas, et libertatem a me defenſam, ſecundum eas, quas acceperam, leges, et, adduci me non potuiſſe, quanquam et promiſſis, et minis, tentatum*, VT RECTE ET EX VETERE FORMVLA DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO SENTIENTIVM OPPRESSIONI ACCEDEREM. *Seruabit mihi, ut ſpero, hunc animum* DEVS, *ut, neque ſpe, neque metu ullo, abductus, factis dictiſque ſeorſum eam ab eo, quod animus ſentit.* Exprimit hoc pluribus idem, Epiſt. XXV, ad *Maurerium*, e carcere *Lupeſten.* A. CIↃIↃCXXI, his uerbis. *Ego iam tam diu, dicta*

N 2 *cau-*

* *Ep. XXXVIII, ad* Guil. Vairium.

Digitized by Google

causa apud conscientiae meae auditorium, quod omnibus mihi tribunalibus est sanctius, intra intimos animi recessus nihil aliud reperio, quam, perpetuo propositum nobis fuisse, salua opinionum libertate in illis, quae disputabuntur, retinere Ecclesiae unitatem, quae res, neque ueteribus, neque nouis, exemplis caret. In Republica nihil unquam nouatum uolui. Cordi mihi fuit, eorum ius tueri, quibus me et natura subditum, et muneris ratio Ministrum, fecerat, quibusue fidem meam addixeram, manente penes Foederatos et Principem eum potestate, quam publicis suffragiis delatam, huc usque obtinuerant. Qui rem norunt, facile intelligunt, hoc unum nostrum esse crimen, quod Rempublicam non gesserimus ex illis legibus, quas isti ex suo usu erant constituturi. Si eo nomine bonis, honoribus, fama, exuimur, ne id quidem sine exemplo est. Sed illud durissimum, quod et infirmitas corporis mei coelo, et animi moeror amicorum solatiis, destituitur. Potius tamen et hoc, et, si quid peius fingi potest, DEO *adiuuante, perpetiar, quam ueniam poscam earum rerum, in quibus animus culpam non agnoscit.*

Noster GROTIVS per tempus illud, quo *Lupestenii* diligenter custodiebatur, haud aliud ullum solatii genus habebat, quam consuetudinem Vxoris suae, copiamque librorum, quos ei sub-

Digitized by Google

ſubmittere ipſius amici non prohibebantur, quorumque ingens ei ſemper mittebatur Arca, quam, cum libris, ab ſe perlectis, GROTIVS remittebat, quod diligentiae genus *Maurerius*, in Memoriis, tantum fuiſſe, praedicat, ut, diſcendi celeritate, libros non legere, ſed deuorare, uideretur, et tantum uno die proficeret, quantum alii uix toto menſe. Vnde GROTIVM *Rutgerſius* cum *Moſe* comparat, de quo *Philo*, L. I de uita *Moſis*, narrat, eum magiſtros ſuos, intra modicum tempus, ſuperaſſe, et, natiua docilitate, inſtitutionem ferme anteuertiſſe. Solatus eum quoque eſt literis *Hogerbecius*, in *Lupeſteniana* cuſtodia, prohibito illi conſpectu mutuo, ex quo perſpicitur, omnem ipſos occaſionem quaeſiuiſſe conditionis ipſius, utrinque explorandae, licet arctiore cuſtodia tenerentur. Ipſa GROTII uerba ſubiungam. *Angor* * *animi, cum ad* Hogerbecium *uenio, cuius uincula ac moeror me cruciant, quod, ſupra officia multa, quae liber libero fecit, etiam in* Lupeſteniana *cuſtodia, prohibito nobis conſpectu mutuo, ſolatus me ſaepe eſt literis, indubitatis teſtibus tum probitatis ipſius, tum in* DEVM *pieeatis, quas uirtutes tum ipſe, tum Vxor ipſius, quae captiuitati Coniugis immortua eſt, omnibus uitae ſuae partibus oſtenderunt, ut uſurpare de illis* Claudiani *illud liceat,*

N 3 *Ceu*

* *Apol. c. XX. p. 523.*

Digitized by Google

Ceu sibi certantes, sexus quid posset uterque,
Hunc legere torum.

Cum primis nulla res eum magis oblectabat, quam rerum sacrarum meditatio. Id in rebus prosperis moderamen, in his aduersis solamen, sentiebat. Elaborabat igitur, in custodia sua, *scripta* plerunque *sacra*, in his insignes illos *Hymnos*, de *Veritate Religionis Christianae*, partim, ut sese recrearet, pro nauigantibus suis ciuibus, *Batauis*, ut hi, regiones *Indiarum*, aliosue *Barbarorum* fines, petituri, pias eiusmodi cantilenas cantando, sibi notas redderent, utque contra incredulos ipsos, argumentis quam firmissimis uti possent, profanos impiosque ex ratione ipsorum, ac sensu communi necessariisque consequentiis, conuicturi, esse DEVM, esse *Conditorem* rerum omnium et *Conseruatorem*, eundemque futurum esse *Iudicem* proborum pariter, atque impiorum, Codicem uero sacrum, Veteris et Noui Testamenti, uerum incorruptumque verbum esse DEI, *Iudaeos* ac *Mahumedanos* ipsorummet gladio ferirent, Christianaeque Religionis Veritatem, ex eorundem documentis monumentisque domesticis, eis demonstrarent. Vnde etiam, ut diximus, opusculum hoc, uersibus inclusum *Belgicis*, edidit, in uersus *Germanicos* postea translatum a *Mart. Opitio*, ut infra pluribus

Digitized by Google

bus ostendam. Idem illud aureolum *Poema*, insequenti tempore, suasu hortatuque amicorum, sermone libero, eoque *Latino*, redditum, emisit, quod in octo iam Linguis, praeter *Belgicam Latinamque* ipsius Autoris editionem, legitur, nominatim in *Germanica*, *Anglica*, *Gallica*, *Graeca*, *Suecica*, a Iesuitis in *Persicum* quoque sermonem, ab *Ed. Pocokio*, superstite adhuc GROTIO, et bis post, a Theologo summo, *VVatsonio*, in linguam *Arabicam*, in gratiam usumque *Coptarum*, et ad ipsos in Christianismo erudiendos *Mahometanos*, postremo etiam, annitente celeberrimo *Boyleo*, ad conuertendos extremos *Indos*, ab Societate *Anglorum Indica*, una cum Libris Foederis Novi, in *Malabaricam* transfusum linguam.

Eodem tempore insignem illam *Consolationem** perscripsit ad *Maurerium*, qui Coniugem suam, *Hagae Com.*, A. CIↃ IↃ CXX, mortuam, lugebat, ciuitate *Geneuensem*, maioribus paternis e domo *Madelenensi*, maternis, e stirpe *Franzonensi*, unde etiam Cardinalis quidam fuit oriundus. Hunc obitum sero non nihil, captiuus quippe, cognouit GROTIVS, prout ipsa docet Epistola, cuius initium erat tale, *Debeo hoc meis malis, illustrissime* Maureri, *quod aliena mala serius ad me*

* *quae est inter Ep. ad Gall. XXVI.*

Digitized by Google

perueniunt, etc. Permagni habita fuit Epistola illa, longior sane, quam ut hic inseri queat, cum Libri potius Consolatorii, quam Epistolae, nomen promereri uideatur. In eo quidem scripto eximium hunc Status *Gallici* Ministrum, inter alia, hisce uerbis erigere conatur. *Volo ego, illam quam diutissime, et quam saepissime, animo tuo obuersari, sed, ut delectet eius memoria, non, ut excruciet. Iniuria illi fit, cum in mariti poenam aduocatur. Tunc ueniat, cum uenire poterit, qualis solebat, blanda, comis, hilaris. Haec, quae nunc animo occurrit, eius imago, tristis et grauem sui relinquens memoriam, falsa est, ipsam non refert.* Eodem fere tempore alias, ad eundem *Maurerium,* * literas, huius argumenti, una cum *Inscriptione Funebri,* mittebat. *Memoriae sanctissimae Matronae, Vxoris Tuae, iam dudum, ut scis, debitor sum, sed et, quae me hactenus distinuerunt impedimenta, non ignoras. Specimen quoddam Inscriptionis nunc mitto, loquendi scribendique forma ad morem ueterum non nihil accedens. Possunt autem quoquo uersu, aut plures, aut pauciores, uoces poni, ac proinde uersus quoque fieri plures, paucioresue, uti uidebitur. Nam et priscae Inscriptiones, nullo sensus respectu, ubi uisum est, uersum absoluunt. Quod si hoc Schediasma aut non omnia con-*

* *Ep.* LI.

Digitized by Google

contineat, quae memoriae ſacranda iudicas, aut prolixius eſt, quam ferat ſaxi ſpatium, aut, in ipſis uocibus mutandum aliquid, cenſes, poteris uti ad mutandum, aut iudicio tuo, aut opera mea, etc.

MARIA MAGDALENA,
CORPORIS ANIMIQVE LAVDIBVS EMINENTISSIMA, V. A. XXXV, IN CONIVGIO XX. RARA IN DEVM PIETATE, OBSEQVIOQVE IN MARITVM, CHARITATE IN LIBEROS, QVOS VTRIVSQVE SEXVS SENOS PEPERIT, DECEM SIBI RELIQVIT SVPERSTITES, VT SEMPER VITAE EMENDATISSIMAE, ITA CONSTANTISSIMI TRANSITVS EXEMPLVM PRAEBVIT, XII NOV. CIↃIↃCXX. BENIAMINVS AVBERIVS MAVRERIVS, ASSESSOR SANCTIORIS CONSILII R. F. EIVSDEMQVE AD ORDINES FOEDERATOS BELGII LEGATVS M. F. C. CONIVGI OPTIMAE, DVLCISSIMAE AC PERPETVVM DESIDERANDAE, ET FILIORVM PRIMO, BENIAMINO, QVI DEPOSITVS EST IV IVN. CIↃIↃCXIII.

At *Maurerius*, qui tale officium, ab homine afflicto et in cuſtodia retento, ne expetere quidem audebat, nedum poterat expectare, ad *Danielem* interim *Heinſium* ſeſe conuertebat, qui

Digitized by Google

ſequens ei Epitaphium exarabat, curante *Maurerio*, poſtea vaſto nigroque marmori inciſum.

DEO OPTIMO MAXIMO.
ET AETERNAE MEMORIAE MARIAE MAGDALENAE CONGVGIS CHARISSIMAE, MATRIS DVLCISSIMAE, PIISSIMAE VNDECIM LIBERORVM PARENTIS, QVORVM NOVEM, VNA CVM PATRE SVPERSTITIBVS, MOEROREM DE SE AC DESIDERIVM RELIQVIT, MATRONAE AD EXEMPLVM NATAE, CVM INCOMPARABILI CONIVGIS LVCTV, QVI EX EA NIL, NISI MORTEM, DOLVIT, CVM MARIA ET BENIAMINO, PRIMOGENITIS, HIC CONDITAE AC SITAE, IN FVTVRAE RESVRRECTIONIS SPEM, CVM VBERRIMIS LACRYMIS BENIAMINVS AVBERIVS MAVRERIVS, ASSESSOR SANCTIORIS CONSILII, REGIS CHRISTIANISSIMI EIVSDEMQVE AD ORDINES FOEDERATOS BELGII LEGATVS. NATA D. VII MAII, CIↃIↃLXXXI, EXTINCTA D. XII NOV. CIↃIↃCXX.

Inſignis hic Miniſter Status diu Legatus erat apud Ordines F. B., adeoque occaſionem ac materiam nactus, egregias illas perſcribendi *Memorias*, quas mihi partim complura ſuppeditaſſe de GROTIO noſtro, partim anſam praebuiſſe, vitam reſque geſtas GROTII altius indagandi, non poſſum non ingenue praedicare. Fuit is omnino ſanctior

Digitized by Google

ſanctior quidam GROTII Amicus, unde Epiſtolae ipſius haud paucae, in magno illo Epiſtolarum GROTII Volumine, occurrunt, quarum complures vitam quoque et fata ſpectant MAVRERII huius, nominatim, lectu praeter ceteras dignae, Epiſt. CCXC, CCCIV, CCCXXXII, CCCCLXXXVI, DCCLXXXVI, DCCCXCI. * Eadem in cuſtodia *Eclogas* quoque ſuas *Stobaeanas* concinnauit, quibus, ad mores hominum emendandos, poſt *Sacras* illas *Meditationes*, haud quicquam melius dare potuiſſet.

Verum, ad id, quod dicere coeperam, redeo, nempe, quod Vxoribus GROTII et *Hogerbecii*, iſtius Sententiae pronuntiationis tempore, contra ius ac iuris ſpeciem euenit. *Dicebat*,[1]) inquit ipſe GROTIVS, *cuſtodiae Praefectus, mandatum ſibi, Vxores ac Liberos, qui cum illis erant, captiuos detinere. Rogatus, documentum Mandati oſtendere, recuſauit. Cum quaereretur ex eo, An non diſcere liceret, ita, ut non rediret, niſi, impetrata redeundi uenia, negauit, licere. Oratus iterum, ut ad Foederatos Proceres ſcriberet, peti, ut Matronarum alteri, abire, liberum eſſet, praeſertim* Hogerbecii *Vxori, quae, magno iam natu, et iam anno toto non digreſſa a ca-*

* *Conf.* Leon. ab Aizema *Saken van Staat en Oorlogh, Tomo I, pag. 50, 355.*

1) *Apol. cap. XVIII, p. 300.*

Digitized by Google

a captiuo marito, ultra ferendo carceri non erat, hoc quoque abnuit, ac ne illud quidem uoluit concedere, ut Vxor, per amicos cibos ſibi emi, curaret, cupiens ipſe eas emere, et pretium ab Vxore mea perſolui. Interrogatus, An ea quoque de re mandatum haberet, dixit, Si non haberet, facturum ſe, ut adipiſceretur. *Haec cum reſciuiſſent earum propinqui, multis libellis conqueſti ſunt de iniuria, quae Vxoribus Liberiſque meis fieret, neque tamen aliud impetrarunt, quam, ut, per Amicos cibos emi, et in arcem perferri, curarent. Sed hoc ipſum ab ipſis Proceribus Foederatis decretum cum eſſet, Praefectus cuſtodiae ſequi noluit, gnarum ſibi, dicens, quae mandata accepiſſet. Vetabat quoque, ne quis hominum Vxorem, aut, qui in miniſterio meo erant, uerbo compellaret, ne quidem, ſi quaereretur, quota eſſet hora, ac, ne praetereuntes ultra ſalutandi ſigna illis exhiberent, permittens interim, famoſa ac plena calumniarum carmina, apud feneſtras noſtras, in noſtri iniuriam, cani.*

IANI RVTGERSII
EPIGRAMMA
DE HVGONE GROTIO.
DIES XXIX AVGVSTI MENSIS GROTIANO CARCERE NEFASTVS.

Haec eſt illa dies, quae, tanti conſcia luctus,

GRO-

Digitized by Google

GROTIACAS uidit uincula ferre manus.
Nec fleuit scelerata nefas, sed lumine sicco
Admisit radios, aurea Phoebe, tuos.
Desine felices inter, Lux impia, luces
Formoso nebulam spargere uelle die,
Sed, qualis Latiis damnata est Allia fastis,
Inuisum populis tu quoque nomen habe.

HEINSIVS,
IN ELEGIA SVA,
AD
IAC. AVG. THVANVM,
DE
HVGONE GROTIO

Tu quoque dura minus, mea patria, Vatibus esses.
Fallor, an admonita stat tibi fronte rubor?
Quis color excuset, quae dedecus eluat unda?
Sit, precor, hac fastis ne sua parte fides.
Ille, tui plausus certaeque, Batauia, laudes,
GROTIVS, ille lyra maximus, ille toga.
Cui nil post aequale dabis, nil ante dedisti,
Actus ab austera te ne parente reus?
Nec stetit hoc in fine nefas. Non digna iubentur
Tam tibi deuotae uincula ferre manus.
Vnde nouercalis labem tibi, patria, noxae?
Heu, oblita tui, nunc pia mater ubi est?

Mater

Digitized by Google

Mater ubi eſt? Ad te fugitiua reuertere mater,
Pectora ſi nomen ferrea mite trahit.
Neſciat hoc infenſus Iber. Odioſior hoſte es.
Caeca ſubis partes illius, ille tuas.
Materno elapſum uix carcere fouit, et ultro
Obtulit hoſpitium come cruentus Iber.
Nobile fers noſtri ſpolium, gens uicta, pudoris.
Maxima de ſaluo gloria uate tibi eſt.
Sed melius domui mox creditur ille Thuanae,
Quapatet afflictis iam uetus ara reis.
Exulis haec cepere fugam penetralia magni,
Totque ſacrum meritis detinuere Caput.

Poſtquam ergo, ultra ſeſquiannum, ut iam dictum, ſuſtentatus bonis Vxoris, aſpernantis Iudicum largitionem, qui uicenos et quatuor in diem aſſes, alendo captiuo, totique ipſius familiae, aſſignauerant, ſtudiis praecipue impendiſſet, plurimaſque ab iis, qui cuſtodiae eius praeerant, iniurias perpeſſus fuiſſet, tandem, DEI OPT. MAX., indignam uiri ſortem miſerantis, beneficio, et Vxoris, *Mariae Reygersbergiae*, ex primariis *Zelandiae* familiis ortae, *Petrique Reygersbergii, Veriani* Conſulis, qui non inutilem Patriae et *Naſſouiae* domui nauauerat operam, eamque ob cauſam, *Lyceſtrianis* temporibus, ab inimica factione eiectus oppido, exulauerat, filiae, uirilis animi,

Digitized by Google

animi, et supra sexum sapientis Matronae, opera, pristinae libertati redditus est. *Cum, hunc in modum,* inquit ℸ GROTIVS, Hagae, *ante sententiam, per menses nouem, post eam aliquam multis diebus,* Lupestenii *uero per annum et menses decem, in summa moestitia ac solicitudine, uixissem, de eo, quod nobis restabat, sine ullo quaestu, sine ullo necessitatis subsidio, tandem* DEVS *mei misertus est, atque, eo ipso tempore, quo noua in me atque Vxorem mala intendebantur, sparso rumore falso de funibus, ab Vxore coemptis, et in arcem perlatis (cui mendacio refutando cum ueritatis testimonium a custodiae praefecto poscheremus, obtentum ne id quidem est) uiam mihi monstrauit recuperandae libertatis.*

Variis consiliis agitatis, multos, quibus elaberetur tuto, modos considerauerant, tandem, prae omnibus, consilium, utpote facilimum, placuit Vxoris, GROTIVM Arcae includere, in qua erant libri, ut ipse confitetur, * vel, ut *Maurerius* uult, quae supellectilem librariam aeque, ac lintearíam, quam, in oppido finitimo, *Gorichemo,* curauerat eluendam, continebat, quaeque huic supellectili ferendae plus semel adhibita fuerat. Huic Arcae uti se committeret, Vxor GROTIO suasit, ea parte, qua GROTIVS reclinabat caput, dolabra foramina duo

1) *Apol. c. XIIX, p. 302.* * *Apol. c. XVIII.*

Digitized by Google

duo terebrans, ut anhelare posset, nec suffocaretur. Commodum forte eo tempore accidit, ut custodiae praefectus ille, cui captiuorum, GROTII nimirum et *Hogerbecii*, totiusque domus inspectio erat commendata, iussu superioris sui, ad conducendos milites, proficiscereturr. Quapropter, *Heusdenium* abit, militem sibi comparaturus. GROTIVS interim, cum Vxore, audita locum tenentis, sibique inuigilantis, absentia, opportunum ad propositos dolos nunc adueniisse tempus, credebat. Nec morata diu GROTIANA Vxor, relictam custodiae praefecti coniugem adiens, *Peruelim*, inquit, *futura lunae die, Cistam, libris Arminianis refertam, alio dimittere, quippe inutili in iisdem studio uires sibi uir meus ita debilitat, ut tam strenue lucubrationem amplius ferre non possim.* Annuit illa, sed, librorum loco, se GROTIVS includi patitur. Quoniam uero Cista illa saepius illuc ferebatur, atque hinc militibus non erat infrequens, etiam sic, sine interpellatione, emittitur. GROTIVS autem, prius, quam obseraretur Cista, semper aliquod tempus in illam se reponebat, tentaturus forte, quam diu cubandum foret sine molestia. Ipsa Arca in longitudinem trium omnino et dimidii pedis erat porrecta. Vxor GROTII, sumpta ad manum clepsydra, eademque bis uersa, indicabat tempus,

Digitized by Google

pus, quo a *Lupeſtenio* ad *Gorichemum*, proximum caſtello oppidum, per decurrentem fluuium, non difficile eſſet iter. Dum autem extendebat ſe GROTIVS, Coniux ipſius, inſidens Arcae, poſtquam, crebro ſe commouere, pedes attrahere, iiſdem porrectis, periculoſe inſtrepere, uirum, ſenſerat, dehortatur eum, neue, in auehendo, tale quid faceret, obnixe rogat, timendum quippe eſſe, ne in naui quoque ſuperſedeat aliquis Ciſtae, clandeſtinumque depoſitum prodat. Die igitur ſolis, qui III erat Martii, ſtylo ueteri, *Emanueli* uero *Meterano*, * d. XXII Martii, A. CIↃIↃCXXI, fugae deſtinato, GROTIVS Arcae ſuae ſe incluſit, Vxor uero famulae, cui rem omnem detexerat, praecepit, ut comitaretur in itinere Ciſtam, et *Gorichemi*, in domo, ubi ſub aduentum in urbe diuertere ſolebat, fideliter deponeret. Poſt, aduocatum militem, qui captiuorum cubile cuſtodiebat, cum ſocio Ciſtam ut deferret, rogauit Vxor. Vix ſuſtulerant Arcam, cum unus baiulorum, *Certe*, inquit, *quia praegrauis eſt*, Arminianum *Ciſta haec continet*. Cui extemplo GROTIANA Vxor, libros tantum *Arminianos* eſſe, reſpondit. Summo tandem labore Ciſtam uix per ſcalas deportauerant, ubi militum unus, *Inſpiciendum eſſe*, dixit, *ſi quid lateat forſan*, et

O mox,

* *in Continuat. Hiſt. Belg.*

Digitized by Google

mox, ad locum tenentis coniugem pergens, maxime neceſſarium eſſe, docebat, ut recluderetur Arca, ob nimiam grauitatem, ſibi ſuiſque ſuſpectam, repulſam tamen ab eadem, ut *Henr. VVitte-nius*, * notat, tulit, reſpondente illa, *Nemo intus eſt*, GROTIIque *mihi Vxor, nihil ineſſe, confirmauit, niſi libros* Arminianos. *Agite ſaltem, et occluſam Arcam ad nauim aſportate.* Paruerunt tandem ad haec uerba milites, quamuis identidem muſſitantes, *Arminianum ibi iacere.* Relatae ſunt fortaſſe illae uoces ad militis alicuius Vxorem, quae, ſubinde, *Plura olim fuiſſe exempla*, clamans, *cum per Ciſtam multi ſint carceribus ſubducti, hic forſan etiam latere poſſe* Arminianum, *haud fruſtra uaticinabatur.* Nihilo minus Ciſta multo ſudore trahebatur, nauique, ubi magna hominum pars confluxerat, committitur. Poſtquam appulſa eſſet Arca *Gorichemi*, nautarum nullus aderat, qui aſportaret, niſi auecturus eſſet uel in traha ad deſtinata loca grauiſſimam Arcam. Sed renuit hic ancilla, pretioſa non nulla eademque fragilia, et rudi quadam uectura corrumpenda, ineſſe, adhibitiſque precibus, gubernatorem nauis orat, ut, pro mercede ſatis iuſta, Arcam auehendam curaret. Ille, feretro impoſitam, cum filio ſuo, aedibus optimi ibidem ciuis, *Dauidis*

* *pag. 557.*

Digitized by Google

uidis Daezelarii, digniſſimi, uel ob hoc unum, in perditiſſimis temporibus, factum, cuius nomen bonis omnibus innoteſcat, infert fideliter ac deponit, remotiſque hiſce, Arcam aperit ancilla, GROTIVMque incolumen extrahit, qui, puluinar perluſtrans, in quod caput reclinauerat, non aliud reperit, quam uolumen Noui Teſtamenti *Graeci*, prout haec omnia retulit ipſe, Epiſt. CXXXVIII, ad *Voſſium*, Patrem, conſcripta. Ibi, induto coementarii cuiusdam habitu, apprehenſaque manibus trulla, poſteriore domus parte egreditur, et, ſuperatis aliquot plateis, ipſoque foro, ad portam aquariam peruenit. Primo *Valouicum* in *Brabantia* uenit, repertiſque ibi *Remonſtrantium* multis, ſingulare, de libertate et ſalute ſua, gaudium excitauit. Conducto ibi plauſtro, *Antuerpiam* petiit, quo in itinere, cum e longinquo obuios ſibi quoſdam conſpiceret, inclinato capite, agnitionem ſui euitare conabatur, ſed illi, male conſcium, aut fortaſſe *Arminianum*, fuiſſe, arbitrati, praeterierunt. *Antuerpiae*, ut calumniae materiam praecideret, teſte ipſo, intra domum *Nicolai Greuinchouii*, Paſtoris quondam Eccleſiae *Roterodamenſis*, ſe continuit, nunquam inde egrediens, qui, uiſo illo, effuſe gaudebat, non ſine admiratione, ob feliciſſimam eius liberationem. Redeamus interea

Digitized by Google

Lupeſtenium. GROTIVS, poſtquam, primo die, cubiculo ſuo eſſet elatus, quieta omnia reliquit, arbitrantibus ceteris nihil ſiniſtri de abſentia illius. *Maurerius* dicit, relictam GROTII coniugem aſſeueraſſe, periculoſe maritum aegrotare, uti ſpatium deeſſet ipſum e fuga retrahendi. Vigiles, ſub meridiem, cibos, uti ſolebant, menſae eius imponentes, licet eum non uiderent, abibant. Interiecto autem tempore, ancilla *Gorichemio* redit, indicans dominae, *Euaſiſſe* GROTIVM *in Brabantiam.* Facilis hinc coniectura, quid animi tunc laetiſſimae fuerit mulieri. Redeuntibus ueſpera militibus et menſam ſtructuris, rurſum abeſt GROTIVS. Interrogantibus de illo reſpondetur, *in muſeo ut quaerant.* *Maurerius* habet, ridicule ad uigiles uxorem GROTII dixiſſe, *Euolaſſe aues.* Quo facto, GROTIOque non inuento, ad cuſtodiae praefectum, qui eodem die redierat, ſe conferunt, GROTIIque abſentiam, ſine dubio timidi, indicant. Ille Vxorem GROTII, *Vbi lateret uir,* rogat, ſed iſta reſpondet, *Vobis eſt quaerendus.* Multum uero inſtanti praefecto et uerbis minitanti, confitetur tandem GROTIANA Vxor, dicens, *Auehendum illum in Arca curaui.* *Abite* Gorichemum *et ibi quaerite.* *Saepe praedixi, nos elabendi occaſionem quaeſituros, et ſane inuenimus.* Praefectus, intellecta fraude, ex fuga,

Digitized by Google

fuga, *Gorichemum* abiens festinansque, sub occiduum solem ad portas peruenit. Progressus hinc ad oppidi Praefectum, rem omnem exponit, nec diu cunctatus, indicatam sibi domum perquirit, sed, inuenta solum Cista, eademque uacua, locum inanem quaerendo inuenit. In fraudis ultionem relicta, GROTII Coniux, mariti carcere per praefectum includitur, sed ex Foederatorum Ordinum mandato, licet *Maurerius* narret, aliquos e Statibus putasse, Coniugis eam loco esse retinendam, non multo post, liberata, una cum sua supellectili omni, salua excessit. Magnum inde ab omnibus nomen, non ob prudentiam tantum suam, sed etiam singularem et charitatis plenam fidem erga maritum, reportauit. Principi certe *Condaeae*, tantopere arrisit hic liberandi modus, ut Vxori GROTIANAE ingenue fateretur, *Indigne se ferre, in suo sese Coniuge non idem facere tentasse*. Is enim non minus diu in *Gallia* captiuus fuerat detentus.

Ac, laudabilis quidem illius Vxorum in maritos fidei exempla haud una, in uariis passim annalibus, occurrunt, at uirorum haud item, quibus, in eo saltem uirtutis gloriaeque genere, dubiam a feminis reddi palmam, uideri possit.

At, quanto in moerore uersatus sit GROTIVS, ob relictam custodiae Vxorem, ex ipsius, ad *Erycium*

Digitized by Google

cium Puteanum, literis, quas paulo post integras inseremus, est perspiciendum. *Illa,* inquit GROTIVS, *hoc tantum gnara, elatum me, quod restabat euentus, anxia animi coniectura reuoluens, uota fecit, quae ab amantissima mariti Coniuge nemo expectaret, ut maritus a se quam longissime abesset. Ego, tum demum intelligens, a quali uxore discessissem, tam grauiter ferebam eius absentiam, ut potius, quam ea diu carerem, carceri me fuerim redditurus. Gratulandum est sedulo, quod hoc potuerunt famae reuerentia ac pudor, ut feminam illorum manibus extorquerent, quia iam aliam non habebant irae suae materiam. Illa uero hoc laude dignior, quod tam facilem exitum, cum me emitteret, sperare non ausa est, innocentiae meae mihi conscia, atque inde intelligens, in quos homines incidissemus. Non in aliam magis isti Versus congruunt,*

Tu melius certo meruisti pignore uitae,
Vt tibi non esset morte probandus amor.

Neque tamen iam defuncti sumus patientiae experimentis. Superest pro carcere exilium, et nescio, an Fata mihi totum, mea sint agitanda per orbem.

Quod triste ipsiusmet GROTII praesagium plus satis in eo fuit impletum.

In honorem uero Coniugis suae, memoriamque huius liberationis, *Poema* GROTIVS exarauit

Lute-

Digitized by Google

Lutetiae Parisiorum, d. XVI April. A. CIↃ IↃ C XXI, ab *Iano van Vondel* Belgice redditum, Latine uero Latinis aliis eius Poematibus insertum.

Sed ad GROTIVM nostrum exulem reuertamur. Liberatus ille carcere, taedii pleno, *Antuerpiamque* ingressus, animi sui integritatem libertatemque, Foederatis, *Epistola*, ad ipsos missa, paulo-que post referenda, declarauit, non autem uerbis istis, a quibusdam maleuolis ei leuiter affictis, et contemptus ac ludibrii plenis, *Se libertatem quaesiuisse suam et inuenisse, fecisse autem, quod omnes creaturae facere consuessent.* Haec talia enim ut perscriberet uir summus, neque afflicta eius conditio, neque exilium eius, neque prudentia, qua pollebat, permisissent. Verum loquatur pro eo insequens *Epistola*, ad F. F. OO. ab ipso exarata, melioraque omnia prae se ferens.

SVBLIMES AC POTENTES DOMINI,

Expectaui iam diu, ut, Vestro iussu, ex grauissima custodia quae non me tantum, sed partim quoque Vxorem et Liberos, detinebat, eximerer. Sed, comperto, quosdam, mihi peculiariter infestos, nouos quaerere obtentus, ut calamitatem meam intenderent, in eam rem iactatis etiam rumoribus, rationem mecum ipse recuperandae natiuae libertatis et excogitaui, et, Deo iuuante, ad exitum, sine

Digitized by Google

ui, ſine largitione, perduxi. Cum nullum uiderem receptum propiorem, Antuerpiam *me contuli, diſpecturus, ubi potiſſimum ſedem quieti meae et literarum ſtudiis ſim poſiturus. Valde mihi graue eſt,* DOMINI, *quod tam dura pati, libertatis ſimul et bonorum diſpendio, coactus ſum hactenus et cogor etiamnum, intra intimos animi receſſus, mihi conſcius, integerrimo affectu conſilia a me ſuppeditata, quae iudicare potui utiliſſima medendis difficultatibus, enatis, antequam ego ad Rempublicam uocarer, ſumma cum fide erga Magiſtratus* Roterodamenſes, *qui Miniſterio meo utebantur, parique obedientia erga Ordines* Hollandiae *et* VVeſtfriſiae, *quorum ſub imperio eram. Sed, nec tolerata hactenus mala, nec, quicquid ultra mihi euenturum eſt, unquam id in me habebunt iuris, ut amorem Patriae mihi excutiant, quem ſemper corde geſſi, et, quantum mearum fuit uirium, quas exiguas agnoſco, opere oſtendi. Pro eiuſdem Patriae libertate, tranquillitate ac proſperitate,* DEVM *ſemper orabo, atque adeo, ut, in eum finem, Vobis,* SVBLIMES ac POTENTES DOMINI, *bonum ac felix regimen largiatur. d. xxx Mart.* CIↃ IↃ C XXI, Antuerpiae.

V. D.

addictiſſimus,
HVGO GROTIVS.

Hoc

Digitized by Google

Hoc certissimum exploratissimumque est, maximum ei studium fuisse glorificandae gentis suae, nihilque perinde ipsi ueniisse in mentem. Certe sic semper reueritus fuit Reipubl. Maiestatem, ut ad praestandum obsequium potius, quam ad contumeliam et uindictam, fuerit procliuis, id quod iam supra [1]) ostendi, e sequentibus uero magis elucebit. In omnibus enim uidebitis constantem eius, nec temporum ullis, aut inimicorum, labefactatum iniuriis animum, sed, ad extremum usque spiritum, in patriam amorem. Ipse [2]) quam modestissime de suo infortunio loquitur. *Simul*, ait, *et Iurisprudentiam, quam antehac, in muneribus publicis, quanta potui, integritate, exercui, nunc, quod mihi*, indigne *e patria, tot meis laboribus ornata, eiecto, restabat, priuatae diligentiae studio adiuuare uolui.* Queritur, se *indigne*, e Patria eiectum esse, sed tamen non dicit, *iniuste*, cum alius statim, *iniuste* se fuisse eiectum, scripturus fuisset.

Alibi GROTIVS, [3]) mentionem facit, ad Anonymum, liberationis suae, et quorundam *Versuum*, quibus ipse sibi gratulatus est. *Libertas*, inquit, *maximum huius uitae bonum, et natu-*

1) *de glorificatione, qua* GROTIVS *exaltat Gentem et Rempublicam suam, uid. p. 16, 21, 23, in primis 198, et passim.*

2) *Prolegg. de Iure Belli et Pacis, §. 30.* 3) *Epist. ad Gall. n. 32.*

Digitized by Google

rae conuenientissimum, hoc habet incommodi, quod eius utendae modum uix seruat incauta mortalitas. Et, paulo post, *Habe ergo, quod uis, Vir Eminentissime, sed habe, quod rogo, non, ut Versus, sed, ut testimonium diuinae in me benignitatis, quae me ex* ARCA, *uelut ex utero, nasci, aut uelut ex sepulcro exurgere, uoluit, et ex mortis miserrimae confinio fecit uitae posterioris auspicium.*

Arcam illam, cuius beneficio tam feliciter ex custodia fuerat liberatus, tanto in honore et pretio habuit, ut, in perpetuam rei memoriam, subsequentibus eam uersibus celebrare sit dignatus.

Dulces latebrae, temporis domus parui
Angusta, laxo quae uiam facis coelo,
Clausum parumper spiritum manumittens,
Onus, quod aegre congregum manu multa
Interquiescens pertulit ferus miles,
Tandemque caecum tradidit rati pignus,
Lati uehendum Vahalis impetu prono,
Quas, ARCA, *grates, quas tibi feram laudes?*
Tibi fugata, uicta, seruitus cessit,
Tolerata septem post biennium menses,
Quod celsa tueor ostia libero uultu,
Quod durus aures non ferit ferae stridor,
Obicesque multi, barbarique custodes,
Sed laeta turba comiter salutantum,
Blandique amici, tincta literis corda,

(*Qua-*

Digitized by Google

(*Quales* Thuanus, *quo probatior nemo*,
Puteanus, *et mens erudita* Tileni)
Fastidiosas ire non sinunt luces.
Tibi haec, et, aliud si quid est boni nobis,
Et, si quid ultra restat, ARCA, *debemus,*
Quae merita uerbis si liberet aequare,
Opus tot esset, ferre quot soles, libris.

Arcam hanc postea tanto in honore habuit GROTIVS, ut, cum esset ei surrepta, dolore afficeretur non uulgari, conquestus, diuinae liberationis instrumento sese orbatum esse.

In *Baiulum* uero, qui de nimio Arcae pondere conquestus erat, hoc *Epigramma* uenustum reperitur.

Cum grauidam ferres Arcano pondere Cistam,
Insolitum num quid te male pressit onus?
Credo equidem. Nam, qua latitabat GROTIVS *Arca,*
Hac Latium atque omnis Graecia clausa fuit.

Tribus ante liberationem diebus, idem GROTIVS sequentes, in *Captiuitatem* suam, Albo cuidam, inscripsit *Versus.*

Quos Matris aluus carcere reddit in lucem,
Queis corpus animum, more carceris, uincit,
Quos, morte functos, terra carcer expectat,
Nunquam nimis timere carcerem debent.

DAN.

Digitized by Google

DAN. HEINSIVS, DE HVGONE GROTIO, AB VXORE CARCERI, IN QVO AD VITAM DAMNATVS ERAT, EREPTO.

Coniugis auſpicio ſuperas effertur in auras
GROTIVS, *et geminum munus amantis habet.*
Pro tenebris lucem, cum lucis munere uitam,
Quae cum luce ſimul paene negata fuit.
At, uos, o, Proceres, iam poenam mittite et iras,
Sub uobis pereat ne pietatis amor.
Aeneae *licuit medios geſtare per ignes*
Intactum Graiis dulce parentis onus.
Eripuit tenebris proſcriptum caſta maritum
Thuria, *nec fraudi res fuit illa Viro.*
Iam mortem, morti modo non uicinus, et ipſo
In tenebris letho non leuiora, tulit.
Poſt uitam ſuus eſt. E morte renaſcitur ipſa.
Naſcenti legem dicere nemo ſolet.

Clarius multo fuſiuſque haec narrat, *Epiſtola*, qua PVTEANO, de fauſta liberatione ei gratulato, reſpondet.

EPISTOLA GRATVLATORIA.

ERYCIVS PVTEANVS
HVGONI GROTIO
S. D. P.

In communi bonorum omnium gaudio, Clariſſime VIR,

Digitized by Google

VIR, *segnem esse calamum meum, non sino. Vt amicum me ostendam, scribo, et hoc beneuolentiae signo tuum pariter audeo affectum prouocare. Carcerem si cum morte comparas, uideri possis ex te iam natus esse, salutem et libertatem a te ipso adeptus. Euadere, parum erat,* GROTIVM, *decebat, ingeniose euadere. Et quanto hoc pulchrius, quam liberari. Quanto laudabilius, suo ingenio, quam alieno suffragio, saluum esse. Vt nil cuiquam deberes,* mediis elapsus Achiuis, *te tibi uindicasti. Liberari autem non poteras, nisi, ne graue esset beneficium, quod ab inimicis accepisses. Sed quomodo acciperes? Nullum expectabas. Carceri, non morti, mancipatus eras. Vt saepius morereris, sola te saeuitia uiuere uoluit, ne inter uiuos esses. Quid igitur hac aduitam uia redeundum erat, moriendum saepius, ut tandem uiueres et liber esses. Aperuisti exitum, ubi omnia clausa erant. At, quis crederet, in Cista hominem latitare? Sic elatus, uideri funus poteras, nisi quod e sepulcro ueniebas. Mirentur omnes, totus in Cista corpus, in naui Cista, in amni nauis, in his omnibus, et extra haec omnia, esse mihi uisus es. Mundum impleueras. Itaque custodiri in carcere corpus tuum potuit, ingenium non potuit. Clausus muris, cinctus custodia, obsessus satellite, ostendisti, in ipsis te angustiis liberum esse, nullum uirtuti obstaculum obiici. Macte,* VIR MAGNE,

plus

Digitized by Google

plus paucis horis feciſti, quam toto triennio paſſus es, eorum elatus manibus, qui maxime cuſtodire anniſi ſunt. Totum eſſe libros, credidere, onus, nec falſi. Tuo enim ingenio bibliotheca conſtat. Ergo doctum omnes clarumque dicunt, ego fortem, non ſalute tantum, ſed gloria et aeternitate, dignum. Nonne ſcripſiſti ante, quod alii fecerunt? Scribent alii, quod nunc feciſti ipſe, cum Daedalo *uelut comparandus. Illum alae, te libri, ex carcere extulere, tanquam alae. Ille ſimul eduxit filium, ſed, ut perderet, tu reliquiſti coniugem, ſed, ut ſeruares, quippe ferre carcerem illa non poterat tuum, ſuum, iam te ſaluo, poteſt. O uerum Coniugium, ſic diſiungi! Laeta eſt, quod libera eſſe deſiit, certe digna, ut in libertatem ueniat. Confide, ueniet, nec ullum declinabit exilium, quae carcerem non exhorruit. Patriam in exilio, quia maritum, habitura. Agnoſcis ipſe, non eſſe patriam, quam fugias, fugiendam eſſe, quae ſe nouercam fecit. Exilium carcere melius eſt. Euadere ex carcere non potuiſti, niſi, ut in exilium ires. Reſpice miſeriae tuae ſcenam. Qui amici, hoſtes erant, ut ad hoſtes, tanquam amicos, te conferres. An* Themiſtoclem *propono? Ad* Xerxem *iuit, in* Athenienſes *non peccauit*, Athenienſes *in* Themiſtoclem. *Sed exemplis nolo agere. Rogo potius, ut, tuum inter exempla nomen uenire, patiaris.* Scipionis, *iam morituri et ſemper*

Digitized by Google

per uicturi, dictum est, an exprobatio? Ingrata Patria, ne ossa quidem mea habeto. *Expende, quid feceris, et, quid passus sis. Merita et praemia boni omnes quemadmodum explorata utraque habent, ita fauere libertati tuae, studere commodis et incolumitati, non desinent. Sed, quid est? Ingenio transcendisti communem hominum conditionem, ut fortunam, et, quicquid hinc pendet, generose despiceres. Itaque conquerantur alii, se, post naufragium, nudos esse et opibus excidisse, tu in te opes omnes habes, nulli iniuriae, nulli uiolentiae, obnoxius.* GROTIVS *es magnus, et hoc satis, ut intelligas, nihil tibi deesse. Patriam si amas, hic amor, haec patria, est, eiusdem coeli benignior serenitas, eiusdem soli amoenior ubertas, eorundem hominum tranquillior status. Quid se iactant unius alterius ue Prouinciae Populi? Et nos* Belgae *sumus, liberi sumus, sub uno Principe, sed, quem Patrem appellamus. Aliud frenum, aliud iugum, est, regimur, non affligimur, et, ut discordia exulet, multorum Imperium auersamur. Omnis antiquitas clamat,* εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *Immo, tum nobis fortuna clamat, nullam, ubi populus fuerit sine discrimine, stationem esse, nullum sine naufragio portum, ubi diuina omnia et humana colliduntur. Quae irae! quae odia! ubi quies, aut felicitas? Quantum aquarum, tantum ubique ignis et incendii est, furiis*

Digitized by Google

furiis ardere, uideas, ipsum illud mare. TE DEVS *eripuit, mentem et consilium suggessit, quo saluus esses. Quid restat? Hoc age,* ἔπου Θεῷ. *Is seruabit porro, et, quemadmodum, elusis inimicis, in libertatem te asseruit, ita securum deinceps ac felicem praestabit. Sic uoueo, teque uidere cupio et amplecti. Veni, non longa uia est, et in hac Arce et amoenitate uigorem cape. Dices, te in Parnasso respirare. Offero dextram, et eam hospitalem, offero officia, quae a uero amico expectari possunt.* Εὑρήσεις δέ με, πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν, ὥς περ ἄπεφθον χρυσὸν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν, τριβόμενον βασάνῳ. (*Inuenies me, omnibus in operibus, tanquam aurum excoctum, rubrum aspectu, in fornace purgatum.*) *Vale, et, quod iterum rogo, ueni.* Louanii, *in arce, postr. Cal. April.* CIↃ IↃ CXXI.

EPISTOLA ALTERA, EAQVE RESPONSORIA.

HVGO GROTIVS ERYCIO PVTEANO, S. P. D.

Sicut nuper miseriam meam accendebat amicorum dolor, ita nunc magnum gaudio pondus adiicit amicorum gratulatio, quos inter tu quidem, Decus Belgarum, PVTEANE, *eximium in me affectum, pari eloquentia, expressisti. Magnum itaque pretium longae calamitatis habeo, sparsum in multos laeti-*

tiae

Digitized by Google

tiae meae commercium, neque tam libertas ipsa uoluptati est, quam, cum eam uideo tot bonis ac sapientibus esse voluptati. Non tanti fuerat, retinere libertatem, & nihil habere, quod de fortuna quereree. Nam, perpetua felicitas hoc habuisset infelicitatis, quod, quam multis carus essem, nunquam apparuisset. Habent quidem literae hanc uim, ut his, qui eas penitus imbiberunt (quos inter tu emines) etiam illos, a quibus modice libatae sunt, (quos inter utinam poni merear) ualide commendent. Sed tamen, ut arbitror, ipsa paucorum iniuria efficacius inseruit. Neque enim frustra dictum est, Rem sacram esse hominem miserum, praesertim innocentem. *Vide autem, quam propitia in me* DEI *Prouidentia mala mea similibus bonis pensarit. Fidem in Patriam praestiti, in Vxore inueni. Ego publicae libertati dum studeo, amisi meam. Illa, hoc tantum gnara, elatum me, quod restabat euentus, anxia animi coniectura reuoluens, uota fecit, quae ab amantissima mariti coniuge nemo expectaret, ut maritus a se quam longissime abesset. Ego, tum demum intelligens, a quali uxore discessissem, tam grauiter ferebam eius absentiam, ut potius, quam ea diu carerem, carceri me fuerim redditurus. Gratulandum est seculo, quod hoc potuerunt famae reuerentia ac pudor, ut feminam illorum manibus*

Digitized by Google

extorquerent, quia iam aliam non habebant irae ſuae materiam. Illa uero hoc laude dignior, quod tam facilem exitum, cum me emitteret, ſperare non auſa eſt, innocentiae meae mihi conſcia, atque inde intelligens, in quos homines incidiſſemus. Non in aliam magis iſti Verſus congruunt,

Tu melius certo meruiſti pignore uitae,
Vt tibi non eſſet morte probandus amor.

Neque tamen iam defuncti ſumus patientiae experimentis. Supereſt pro carcere exilium, et neſcio, an

Fata mihi totum mea ſint agitanda per orbem.

Sed, poſt carcerem in patria, exilium patriae loco eſt. Gratiam habeo, quod exemplis me ſolaris, et quidem magnis, et, quae poſſunt iacentem quoque animum erigere, multoque magis ſuſtinere erectum. Themiſtocles *ille, qui,* Apolline *certius, ſalutis uiam* Athenis *monſtrauerat, coactus fugit, et quidem ad* Salaminiaci *proelii reliquias. Similis* Coriolani *iracundia, ſed utraque infelix. Melius* Alcibiadi *ceſſit exilium, hoſtiliter exercitum, quem diris populus exoluit, propter illa facta, per quae diras uerius mereri coeperat. Sed, leniora libentius lego. Oſtendit mihi* Graecia Ariſtidem, *contrarias* Achilli *preces concipientem, ne unquam ſui pulſi* Athenas *poeniteret, et* Phocionem, *ultimis uerbis praecipientem filio,*

ne

Digitized by Google

ne acceptae iniuriae meminisset. Roma Rutilium, *qui, maledici sibi, putauit, cum amici ex ciuili bello reditum ipsi augurarentur, neque aliter ultus est ingratam urbem, quam, quod, ne reuocatus quidem, ad eam redire uoluit. Neque tuus ille* Scipio *aliud, quam se ciuium oculis subduxit, magno illos, sed non intellecto, supplicio afficiens, quod* Africae Asiaeque *Victorem conspicere ipsis non liceret. Itaque in agro arbores digessit, sed eodem animo, quo olim in campo aciem. Laudari solet dictum uetus,*

Ames parentem, si aequus est, si non, feras.

Quod ad Patriam recte produxeris, quae et parens dicitur, et parentes, uel parentibus proximos, plerunque aut suis periculis inuoluit, aut sua salute complectitur. Quid? quod ne patriae quidem imputandum est, si quid in patria fit. Triginta Tyranni Athenae *non erant, ac nec Mithridatica quidem praesidia, quo tempore* Sylla, *uolente ciuitate, urbem obsedit,*

- - Veios habitante Camillo,
Illic Roma fuit.

Cicero eos, qui aedes suas diruerant, qui aqua et igne sibi interdixerant, non populum Romanum *sed populi fecem, interpretatus est, illum uero populum, qui in theatro ingemeret atque illacrymaret, aiente* Roscio,

Digitized by Google

O, ingratifici Argi, immanes Graii, immemores beneficii,
Exulare finitis, si istis pelli, pulsum patimini
Summum Amicum, summo in bello, summo ingenio praeditum.

Scio, haec atque alia male tractatae Virtutis exempla plurium imperiis obiici solere. Sed Thraseam, *et* Senecam, *et tot illustres animas, nonne unius crimen habenius? Sicut homines inuenire non est, ad quos uitiis aditus non sit, ita nullo periculo uacat potestas, quae aut homini, aut hominibus, datur. Valde mihi placet, quod olim ab* Alcibiade, *mox ab* Augusto, *ad factam* Catonis *mentionem, dictum legimus, sed dignum, quod ab ipso* Catone *diceretur,* Qui, praesentem Reipublicae statum mutari, non uult, et ciuis, et uir bonus, est. *Si iuris speciem iniuria induit, et, bello grauius, innocentiam premit, ita hoc tolerandum, quomodo fulmina et nimbi, et quae alia mala uis maior immittit, sin mite pacatumque regimen, quale uos optimi Principis ingenio debetis, excipiendum gratis animis bonum, quo non maius aut corporum sanitas, aut agrorum foecunditas, aut quicquid aliis publicis priuatisque ambiri solet uotis. Maneat haec uobis solida atque perpetua felicitas. Quod ut ex animo precer, non illa tantum exigit, quae* Belgas *inter se con-*

Digitized by Google

connectit, generis consanguinitas, locorum uicinia, sermonis communitas, sed in me merita. Vos eo malorum adacto, omnia ut mihi patriae finibus essent tutiora, primus receptus, prima libertatis fiducia, uestrum primum coelum securus hausi, uestris colloquiis recreatus, delere coepi longae calamitatis memoriam, a uobis denique exceptus sum tam amice, quam inimice a meis. Pro quibus beneficiis, quid uobis potius precer, quam, ut non extra bellum tantum, sed et extra belli metum, uos ponat certa pax? Mea quoque causa, quo magis, si ita res tulerit, transcurrere ad uos liceat, atque uti oblato hospitio, et, si aliter non licet, de proximo certe aspicere illas terras, quas mihi contra tot iniurias natura commendat, ita tamen, ut, qui, quam ii cordi mihi essent, semper ostendi, nunc etiam ausim ostendere, quam eis opus non habeam. Vale, Vir optime atque doctissime. A. CIↃIↃCXXI.

Insigni quoque *Epigrammate* meliorem sortem, cum Libertate, gratulatus ipsi est *Caspar Barlaeus*, quod ita se habet.

Hactenus inuisa detentus carceris umbra,
Ereptum ulterius non tulit HVGO *diem.*
Fata uiam inueniunt, tabulis concluditur arctis,
Quemque capax mundus non capit, ARCA *capit.*

Nauigat et liber, simul et captiuus, et inter
Spemque, metumque, suum laudat et odit opus.
Aut Solem mihi reddet, ait, fraus ista priorem,
Aut iterum ingenio sum miser ipse meo.
Quid, Fortuna, stupes? Toti mirabilis orbi,
Non nisi uult miris liber abire modis.

IN LIBERATRICEM
GROTIAM
SEQVENS CARMEN ELEGANS
BARLAEVS
SCRIPSIT.

Discite iam, Belgae, pietas quid possit et Vxor,
Quam faciat gratas docta Virago uices.
Femina capta manet dimisso laeta marito,
Miraturque suos ingeniosa dolos.
Non humeris fert illa Virum. Fraus vilior ista est,
Asseribus tantas mancipat Vxor opes.
Deuehit impositum fatalis machina pondus.
Iamque minor parua GROTIVS *aede latet.*
Non audita canam. Ignaro portatur ab hoste,
Ipsaque custodum dextera praebet opem.
Capta fuit ligno fallacis Breda *carinae,*
Liberat hic captum lignea Cista Virum.
Secula magnanimas sileant antiqua Maritas,
Omnibus his maius GROTIA *nomen habet.*

Gratulata quoque est carmine *Anna Pomeria Vischera* HVGONI, quod, per GROTIVM ipsum, e Bel-

e Belgico Latine redditum editumque est *Parisiis*, d. II Octobr. A. CIↃIↃCXXI. Refert illud Interpres Annalium GROTII Belgicus, qui, praeter alia complura *Carmina*, hoc etiam ibi subiunxit, cui nos addemus *Epigramma* sequens, quod *Gorichemi*, in aedibus diui *Adriani Daezlari*, in quas, cum Arca libraria, deportatus olim fuerat GROTIVS, sub Insignibus orbium uitreorum in fenestris, inscriptum repertumque fuit.

TITVS IVNIVS VINIVS.

Toen Iunius uuel' eer uuas in de hooghste Noot,
VVaeruan geen' Vytkomst scheen, so heeft hem uan de Doot,
Syn Huysurouuu in een kist ontsichtbaerlyk beuuaert,
En sprack daernae: Ghy syt tot tuue'emael nu gebaert
Met VVeedoen d' eerstmael, het tuueedemael met list,
Toen uyt uuu' Moeders lyf, en nu uyt myne kist.

Antuerpiae cum esset, multis ab amicis, in primis a Gallico Legato, *Maurerio*, qui iam ante, in *Batauia*, liberare ipsum impense annisus erat, admonitus fuit, rectius facturum, si in *Galliam* iret. Cui consilio morem gessit, credens tamen, ne ibi quidem satis tutum sese fore, quod

Digitized by Google

OO. FF. Legati erant apud Regem, literas ad Praefidem, *Petrum Ianinum* misit, Regis Gall. Consil. et ad *Foedd. Belgii* Legatum, quemadmodum ex eius Epistolis constat.

Praeses [1]) Ianinus *literas ad me scripsit, cum, adhuc* Antuerpiae *esse me, existimaret, plenissimas amoris, et, quod maximum iudico, innocentiae nostrae tantum reddentes testimonium, quanto maius exoptari nullum poterat.*

Primum [2]) *receptum, in hac Vrbe,* (Antuerpia) *legi, ut hic explorarem, annon intempestiuus futurus esset meus in* Galliam *aduentus, dum ibi est nostratium (nostrorum dicere non possum) Legatio. Eam ob causam Virum summum, Praesidem* Ianinum, *per literas conueni. Sed, quod ab ipso expectabam, abunde mihi Epistola tua praestitit. Quare, quod bene* DEVS *uertat, sequar te consulentem.*

A patria igitur carceres, exilia, ultima quaeuis, expertus, ab iis etiam, qui non paria cum reliquis admitterent, in sacro *Praedestinationis* dogmate, indignissima quaeque perpessus, coelesti tandem prouisu liberatus, transiit in *Galliam*, et fructum contractae ibi amicitiae longe uberrimum sensit, cumque ibi *Ianinus* ei scripsisset, si in *Gal-*

1) *Ep. XXVIII, ad* Beni. Aub. Maurer.
2) *Ep. XXVII, ad eundem.*

Digitized by Google

Galliam ueniret, ſponſionem ſe facere, ipſum ad tempus certum, immo, per omne vitae tempus, fore ſecurum, mutatis ueſtibus, *Antverpia* nauigans, per anfractus uarios, haud unis literis ſtipatus commendatitiis, quas ei *Maurerius*, ob merita eius et eruditionem, ad Proceres aulicos, dederat, *Lutetiam Pariſiorum*, d. XXIII April. A. CIↃIↃCXXII, tempore nocturno, peruenit.

In eo itinere nata ipſi eſt florentiſſima illa *Sylua*, quam *Franc. Auguſto Thuano* dedicauit, in qua mortem dolet patris ipſius, Præſidis, inter alia confirmans, nihil ſibi exoptatius fuiſſe futurum, quam, ſi fortuna permiſiſſet, dextram ſuam dextrae ſociare *Thuani*. In eadem *Sylua* mentionem facit Liberationis ſuae, cuius honorem tantum non omnem Vxori ſuae fert acceptum,

Nos quoque, ſi quisquam, multum debere, fatemur,
Coniugio &c.

Et paulo poſt,

Et proculcatas in noſtro corpore leges.

Eſt uero *Carmen* illud unum e uenuſtiſſimis eorum, quae ex ingenioſiſſima GROTII uena profluxerunt, quodque ita ſe totum habet.

Digitized by Google

SYLVA, AD
FRANCISCVM AVGVSTVM THVANVM,
IACOBI AVGVSTI THVANI, FIL.
A. CIↃIↃCXXI SCRIPTA.

Nos quoque, ſi quiſquam, multum debere fatemur
Coniugio. Memini, poſt tot tua uota preceſque,
Cynthia cum nonum capto mihi uolueret orbem,
Qualem te primum, Coniux fidiſſima, uidi
Carceris in tenebris, lacrymas abſorpſerat ingens
Vis animi, neque, uel gemitu, te luctus adegit
Conſentire malis. Rurſus noua uincula, ſed quae,
Te ſocia, leuiora tuli, dum milite clauſos
Nos Moſa et triſti Vahalis circumſtrepit unda.
Heic, patriam toties, et inania iura, uocanti,
Et proculcatas in noſtro corpore leges,
Tu ſolamen eras. Heic iam te uiderat alter,
Et poſt ſe, media plus parte, reliquerat annus,
Cum mihi iura mei per te, ſolerte reperto,
Reddita. Tu, poſtquam iam caeca acceperat alnus
Dulce onus, oppoſitis libabas oſcula clauſtris,
Atque ita, ſemoto foribus cuſtode, locuta es.
Summe Pater, rigido ſi non adamante futurum
Stat tibi, ſed precibus potis es gaudeſque moueri,
Hoc, quod noſtra fides lucem ſeruauit in iſtam
Accipe depoſitum, tantiſque exolue periclis.
Coniugii teſtor ſanctiſſima uincla, meaeque

Spem

Digitized by Google

Spem ſobolis, non huc uenio, pertaeſa malorum,
Sed miſerata Virum. Poſſum, ſine coniuge, poſſum,
Quamuis dura, pati. Si, poſt exempla ferocis
Vltima ſaeuitiae, nondum deferbuit ira,
In me tota ruat, uiuam crudele ſepulcrum
Me premat et triplicis cingat cuſtodia ualli,
Dum meus aetheriae ſatietur paſtibus aurae
GROTIVS, et caſus narret patriaeque, ſuoſque.
Dixerat, atque, oculis fugientia uela ſecutis,
Addit, Abi, Coniux, neque te, niſi libera, cernam.
Quod mea ſi auderet famam ſpondere Camoena,
Acciperet quantis uirtutem laudibus iſtam
Poſteritas? Nomen non clarius illa teneret,
Admeto Regina ſuos quae tradidit annos,
Quaeque ſuper cineres iecit ſe arſura mariti,
Dignaque tam Bruti thalamis, quam Patre Catone,
Porcia, et in lethum magno comes Arria Paeto.

Lutetiam cum peruenisſet, Rege, qui tum *Fontebellaqueis* erat, eiuſque Senatoribus, ad urbem non repertis, apud *Boiſſiſſium* primo, deinde apud *Vicum*, qui tunc ſigilli cuſtos erat, poſt apud *Ianinum*, quorum omnium de republica conſiliis Rex uti ſolebat, innocentiae ſuae reddit rationem, beneuolumque inuenit *Vairium*, Procancellarium Regni, quique, in Epiſtolis paſſim, A. CIↃIↃCXXI, d. XIII Iunii, liberalitatem Regis ſponte ipſi offerebat.

Mihi,

Digitized by Google

Mihi, inquit,[1] *promitto liberalitatem Regis, quae pro tempore ad nihil se extendit, quam ad tuam tantum necessitatem, tuis iam uirtutibus obuiam aderam et meritis, ut offerat ipsis functiones honestas. In rebus mundanis, qui ius sciunt, te multum acquisiuisse cognitionis et dexteritatis in illis tractandis, non ero ultimus, qui se gerat ad promouendum illud, quod poterit inseruire tuo desiderio, et habebo chariſſimam, sicut debeo, amicitiam* uiri tam rari, *sicut tu es, offerendo tibi omnia, quae posses expectare ab illo, qui est, Domine mi, etc.*

[2]) *Bis fui ad* Fanum S. Germani, *ubi primores conueni de mea re haud magna. Polliciti sunt large, euentus expectandus erit.*

Talem[3]) *et* Boiſſiſſium *reperi, quem domi suae conueni, ubi, ad aulam abiturus, mea causa substiterat. Ex utroque consilio* Lutetiae *quiesco, facturus de cetero, quod ipsis ex usu uidebitur, quorum me sapientiae, fidei, charitati, totum committo. Haec omnia ideo tibi narro, ut intelligas, quam multis magnisque nominibus tibi obstringar. Soluendo cum non sim a me ipso,* DEVM *pro me tibi delegabo, qui se omnium, beneficiorum uicem non sperantium, expromissorem statuit.*

Neque uero non ab aliis uiris illustribus, immo, tan-

1) *Epist. ad Gall. n. XXIX.* 2) *ib., n. LXXVII, ad* Beni. Aub. Maurer. 3) *ib., ad eund., n. XXVIII.*

Digitized by Google

tantum non ab omnibus, perbenigne exceptus est GROTIVS, maxime, ob commendatitias *Maurerii* literas, in *Galliam* missas. Testatur hoc ipse GROTIVS,[1]) his uerbis. *Omnes, ad quos scripseras, pro me laborarunt, et, praeter eos, princeps Ianinus, et sigillorum Custos.* Et paulo post, *Sentio hoc ex eorum beneuolentia, quos tua mihi potissimum beneuolentia conciliauit.* Puteani *et* Peurezii, *qui, sine mora, ut aduentus mei nuntium accepere, ad me uisendum accurrerunt, comitati nihil non debeo.*

Item *Peireſcius*, tum primum in *Galliam* uenienti permulta ei magnaque officia exhibuit, quippe quem tanti ducebat, ut, in uicem *Scaligeri*, assertum *Galliae* diceret. Vnde A. *Buchnerus*, in Poematibus[2]) suis, de H. GROTIO, quem *Virum incomparabilem* ibi uocat, scite scribit.

Gallia magnanimis dedit, exorata, Batauis
Dis geniti aeternum Scaligeri *ingenium.*
Fallor, an humanis male dura Batauia Gallis
Scaligerum *magno reddidit in* GROTIO?

Ex aliis haud unis Gratulationibus, quibus, ob feliciter recuperatam Libertatem, multi eum eruditi sunt prosecuti, ob elegantiam, et ob comparationem, GROTIVM inter ac *Mosen*, instituti-

1) *Epist. XXVIII, ad* Maurerium.
2) *pag. 616.*

Digitized by Google

ſtitutam, notari quoque meretur haec, quam ipſi *Ianus Rutgerſius* miſit.

Quam bene conueniunt ſimili duo Numina fato,
Iſacidum doctor, GROTIADESQVE *meus?*
Euaſit latitans anguſta GROTIVS *Arca,*
Seruatus texto uiminis ille fuit.
Huic Vahalis placidas ſubſtrauit fluminis undas.
Hoc Nilus, Moſe, fecerat ante tibi.
Excipit hunc Celtes, illum Regina Canope,
Et reus hic patriae eſt, et fuit ille, ſuae.
Par quoque principium ſimilis fortuna ſequetur.
Nam populo leges hic dabit, ille dedit.

Idem *Rutgerſius* ſequens *Tetraſtichon,* Ciſtae inſcribendum, adiecit.

Haec ea, quae domini ſolita eſt portare libellos,
GROTIADAE *fuerat pondere facta grauis.*
Mutatum neque ſenſit onus. Quod enim illa ferebat,
Id quoque, ſed Spirans Bibliotheca *fuit.*

Veriſſimam Gallorum laudem, humanitatem maxime in externos, teſtatus eſt GROTIVS,* *Ego, poſtquam* Lutetiam *ueni, tot undique gaudiis circumſunabor, quot in diuturno carcere triſtia ſenſeram. Tanta eſt in me Procerum beneuolentia, tantus literatorum ad me concurſus. Itaque iucundiſſima colloquia egregiam longe ſolicitudini*

* *Epp. ad Gall. n. XXXIIII. ad* Maur.

Digitized by Google

tudini uicem rependunt. Prae ceteris Tilenus *et* Puteanus *omni me officiorum genere ornant.*

1) *Heri, cum mihi* Tilenus *adesset, superuenit* Cordesius, *cum tuo, non ortu tantum, sed et moribus atque ingenii dotibus, fratre. Nunquam antehac maiorem cepi fructum libertatis, ita suauiter nobis colloquia processerunt. Itaque unum illum diem, multorum, quos in carcere egi, taedio ausim opponere.*

Consilio *Boississii, Lutetiae Parisiorum,* dum Rex cum suis Consiliariis abesset, substitit GROTIVS, anceps initio, ubi sedem sibi, suaeque coniugi et liberis, figere deberet. Indicat hoc his uerbis.

2) Lutetiae *adhuc subsisto, ex consilio D.* Boississii, *aut nuntium ex aula, aut certe, quod propius uidetur, reditum Praesidis* Ianini, *expectans, qui uenturus huc putatur cis paucos dies, Rege longius procedente.*

3) *Sed Regis, cum parte Consilii maiore, absentia, aut etiam respectus aliquis eorum, quae tum hic, tum apud Vos, gerentur, obstitit, quo minus, certae sedis fiducia, transferre huc Vxorem atque familiam liceret, quibus aegre careo.*

Primus fuit Cancellarius, qui eum ad Regem per-

1) *Epp. ad Gall. n. XXX, ad* P. Puteau.
2) *ib., n. XXXI, ad* Maur.
3) *N. XXXIX, ad eundem.*

Digitized by Google

perduxit, apud quem non solum beneuole exceptus, sed etiam annuo donatiuo honoratus est, ut ipse, in *Apologia*[1] sua, refert.

Deo, ait, *gratias ago, quod innocentiam meam magis magisque cognitam facit, et apud Regem, eiusque Consilium, gratiam mihi conciliauit, ita, ut non tantum Rex optimus, ad salutationis officium admissum, me benignissime exceperit, sed et annuo donatiuo honestauerit, atque etiam, me apprecante, subleuauerit alios, qui, ob animi sui religionem, in eodem exilio uersantur.*

[2]) *Rex, me extra suam curam non esse, liberalitate aliqua testatus est. Vt certi aliquid constituatur, ante Regis aduentum, sperare uix licet. Interim mihi molestum est, Vxoris optimae conspectu carere. Sed hae quoque malorum reliquiae deuorandae sunt.*

[3]) *Quae si, intra anni saltem circulum, parient, quod uidentur parturire, nullum ego coelum Gallico praetulerim, sin minus, cupiam, quam primum absolui, ne patria, honoribus, bonis, eiectus, familiae meae ipse sim oneri. Nam, de reditu in patriam, plane tecum sentio, nihil, hoc tempore, sperandum, aut moliendum.*

Pen-

1) *Cap. XVIII, pag. 306,*

2) *Epp. ad Gall. n. XXXV, ad* Ben. Aub. Maurerium.

3) *ib., n. LXXXII, ad eund.*

Digitized by Google

Pensione hac, quae librarum erat ter millium, *Lutetiae Parisiorum*, per annos aliquot, fruebatur, ex bonis suis ne teruncio quidem, neque, mortuo iam licet Principe Arausionensi, *Mauritio*, Frater eius, *Henricus Fridericus*, bene GROTIO cupiens, in bona eius fisco addicta, reducere ipsum audebat, metu aduersae GROTIO factionis, non parum adhuc potentis, quam offendere nolebat. GROTIVS igitur, *Lutetiae Parisiorum*, ut dictum, non solum securitatem suam, sed uictum quoque necessarium, adeptus, uxorem, familiam, suppellectilem, ad se transuehendas curauit.

[1]) *Ego*, inquit, *posthac inde non literas, sed Vxorem, expecto, quae ne ad me aduentum differat, et mea, et ipsius, refert. Nam beneficia beneficiis tegenda sunt, ne perpluant.*

[2]) *Coniugem auide expecto. Quanquam enim amici officio non desunt, tamen fortior ero, domestico instructus aduersus mala omnia solatio.*

Vxor quidem GROTIANA, A. CIↃ IↃ CXXI, quanquam mari diu iactata, deinde etiam terrestri itinere defatigata, *Lutetiam* salua peruenit, paulo tamen serius, supellex eius.

[3]) *Meae pars maior ac melior satis belle se habet, quanquam mari diu iactata, deinde et terrestri itinere*

Q

1) *Ep. XLIV, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. XLVI, ad eund.*
3) *Ep. XLVII, ad eund.*

Digitized by Google

nere defatigata. Domum iam quaerimus. Noſtrae illae reculae, ad quas ſolicitudinem tuam demiſiſti, adhuc expectantur. Puto, praeter uentum, nihil aliud fuiſſe in mora.

[2]) *Meae ſarcinulae recte aduenerunt.*

Poſt aduentum Vxoris, communes cum *Tileno* et eius Coniuge aedes conduxerunt, communi quoque cum iiſdem conuictu ſunt uſi, GROTIVS et Vxor, coniunctiſſime amantiſſimeque inter ſeſe uiuentes, rheda communi pariter uſi.

[2]) *De rheda conſultabimus, ubi uiderim, nihil obſtare, quo minus ad me perueniat, quod Rex optimus deſtinauit. Nam, incipere ſumptus, quos perferre nequeam, minus conſultum eſt. Expediendo huic negotio inſeruiet forte, quod domum conduxi cum* Tileno *communem, cuius Vxor in hac urbe nihil ferme, praeter rhedam, deſiderat. Poterat autem una, et illi, et meae, ſufficere.*

Suorum more *Batauorum*, agreſti uita ſaepe gaudebat, nomina indicans non nullorum, qui in ſua Tuſculana, eo conſilio, aditum ei in *Gallia* permiſerunt.

[3]) *Ad tempus aliquod conſtitui, coelo libero et ruri*

1) *Ep. L, ad* Beni. Aub. Maurer.
2) *Ep. LIX, ad eund.*
3) *Ep. LXXI, ad eund.*

Digitized by Google

ri uiuere, beneficio Memmii, * *qui Praetorii ſui uſum mihi conceſſit.*

[1]) Balagniaco, *loci dominus expectabatur. Ea res fecit, ut* Siluanectum *ſecederem, ubi idem eſt aer innocens atque hilaris, et multa circum locorum amoenitas.*

[2]) *Ego hic,* Dochinshudae, *cum uxore, ſatis iucunde ruſticor.*

In *Gallia* ad ſua ſe ſtudia literarum retulit, neque ſingularem erga ciues ſuos propenſionem remiſit unquam, ſi qua res ipſis in aula eſſet expedienda, conſilio auxilioque ipſos, et item, qua Regios quoſdam apud Miniſtros ualebat, gratia, ex ipſorum uoto, iuuans. Iam ſupra, ex eius *Apologia*[3]) docuimus, Eum, primo ſtatim ad Regem aditu, pro iis, qui, ob animi ſui religionem, in eodem exilio uerſarentur, deprecatum eſſe, id quod ex inſequentibus eius *Epiſtolis*, multo etiam clarius, perſpici poteſt.

[3]) *Certe ſi quid agendum eſt, uidetur et deiectorum Magiſtratuum, et eorum, qui, Religionis cauſa, uim patiuntur, habenda ratio.*

* *De* Memmio *quidem ita gloriatur* Priolus, *L. V, c. 32, p. 219.* Claudius Memmius, Auoſſius in Gallia, qui a ſuo munere, claro fortique exemplo, ſe ſponte abdicauit puris manibus.

1) *Ep. LXXIV, ad* Petr. Putean. *et Ep. LXXV, ad* Fr. Aug. Thuan.
2) *Ep. CXXXIII, ad* Ioann. Cordeſ.
3) *Cap. XVIII, p. 170.* 4) *Ep. XLV, ad* Beni. Aub. Maurer.

Digitized by Google

1) *Rogatu liberorum D.*Oldenbarneueldii, *agebant cum iis, qui in urbe Regni negotiis inuigilant, ut cognoscerem, num qua spes esset commendandae causae ipsorum,* Hogerbecii, Milii, *tua opera, ex Regio mandato.*

2) *Rogo, ut, quantum iudicis religio grauitasque patitur, commendatum tibi habeas* Danielem Treselium, *qui, nullo suo crimine, tantum, quod earum fuerit partium, quas nos honestiores iudicauimus, domo apud uos exulat.*

3) *Scripsit ad me, Vir illustrissime, amicus quidam meus, qui inter praecipuos est Curatores* Indicanae *Societatis, de Controuersiis, quae Societati cum Regis subditis intercedunt, neque transactae hactenus sunt. Queritur, quod difficiliorem te in hoc negotio praebeas, neque iudicio rem uelis permittere. Ego, qui rem totam ex uestris Proceribus intellexissem, respondi, constare, nihil a te factum, nisi ex speciali Regis Mandato. Addidi et* Riccardi *exemplum, neque dubitare me, quin ad aequa omnia te habituri sint adiutorem.*

4) Borelium *et* Bellimontium *a te amari magnique fieri, gaudeo. Ita sane uirtus eorum, et in patriam fides meretur. Quod si eorum meritis mea quoque commendatio aliquid potest adiicere, quic-*

1) *Ep. XLV, ad* B. A. Maur. 2) *Ep. XCIV, ad* Claud. Sarrau.
3) *Ep. XLIX, ad* B. A. Maur. 4) *Ep. LXI, ad eund.*

Digitized by Google

quicquid mihi praesenti tribueris, ut, per absentiam meam, ipsis accrescat, rogo.

1) Reigersbergium *nostrum amare ne desinas, rogo. Nemo est, qui res meas libentius curet.*

2) *Quod addam, nihil habeo, nisi, orare me, ut, si qua in re affinis meus tui consilii indigeat, eius eum facias participem.*

Idem suis quoque aduersariis praestitit officii genus.

3) Arsenius, *qui huc legabatur, difficilem se praebuit, et, ter rogari, passus est.*

Ipsi etiam Principi, *Henrico Friderico*, suis officiis praesto fuit, prout infra referetur. Quin dixisse non semel Rex *Galliae* fertur, *Mirari se uirtutem hominis, qui, tam male in patria habitus, non desineret tamen ei subditisque eius bene uelle, immo, quocunque etiam posset modo, benefacere.* Quamuis non ignoraret, eos, qui ibi res *Foederatorum* curabant, nihil intentatum relinquere, quo Regis animum ipsi infestum redderent. Sed frustra laborabant apud Principem, nihil ignorantem eorum, quae, annis CIↃIↃCXVIII et CIↃIↃCXIX, in *Hollandia* erant acta. Neque adeo obscure scriptus erat ipsius GROTII Apologeticus, ut quenquam, uel mediocriter humanarum

1) *Ep. LIX, ad* Beni. Aub. Maur. 2) *Ep. LX, ad eundem.*
3) *Ep. XCIII, ad* Beni. Ab. Maurer.

Digitized by Google

rum rerum gnarum, latere posset, quam iniqua in eum *Sententia* lata esset.

Ac uidit ille quidem, ex infortunatis *Batauorum* insulis eluctatus, insulas primo ueluti fortunatiores in *Gallia*, uerum sua illum interim duriora quoque manserunt fata et exercuerunt. Profecto credi uix potuit, ullum unquam in orbe erudito fuisse uirum, qui tot modis excruciatus fuerit et exagitatus, qui tot falsis impiisque mendaciis, fraudibus, obtrectationibus, per omnem uitam, immo, etiam post uitae finem, sit impetitus, quam uir hic optimus, et fidelissimus patriae suae Ciuis. Rem ita se habere, haud infitiabitur, quisquis GROTIANAE uitae penitius inspexerit cursum et fata, omni digna commiseratione. De aduersitatibus, quas in patria fuit expertus, cum iam dictum sit, deinceps, quas aerumnas extra patriam pertulerit, non nihil dispiciemus.

Vix e custodia, qua tenebatur, singulari quodam successu, liberatus erat, cum spargeretur in uulgus, eum ab *Ordinibus*, ut sibi ignosceretur, flagitasse, qui tamen, licet plus satis urgeretur, ne in custodia quidem, ad ueniam sibi exorandam, ullo modo [1]) potuerat induci, nedum libertatem adeptus.

1) *supra, pag. 195, et Epistolaibi* GROTIANA.

Digitized by Google

adeptus. Sed ipsum potius GROTIVM, de his calumniis conquerentem, audiamus.

1) *Me quoque nunc atrox mendacium fatigat, quo fingor, liber, ueniam postulasse, qua ignominiam, carcerem, paupertatem, redimere pridem potui, constanterque abnui, quaque id mihi, uelut pro lege, impositum dicitur, quod, ego, me ultro facturum, dixi,* VT SIGNIFICAREM, QVANTOPERE AB OMNI ODIO, IN PATRIAM PRAESERTIM, ANIMVS MEVS ABHORRERET. *Compellit me famae cura, quam ceteris rebus antehabui, in certamen, a meis moribus satis alienum, descendere.*

2) *Quibus effectum est, ut ad* Proceres Foederatos *scriberetur, Dixisse me apud Regis Consiliarios, suppliciter a me oratos* Foederatos Proceres, *ut, quod carcere elapsus, libertati me reddidissem, id ignoscerent, neque posthac curaturum, qua uerbis, qua factis, ut ipsis placerem, eamque in rem serio admonitum me ab iisdem Regiis consiliariis, qui et hoc addidissent, Alioquin non passurum Regem, ut in regno eius uiuerem. Quod si me componerem ad* Procerum Foederatorum *sententiam, fore, ut a Rege congiarium acciperem. Qui rumor me iam tum coegit, rei ueritatem ita, ut nunc a me commemorata est, publici iuris facere, atque ostendere, quantum semper, etiam, cum in malis summis uersarer, abfuissem a culpae deprecatione,*

1) *Ep. XXXV, ad* B. A. Maur. 2) *Apol. c. XVIII, pag. 305.*

Digitized by Google

catione, conscius quippe mihi integri propositi et legitimarum actionum.

Et, paulo post.

Ne post id quidem tempus desitum est, me, extorrem, bonis spoliatum, egentem amicorum, calumniis insequi, quasi, obtentu Controuersiarum de Religione, aut hostibus nauassem operam, aut res nouas quaesiissem. DEVS, *cui per cognitum est, quam non affinis sim ei culpae, patientiam mihi suppeditet, et huic, et si quid malorum restat, ferendo.*

Neque minus culpatus est, quasi cum *Hispanis*, contra OO. Rempubl., periculosa iniret consilia, eaque mente cum *Hispanis* legatis uersaretur, quas tamen calumnias diluere non intermisit.

[1]) *Ego* Hispano, *testis est* DEVS, *nec debeo quicquam, nec cupio debere. Legatorum eius uidi neminem. Patriae tam bene uolo, quam, qui eam nec alios, puto, ei inimiciores, quam quisquam a Regis amicitia hactenus auerterunt. Scio, te non esse rogandum, ut innocentiam meam patrocinio subleues, (extorquet enim id a te tua bonitas) nec de rebus nostris edocendum, quas me ipso rectius nosti.*

[2]) *Renouare in nos incipiunt calumniam* Hispanicnsem, *cui integram conscientiam oppono, famae interim minime contemptor. Quam ob rem defensionem eorum, quae ab antiquis* Hollandiae *Ordinibus, in re sacra ac ciuili, acta sunt, molior.*

Id

1) *Ep. LXXXII, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. LI, ad eund.*

Digitized by Google

Id quoque infra patebit; eum, oblata ab *Erycio Puteano*, munia *Hispanica* recusasse.

1) *Sed bene est, quod uir optimus*, Ianinus, *qui me paterno plane amore complectitur, paratus est, testimonium aduersus calumniam praebere, quod propediem agnosces ex ipsius ad te litteris.*

Et, paucis interiectis.

Neque uero dubito, quin idem facturus sit. si opus erit, Boissisius, *qui, plenissimas amoris, ad me literas ultro misit, simul significans, quantopere Regi, et iis, qui apud Regem gratia ualent, cordi essem, quaeque omnium de me esset existimatio. Haec magna sunt noui doloris solatia. Interim, breui scripto, occurri famae mendaci, quam in uulgus spargi, e re sua, iudicarunt homines, pridem non aliis artibus sisi.* Et ibidem, *Ego*, DEO *iuuante, ita me temperabo, ut, ultione abstinens, me tamen non deseram.*

2) *His omnibus opponam solidam ueritatem, quae Latine, intra paucos dies, prodibit, cum Regis Priuilegio.*

Atque haec erat illa GROTII *Apologia*, in qua id praecipue studebat, ut non tam magis sua causa, qui non potuerat peccare, in exequendis iis, quae sibi ab Superioribus suis mandata erant, quam eorum, qui, legitimo modo creati, legitimo iure Reipubl. *Hollandicae*, annis decimo

1) *Ep. XXXVII, ad* Beni. Aub. Maur. 2) *Ep. LXIV, ad eund.*

Digitized by Google

octauo et nono, praefuerant. Eodem uerba ſpectant *Epiſtolae* utriuſque ſequentis.

1) *Ego, non tam mea,* inquit, *quam publica, cauſa, aduerſus tam graues et diuturnas calumnias, materiam paro, quam ad rem te quoque adiutorem ſpero.*

2) *Apologeticum, non tam meum, (quid enim ego, praeter miniſterium, debui?) quam eorum, qui, meo tempore, rem publicam geſſerunt, edere, rebus expenſis, conſtitui. Quanquam, ut uerum fatear, circumſpectantem me identidem ſaepe terrent fortunae meae incerta, neque dum memoria excidit, quomodo, quod pro publico fecerim, priuatim luendum habuerim, uix ullo aerumnarum mearum ſenſu ad illos perueniente, quibus tam fidelem operam nauaueram. Et tamen, poſt naufragium, iterum mari me credo.*

Ad *Apologiam* ſuam, ante A. CIↃ IↃ C XXII, pertingere non potuit, quoniam ad hoc ſcripti genus documentis ſcriptiſque haud unis indigebat, ex *Batauia* potiſſimum apportandis. Vſus autem eſt in hac *Apologia* ſermone *Belgico*, eamque poſt, *Latina* quoque ciuitate donatam, ſub inſequente titulo, emiſit.

APOLOGETICVS EORVM, QVI HOLLANDIAE, VVESTFRISIAE, ET VICINIS QVIBVSDAM NATIONIBVS, EX LEGI-

1) *Ep. XXXIX, ad* B. A. Maur. 2) *Ep. LXII, ad eundem.*

Digitized by Google

LEGIBVS, PRAEFVERVNT; ANTE MVTATAM APVD NOS REMPVBLICAM.

Apologeticum hunc librum, *Belgica* lingua, misit ad *Maurerium*, ut amicis exempla eius distribuerentur, causamque, cur ei miserit potius, quam alii, ex his GROTII uerbis colligere licet. [1]) *Apologeticum meum*, Batauo *sermone conscriptum, ad amicos cur mitterem, certiorem mittendi rationem inuenire non potui, quam, si fasciculum tuo inscriberem nomini, quod ex tuo munere sanctimoniam habere debet. Dum illud amici perlegunt, ego interim hunc librum* Latino *sermone donabo. Quantum ea res auctura sit Potentium in me odia, satis intelligo, sed mihi semper rebus omnibus potior fuit famae cura, quam, crudelis sim, si negligam.* Copiose ibi et ordine monstrauit probauitque, sese, contra omnia patriae iura et priuilegia, *indigne*, iudicibus ab incompetentibus, damnatum, ac summam, tum ante litem, tum post eam, sibi suisque iniuriam esse factam, sententia perperam pronunciata. *Vere*, inquit, [2]) *profiteri possum, in* Sententia *contra me multa posita extra uerum, multa, quae diserte a me negata sunt, quaedam quorum plane ignarus eram, quaedam, de quibus nec interrogatus sum, tantum abest, ut, audi-*

1) *Ep. LV, ad* Beni. Aub. Maurer. *et Ep. LII, ad eundem.*

2) *Praefat. Apol.*

Digitized by Google

auditus, me defenderim. Alibi, ordine perpetuo, *Sententiae* nullitates ostendit.

Totus autem hic Liber pertinet ad Ius publicum *Belgicum.* Disputat ille, quo Foedus illud pertineat, et ostendit, non ulterius Foedus illud tendere, quam, ut sit *συμμαχικὸν*, de reliquo liberas esse Prouincias.

Quo comperto, *Foederatorum Delegati*, haud ignari, suas in eo Libro artes, illatamque *Hollandiae* uim, detegi, cum nihil haberent, quo expressam in eo ueritatem redarguere, aut refutare, possent, usitata iam diu uiolentia usi, proscriptionibusque eum sunt persecuti, unde hoc interdictum a compluribus fuit improbatum. [1]) *Ianinus, lecto Edicto, quod* Apologetico *meo oppositum est, putabat, scribendam Epistolam ad amicum, qua de iniquitate Edicti conquereretur, ad ipsos Edicti autores scribendum, non putabat. Cancellarius rigorem mirabatur, et addebat protritum illud,* Punitis ingeniis gliscere autoritatem. *Addidit uerbis generalibus, si quid ad me tuendum, ornandumue, conferre possit, id mihi expositum fore etc.*

Quod brutum fulmen, cum, per *Christianissimi* tutelam Regis, qui eum in fidem suam receperat, euanuisset, nihil aliud eo actum est, quam, quod GROTIO uita securior reddita, typographorum,

1) *Ep. LXVII, ad* Beni. Aub. Maurer.

Digitized by Google

rum, eos libros uendentium, duplicatum lucrum, et aucta adeo sit legentium curiositas, ut, defecatis multorum legentium oculis, eorum autoritas non tantum publica, sed etiam in ipsorum conuentu Procerum, immo, contra ipsos etiam Foederatos, postea ualuerit.

Nihilo tamen magis persequi ipsum desierunt, immo, qua uitae ratione uteretur, quisue afflictorum eius ciuium in exilio ipsum inuiseret, accurate sunt speculati, qua de re conqueritur passim, seque excusat.

1) *Nescio, quo malo meo fato fiat, ut, quo magis calumnias fugio, eo me insequantur ualidius. Ac tibi quidem, quod aperte nuntias, de quibus differor, gratias ago, quam autem a uero illa abeant, cognoscas, rogo. etc.*

2) *Qui me salutatum uenerunt, tales fuerunt, ut eos repellere decore non potuerim, Viri optimi,* Hogerbecii, *aerumnarum mearum socii, filius, qui* Siluanecti *habitat,* Daetsclarius, *qui in matrimonio habet* Erpenii *sororem,* IN CVIVS DOMVM DELATVS SVM, CVM PRIMVM CARCEREM EVASI, *qui, cum cognato suo adolescente, ex* Hollandia *huc uenerat, deinde, filius* Eliae Oldenbarneueldii, *Roterodamensium ante me Assessoris, qui iuuenis* Andegaui *hactenus studiis operam dedit. Extra hos affuit mihi nemo. Quod si hac in parte minus*

1) *Ep. LXXIII, ad* Petr. Putean. 2) *ibidem.*

Digitized by Google

nus cautum est, curabo in posterum, ne quid fiat, quod Viro amplissimo et in me benignissimo, H. Memmio, *inuidiam creare, aut displicere merito, possit.*

Immo, ex alia *Epistola*, non obscure patet, *Hoofdium*, iuniorem, in patria sua fuisse comprehensum, quod unam alteramque *Epistolam*, a GROTIO ad amicos scriptam, eique traditam, apud eum offendissent, in quibus tamen nihil periculosi reperiebatur.

[1]) *Audio*, Hoofdium, *filium Viri optimi, Consularis* Amstelodamensis, *cum in patriam rediret, captum, nescio, quo obtentu, sed eo maxime, quantum coniicere est, ut literae, quas a me ad amicos ferebat, deprehenderentur. Inuenient in iis nihil, quod accusari possit. Priuata curo, negotiis eorum publicis me non admisceo. Videntur metuere, qui hoc agunt, ne prioribus iniuriis non satis me irritauerint.*

Praeter has uexationes et calumnias, Vxorem quoque ac Liberos eius morbis, plus semel, implicare, DEO uisum est, qua de re in suis Epistolis mentionem passim fecit.

[2]) *Ad multa, quae pridem me exercent, incommoda nouum uulnus accesserat ex duorum e liberis meis morbo. Nam, et filiae, cuius tuae literae, quam*

1) *Ep. LXIV, ad* Beni. Aub. Maur. 2) *Ep. LXXVII, ad eund.*

Digitized by Google

quam benigne, tam ſuauiter, meminerant, et filiorum minor, decubabant ex papulis, qui uelut abortiuus eſt foetus effoetae iam peſtilitatis, cum, ecce, quo maius habere non poteram ſolatium, ad me uenerunt literae tuae.

1) *Coeli mutatio morborum aliquid intulit meae familiae, ſed pars familiae optima, Vxor, ex uoto ualet, quod ipſum meam ualetudinem, alioqui imbecilliorem, ſuſtinet.*

2) *Nam et dyſenteria, perquam periculoſa, per duos ferme menſes, laboraui, et, ex eo rumore, Vxor in* Zelandia *morbum non minus ancipitem, febrem, et uehementem, et continuam, contraxit, quae res ipſius ad me reditum aliquandiu impediuit, et me, inter deſiderium et metum, grauiter iactauit.*

3) *Nam Vxor, uix a febri derelicta, corpore adhuc infirmo, ſtatim iter arripuit, et, ut huc uenit, tanto mihi ſolatio fuit, ut ad recuperandas uires plus, paucis diebus, quam antea perquam multis, profecerim. Eadem diuina clementia te tertiana, morbo non tam periculoſo, quam grauiter moleſto, liberet, immo, liberauerit, opto.*

4) *Vxor mea, poſt incertam aliquot menſium ualetudinem, inter medicorum manus, non ſine periculo*

1) *Ep. L, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. LXXXIV, ad eund.*
3) *Ep. LXXXIV, ad* B. A. Maur. 4) *Ep. XCI, ad eundem.*

Digitized by Google

culo uerſabatur, quod quale ſit, in ſolo alieno, ubi, amicum certum unum reperire, ſit difficilimum, dictu nihil eſt opus, apud tam prudentem rerum humanarum aeſtimatorem.

[1]) *Vxor mea minus commoda utitur ualetudine, ſed, quam, ex frigore laeſam, facile benignior aura ſanauerit.*

[2]) *Binarum, quas a te accepi, literarum, Vir ampliſſime, alterae me, in morbo cubantem, conſolatae ſunt, alterae iam incipientem reualeſcere recrearunt.*

Tandem uictus ei, ſeu penſio illa, partim, per machinas inimicorum, partim, per tricas eorum, qui nihil non faciunt, antequam pecunia manus onerent, partim ob pecuniae in *Gallia* defectum, partim per Cardin. *Richelium*, ſubtracta fuit, prouti pluribus infra exponemus.

[3]) *De Fructu regiae in me liberalitatis haud ſatis adhuc certus ſum, ob tricas eorum, qui nihil non faciunt, antequam pecunia manus exonerent.*

4) *Pittacium noſtrum in matriculam ſoluendorum relatum non eſt, obliuione* Dandilii, *an de induſtria, haud facile dixerim. Attamen quaeſtor* Moranus *et eius Subquaeſtor, mandatum ſibi a* Scombergio, *aiunt, ut mihi pecuniam, per trimeſtres*

1) *Ep. CXII, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. CVII, ad eundem.*
3) *Ep. LXI, ad eund.* 4) *Ep. LVII, ad eund.*

Digitized by Google

ſtres portiones, numerent, ita, ut penes me ſit, primam penſionem recipere, ſimul, atque petiero.

1) *Ego partem alteram ejus honorarii, quod mihi, in annum* CIↃ IↃ CXXIII, *promiſſum, cum aliqua ſummæ prioris deciſione, fuerat, nondum accepi, per tricas eorum, quibus imperatum erat, id pecuniæ ſoluere, cui malo remedia adhuc quaero. In futurum quid ſperare debeam, plane ignoro, niſi, quod et Cancellarius, et* Campinianus, *iubent, bene ſperare, quod incertis tutiſſimum eſt.*

2) *Videntur mihi facilius aquam e pumice, quam, hoc rerum ſtatu, e* Gallia *pecuniam, elicituri.*

3) *Sunt hic, inter primores, qui mihi aditum et aures benigne praebent. Honorarium quod attinet, ſi minus ex uoto procedit, habeo, quod me ſoletur in communi multorum malo. Doleo, me Regi Regnoque* Francorum, *in quo tutam ſedem reperi, inutilem uiuere, ſed, non ideo quicquam mutandum mihi eſt de ueteribus inſtitutis.*

Super quibus tot tantisque euentibus, doloris plenus, conqueritur in *Epiſtola* quadam, ſolicitus, ubinam in poſterum figat ſedem, et unde uictum ſumat.

1) *Ep. LXXIV, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. LXVIII, ad eund.*
3) *Ep. LIX, ad eundem.*

Digitized by Google

1) *Iam octo ſunt, anni, cum, partim carcere, partim exilio, arcemur a conſpectu parentum, et quicquid in patria, ſecundum parentes, dulce eſt. Interim inimici non regnant tantum, ſed nobis hnc uſque inſultant, et, qui,* Gallici *nominis inſectatione, potentiam ſibi pepererunt, ea ipſa, ad nos in* Gallia *quoque opprimendos, abutuntur. Secundus iam prope annus effluit, cum nulla hic mei habetur ratio, niſi, quod omnes artes, quae animum generoſum de ſtatu ſuo deiicere poſſunt, in me tentantur. Nec ullum mihi, contra tot aduerſa, ſolatium eſt, niſi, in conſpectu uxoris et liberorum, quos mea infelicitas huc miſeriae detruſit.*

2) *Ego et Vxor, ubi uitae ſtatio eligenda nobis ſit, incerti uiuimus.*

In his talibus aerumnis haud uulgarem oſtendebat patientiam erga ſuos inimicos, DEO unice fretus, ut eius *Epiſtolae* docent abunde.

3) *Meque, et alios, eandem ob cauſam, dura ſuſtinentes, aura coeleſtis fulciat, ut crucem, qua nos honeſtat, non tantum feramus patienter, ſed et, ea exciti, uitam noſtram emendemus magis magisque, ac tandem, immenſa ipſius miſeratione, ex hoc lacrymoſo ergaſtulo uindicati, partem acci-*

1) *Epiſt. XCI, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. XC, ad eundem.*
3) *Apolog. CXX, in fine.*

Digitized by Google

accipiamus eius gloriae, quam Dominus noſter, unicus Salutis autor, nobis peperit.

1) *Dux erit is, qui ex ſummis calamitatibus antehac liberauit, ipſiusque gloriae, qua poſſum, ſeruientem, ipſi fidentem, non ſpernet. Eiusdem paternae curae te quoque, Vir Ampliſſime, commendo, et uitae tibi ſuauitatem precor, dignam iſta animi bonitate.*

2) *Nos, hac lege nati, aequo ut animo feramus hoc uniuerſum ſapientiſſime Regentis uoluntatem. Nihil heic nobis mancupio datum, uſu omnia.*

3) *Quod reſtat, fortunae paratus, me meosque* DEO *permitto.*

4) *Aduerſus mala, et multa, et magna, ex* DEO *et literis ſolatium quaerens, ni ſemper homines exiſterent, qui ex incendio, ruina, naufragio, quaeſtum facerent. Sed horum exitiales conatus reprimet* DEVS, *cito, aut ſerius, prout ipſius nomini, ſimulque bonis omnibus, conducet.*

5) *Facis, quod ſoles, Vir Illuſtriſſime, cum aduerſum nouam, a patria immiſſam in me, procellam, me tam amice, et ſolatio, et conſilio, iuuas. Ego uero, per te erectus, reliquias has calamitatis meae, quam maxime potero, fortiter feram,*

1) *Epiſt. CXXXIIX, ad* Guil. Luſonium. 2) *Epiſt. CLXXVIII, ad* Franciſ. Aug. Thuanum. 3) *Epiſt. XCIII, ad* Beni. Aub. Maurer. 4) *Epiſt. LXXIV, ad* Petr. Puteau. 5) *Ep. LXVIII, ad* Beni. Aub. Maurer.

Digitized by Google

et me ſeruabo rebus melioribus, ſi tamen ulla in melius mutatio ſperari poteſt.

[1]) *Nos quidem, tam dura paſſi, quicquid reſtat aduerſi, bono animo deuorabimus, neque uel hilum cedemus illis, qui nobis, nihil tale merentibus, tam proterue inſultarunt.*

[2]) *Ego, ſi aduerſus fortunae contumelias nondum induruiſſem, periiſſet mihi magnus aduerſorum fructus.*

[3]) *Sed uereor, ne amici mei inimicis lactandos ſe permittant, nihil poſtremo ipſis, niſi ludibrium, debituri.*

Immo, afflictiſſimus hic Vir, ope ſolatioque tantum non omni ſacerdotum *Charentonenſium* Reformatorum ſe deſtitutum, uidebat. Hi enim GROTIVM, ex arte *Lupeſteniana* elapſum, *Lutetiam*que *Pariſiorum* vix ingreſſum, quod *Arminianorum* religioni, in Synodo *Dordracena* damnatae, addictior eſſet, admittere nolebant, et, more illorum, qui nulla miſerorum hominum miſericordia capiuntur, haud magni eum facientes, ipſum relinquebant, ab ſuoque coetu arcebant, immemores adeo Edicti Interdictique Regis, qui Synodum hanc pro legitima nunquam agnouerat, ideoque Sacerdotibus ſuis

1) *Epiſt. CVIII, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Epiſt. CXLIX, ad* Guil. Luſſon. 3) *Epiſt. XLIII, ad* Beni. Aub. Maurer.

Digitized by Google

ſuis Reformatis interdixerat, huic intereſſe. Peccabant ergo contra charitatem Chriſtianam, *Arminianis* in ſumma fidei cum Reformatorum coetu conuenientibus, adeoque ſine detrimento facile tolerandis. Poſtero tamen tempore, plus ſatis, rei huius poenitere, prout infra videbimus, ipſos coepit. Quo facto, ſacris ipſorum abſtinebat GROTIVS, ſuaque cum ſuis ſacra peragebat domi, quae quidem res querelis calumniisque deinceps haud unis occaſionem dedit.

Diuinos interea ſuos *Hymnos*, de *Veritate Religionis Chriſtianae*, poſt iſtas carceris aerumnas, *Lutetiae Pariſiorum*, in honorem DEI gratiarumque actionem, Latine reddebat, prout hoc ipſum ex Epiſtolis eius ad *Gallos* lucide ſatis apparet, in quarum una, ad *B. A. Maurerium*, ita ſcribit.

1) *Meminiſſe te, arbitror, ex primo carcere meo, Verſus* Belgicos *emiſſos, Summam continentes* Chriſtianae Religionis. *Eos, a me Latinos factos, iudicii tui facio.*

2) *Mitto librum noſtrum de* Veritate Religionis Chriſtianae, *additis teſtimoniis, partum doloris quondam mei, nunc apud* DEVM *monumentum*

1) *Epiſt. LXVIII, ad* Beni. A. Maurer.
2) *Epiſt. CXCVII, ad* Claud. Sarrau.

Digitized by Google

gratiarum actionis. Te, cum semper fecerim plurimi, primum esse, uolui, cui hoc munus offerrem, cum precibus, ut, si quid sit, inter tot negotia properanti seruire rei Christianae, minus exacte dictum, de eo, ut moneas, emendandum in editione secutura.

1) *Ceterum, nihil mihi noui laboris, ad augendum de Veritate Christianae Religionis librum, nunc impositum, intelligo. Nam, si qua sunt, quae solidamenta illa arietent, quibus proprie Christiana fides nititur, iis occursum a me, arbitror, quantum lectori non pertinaci sufficere possit. Si qua uero sunt Dogmata, in Christianismo late quidem recepta, sed sine quorum exacta notitia Christiani esse possumus, ea ad meum illud argumentum non pertinent. Ad illud, de quo iam per literas contulimus aliquoties, ut redeam, (libens enim de rebus eiusmodi meas cogitationes cum Viris piis ac moderate iudicantibus, qualem te reperi, semper consocio,) ego ita habeo, etc.*

Dedicabat hunc librum *Hieronymo Bignonio*, Aduocato Regio in summo Auditorio *Parisiensi*, cuius libri initium est tale.

Quaerere identidem a me soles, Vir, et de patria, et de literis, ac de me etiam, optime merite, Hieronyme Bignoni.

Post

1) *Epist. CLXVI, ad* Ioann. Cordesium.

Digitized by Google

Post omnes,[1] qui de Veritate Religionis Christianae scripserunt, H. GROTIVS, rem istam tractauit, exiguo quidem libro, sed pereleganti, et pondere argumentorum pleno. Primo quidem *Belgica* eum lingua scripsit, in usum popularium, sed postea, a Viris rogatus magnis, auxit et *Latine* reddidit, adiectis notis ad intelligendum contextum necessariis. Non multa quidem ab ipso afferuntur noua, ab aliis nondum tacta, sed plenius tamen nitidiusque omne argumentorum genus quasi constipauit, eaque elegit, quibus uis aliqua inesset, omnibus denique limatissimum suum iudicium addidit. Multi sunt *Arabica* lingua scripti libri, de negotio Religionis, unde hausisse multa GROTIVM, opinati sunt quidam. Acutissimi sunt illi disputatores, ut patet e libris Philosophicis, qui Latine sunt redditi. Testis est *Iac. Sponius*, Medicus, in Itinerario per *Graeciam* et *Dalmatiam*, didicisse se, ex relatione cuiusdam popularis sui, esse *Arabica* lingua librum quendam scriptum aduersus *Mahumedanos* et *Iudaeos*, pro Veritate Religionis Christianae, unde potissima argumenta sua sumpserit GROTIVS, quod mihi tamen nec verisimile, nec credibile, videtur. Adde, quod hanc maculam, a *Whelero*

1) *Vid.* Morhofius.

Digitized by Google

ac *Sponio* maxime GROTIO inuſtam, feliciter docteque a GROTIO abſterſerunt iam ſupra citatus *Morhofius*, *Fabricius* item et *Tenzelius*, ad unum omnes obſeruantes, uidiſſe uiros, illos inter *Turcas* uerſionem GROTII *Arabicam*, unde deſumptum GROTII librum, rei ignari arbitrati ſunt, cum potius ſtatuendum fuerit, iſtam uerſionem ſecundum GROTIANVM libellum expreſſam eſſe. Solent plerunque ſemper talia fingi ab hominibus, rerum peregrinarum ſtudioſis, uti pretium deſideriumque augeant mercis.

Viuo quidem GROTIO, ter is liber recuſus eſt.

1) *In libro de* Veritate Religionis Chriſtianae, *quem tertium uulgauit* Le-Mairius, *uti quaedam ſunt a me addita, emendata loca non nulla, ita, ipſius negligentia, noua irrepſerunt menda, non pauciora prioribus.*

Inter *Galliae* eruditos GROTIVS in primis beneuolentiam illuſtris *Nicolai Peireſcii*, Senatoris Aquenſis, literarumque bonarum optimi Patroni, ſibi conciliauit, qui etiam GROTIVM, ut Autor Bibliothecae Vniuerſalis, Gallice conſcriptae,[2] teſtatur, ſaepiſſime *Pariſiis* viſitauit, ipſique ſuaſor extitit, ut Libros de *Iure Belli et*

1) *Epiſt. CLXX, ad* Ioann. Corteſium.

2) *Tomo I*, A. CIↃ CLXXXIII, *pag. 3.*

Digitized by Google

et Pacis consignaret. Testis *Gassendus*, qui hanc *Epistolam* GROTIANAM, in Vita sua *Peirescіana*, producit.

*) *Non otior, sed in illo, de* Iure Gentium, *opere pergo, quod si tale futurum est, ut lectores demereri possit, habebit, quod tibi debeat posteritas, qui me ad hunc laborem, et auxilio, et hortatu, tuo, excitasti.*

Et statim,

Pergis autem tu, obligare me, cum, incommodis meis nunc quoque te, tam bona fide, tangi, ostendis, et, qui praesens praesidio solebas esse, nunc absens es solatio. Ego uero, uel per te unum, ita sum Galliae *obstrictus, ut, ad ultimas humanae potentiae metas trudi, malim, quam sedem hanc deserere.*

Ac rursus,

Literas dedi, nihil quidem continentes illas, quod te scire attineat, sed testes tamen eius, quod tibi debeo, semperque debebo, gratiae, pro tot summis, iu me adiuuando ornandoque, beneficiis.

Fassus idem illud fuit GROTIVS, cum exemplo donaret *Peirescium*, addita *Epistola*, in qua sequentia leguntur.

Accipe iussis Carmina coepta tuis, *ait Poeta.*

*) *Epist. inter Gallos LXXVIII.*

Digitized by Google

Ego uero, Peireſci *ampliſſime, non carmen, ſed librum, tibi mitto, tuo hortatu, tuisque auſpiciis, coeptum. Adderem, quod ipſa haec mea in* Gallia *habitatio non parum tibi debet, quo conciliante, in Virorum maximorum notitiam perueni, ita, ut, hoc quoque titulo, ſi quid inde fructus naſcitur, id a Te poſſit uindicari. Si dicam, magno mihi dolori eſſe, quod tuo conſpectu, tuisque colloquiis, frui non licet, dicam, quod ueriſſimum eſt, ſed huic damno ſolatium aliquod adhibet V. N., frater tuus, frater ſane, non natura tantum, ſed morum humanitate.*

Adiutus igitur a doctrina et fortuna, inſuperque a *Peireſcio*, ſufficienti inſtructus ſupellectile literaria, Iuris Naturae Scientiam in artem redegit, aureoque uolumine eſt complexus, in quo defectum ſupplendo explanationis eorum Iurium, quae Gentes inter ſe dirigunt, ingreſſus iter, adhuc nemini tentatum, poſteritati aeternum diuini ingenii ſui monumentum reliquit, in eoque talem ſe exhibuit, ut, hanc perſonam, ipſi adeo impoſitam, ad ornanda ea ſtudia, quae, ab inſtauratis literis, ſegnius et ieiunius procedebant, *Boeclerus* arbitretur, eamque partem tam praeclare nobis depinxerit, ut nulli ſint, poſt hunc *Apellem*, qui, hanc tabulam ſe abſoluere poſſe, confidant.

Fra-

Digitized by Google

Frater GROTII, *Guilielmus*, breuem de Principiis Iuris Naturalis libellum scripsit, fratris quidem operi non comparandum, sed tamen haud omnino respuendum, licet ad expoliendum ingenii habuerit minus. Et certe nec Verbum, uel apex, est in HVGONIS ipsius libris, qui non singulare quid habeat in recessu. Non enim uerba tantum, sed maximi res ponderis, habet, ideoque non carbones ibi, uerum thesauros, inuenire licet.

Inscripsit quidem opus suum GROTIVS, de *Iure Belli et Pacis*, id re tamen ipsa nihil est aliud, quam commune illud *Gentium Ius*, quemadmodum ipse, tum in egregiis ad hoc opus Prolegomenis,[1] tum in suis ad *Franc. Augustum Thuanum* literis, luculenter ostendit.

[2]) *Si, quid agam, cupis scire, (est enim et hoc amicorum) uersor in examinandis controuersiis praecipuis, quae ad Ius Gentium pertinent, in quo labore ut faciam, quod facio libentissime, tui scilicet ut meminerim, ipsa librorum tuorum inspectio, singulis prope momentis, me admonet.*

Eodem nomine GROTIVS vocat hoc opus, in Epistola quadam ad *Peirescium*. *Interim non otior, sed in illo, de Iure Gentium, opere pergo.* Neque uero haec operis GROTIANI appellatio uide-

1) §. 1, 16, 17, et 28. 2) *Epist. LXXV.*

Digitized by Google

uidetur minus congrua tum ueritati, tum rationi loquendi priſcae. Bellum enim et Pax ſunt illi cardines, in quibus res omnes, et omnia negotia uoluuntur humana. Ad illa duo referri omnia poſſunt, quaecunque in uita noſtra geruntur. Et, cum ipſe GROTIVS opinionem illam expungere cogitaret, quam quidam foue-runt. *Inter arma ſilere leges, in bello nullum eſſe ius, ſed dextram praeualere honeſtati, etc.* Oſtendere utique uoluit, non ſolum in Pace, ſed etiam in Bello, obtinere iura, adeoque ſtatum utrumque, tam Belli, quam Pacis, regulam ſuam tenere, ad quam inſtituendus et dirigendus ſit homo, animal iſtud ſociale, ne quid declinet ratio, ſiue in ſagato, ſiue in togato, ſtatu ſit conſtituta.

Haud improbabilis quoque ſit coniectura, GROTIVM titulo, *de Iure B. et P.*, ſuum opus, hac etiam de cauſa, inſcripſiſſe, ut Principes ac Nobiles, uel ipſa inſcriptionis nouitate, ad hoc uolumen euoluendum allicerentur, idque applauſu tanto maiori exciperetur.

An autem ex Iure Naturae Belli fundamentum ſit eliciendum, prouti fecit GROTIVS, non immerito quaeritur, cum praeſertim in Bello nulla ſit ſocietas, ſed maxima diſſociatio, quippe quo tempore omnibus ſocietatis iuribus renun-

Digitized by Google

renuntiamus, haud infitiante id GROTIO ipſomet, de I. B. et P. III, 3. Ipſius ergo argumenta hoc ſaltem euincunt, Bellum Iuri Naturae non repugnare, exinde tamen non ſequi, Iure Naturae approbari Bella, unde etiam oracula profert S. Scripturae et ueterum ſcita Patrum, quibus confirmet hoc ipſum, Bella non repugnare doctrinae Euangelii et Eccleſiae primae. Ideo quoque hoc propugnaſſe videtur GROTIVS, quia homines fuerunt minime mali, in his etiam *Eraſmus Roterodamus*, libello de Chriſtiano Milite, item *Ioannes Ferus*, Monachus, Libro, de *Pace tenenda*, immo, etiam *Mennoniſtae*, qui putarunt, Chriſtiano non eſſe permiſſum, militare, ideoque omnibus Chriſtianos armis interdicere maluerunt, contra quos GROTIVS, toto Capite II, diſputat. Quod ſi vero loci iſti aliquid probant, probant tantum bella defenſiua, bella autem offenſiua non item. Primum ergo fundamentum deducendum eſt ex neceſſitate, cum homines vidiſſent, ſibi ſecuris aliter eſſe non licere, neque ſe pace frui poſſe, niſi, antecedente bello. Ipſe profecto GROTIVS, in Annotationibus ad *Matthaeum*, [1])

Vereor, ait, *ne, in hac tractatione, in eam partem, quae bello nimium indulget, fuerim aequo pro-*

1) *V, 4, p. m. 129.*

Digitized by Google

promior. Quare sciat lector, non definiendi animo haec a me dicta, sed, ut uerum diligentius inquiratur. Interim suadeo omnibus, iniurias ferant potius, quam humanum sanguinem, quamuis nocentium, fundant, et illius dicti saepe meminerint, Quod dubitas, ne feceris.

Autoris Opus, de I. B. et P., tredecim annis ante has Notationes scriptum est, unde mirari non subit, quare postea, plura melioraque edoctus, sese veluti corrigere videatur.

Institutum GROTII hunc habuit scopum, ut ostenderet, ex quo fonte controuersiae inter gentes, quae commode ad tempus uel Belli, uel Pacis, referuntur, decidi possint, quo modo Christianis a crudelitate et libidine belligerandi sit abstinendum, atque ut ipse Ius Diuinum, Naturale, Positiuum et Gentium, probe inter se distingueret, Scholasticorum naeuos repurgaret, et exemplis pleraque demonstraret.

[1]) *Videbam*, inquit, *per Christianum orbem, uel barbaris gentibus pudendam, bellandi licentiam, leuibus, aut nullis, de causis ad arma procurri, quibus semel sumptis, nullam iam diuini, nullam humani, iuris reuerentiam esse, plane, quasi uno*

1) GROT. *de Iure Belli et Pacis prolegg. §. 1, 17, 26, in prim. 28 et 30.*

Digitized by Google

uno edicto, ad omnia ſcelera emiſſo furore. Simul et Iuris prudentiam adiuuare uolui.

Ex quo intelligi poteſt, pro Viris Principibus, horumque Miniſtris ſtatus, tum ciuilis, tum bellici, id opus eſſe confectum, unde AVTOR quoque, in Operis extremo, huiusmodi utitur voto.

Inſcribat haec DEVS, *qui ſolus hoc poteſt, cordibus eorum, quorum res Chriſtiana in manu eſt, et iisdem mentem diuini humanique iuris intelligentem duit, quaeque ſemper cogitet, ſe miniſtros eſſe, ad regendos homines, Deo chariſſimum animal.* Latius hoc alibi [1]) exponit.

Libris de iure Belli et Pacis id praecipue propoſitum habui, ut feritatem illam, non Chriſtianis tantum, ſed et hominibus, indignam, ad bella pro lubitu ſuſcipienda, pro lubitu gerenda, quam gliſcere, tot populorum malo, quotidie uideo, quantum in me eſſet, ſedarem. Gaudeo, ad Principum quorundam manus hos libros ueniſſe, qui utinam partem earum meliorem in animum ſuum admitterent. Nullus enim mihi ex eo labore fructus ſuauior poſſit contingere. Idem hoc repetit in Epiſt. ad *Ianum Friſchmannum*, quae eſt in opere maiore epiſtolico DCCLXXV.

Cer-

1) *Epiſt. CCLXXX, Op. maioris, ad* Ioann. Crell.

Digitized by Google

Certumque est, hoc opus GROTII, de Iure B. et P., ab illis duobus maximis *Sueciae* Regibus, *Gustauo Adolpho*, cuius etiam iussu in in *Suecicam* illud linguam est conuersum, et *Carolo Gustauo*, diligenter fuisse lectitatum, et, cum opus Latine primum, A. CIↃ IↃC XXV, prodiisset in lucem, a maximis quibusque in *Gallia* Viris Statusque Ministris, incredibili quodam applausu, exceptum fuisse, pauloque post in regiones alias, *Germaniam*, *Britanniam*, *Belgium* et Regna *Septentrionis*, longe lateque peruasisse, ac tantum non in omnibus Academiis *Europae*, ad commune Ius Gentium, hoc ueluti sublato signo, tum demum excitatis, dominari coepisse. Idem testimonio suo [1]) confirmat *Boeclerus*. [1])

Interea solari rectiora sentientes poterit summorum hodie, in omni Europa, *Virorum autoritas, et optimum, quod de* GROTIANO *hoc opere faciunt, iudicium. In plerisque, inquam, aulis et curiis numeramus Viros dignatione generis, munerum meritorumque, inter praesidia et ornamenta seculi praedicandos, qui huius operis abstrusas opes familiariter norunt, eiusque doctrinas non capiunt modo, sed, ubi res poscit, inter instrumenta tractandae reipublicae expediunt, deni-*

1) *Praef. in comment. ad L.* GROT. *de I. B. et P.*

Digitized by Google

denique, obtrectatores tam bonarum rerum, in bonis uiris, certe in doctis, nunquam habendos esse, arbitrantur.

Alteram causam susceptae huius operae, nempe suppetias ut ferret doctrinae Iuris, AVTOR ipse, uti iam supra indicare coepi, ostendit, ad *Ioann.*[1]) *Frischmannum*, clariusque, §. XXX *Prolegg.* Operis sui, hisce uerbis,

Simul et Iurisprudentiam adiuuare uolui.

De qua ratione causaque altera[2]) *Casp. Zieglerus*, sequentem in modum, mentem suam explicauit.

Vtique enim, ex tali studiorum genere plus accedere Iurisprudentiae, certus sum, quam ex tetrica, et spinosiore, atque anxia, Legum Romanarum *contemplatione, nihil interdum ad ornandum iuuandumque usum uitae pertinente. Nec soleo ego, in scholis meis, uel* Vlpiano, *uel* Papiniano, *uel ipsi denique* Iustiniano, *tam caeco assensu blandiri, ut non identidem ad naturalia recurrere principia, et ueras Iuris et Iustitiae causas eruere, mihi integrum reseruem. Et, ni fallor, seculi nostri haec labes est, quod, in Academiis, ad Leges* Romanas *ita assuefieri cogantur iuuenes, ut, in omni controuersia, etiam, ubi inter summos Principes lis uertitur, non aliunde decisionem petendam, credere,*

1) *Ep. DCCCLXXV, in Op. Mai. Epistol.*
2) *Praef. commentar. ad Libr.* H. GROT. *de Iur. Bell. et Pac.*

Digitized by Google

oporteat, quam ex Iure Romanorum, *et Legibus, isti uni Reipublicae accommodatis.*

Atque, his ipsis de causis, supra *Boeclerus* GROTIANVM hoc Opus studiosae iuuentuti, ante alia aliorum scripta, eo impensius [1]) commendauit.

Cumque, in tanta librorum omnis generis multitudine, aeui autem humani breuitate, felicitatis non postremum sit, optimis quibusque scriptoribus assuescere, nec minoris genii et doctrinae leuioris uolumina primore loco numerare, faciendum mihi sane fuit, quod bonos uiros Iuris diuini et humani religio facere iubet, ut inter eruditionis solidioris specimina, GROTII *Opus eo magis commendarem, et, apud iuuentutis studiosae aures, laudibus ferrem, quo grauior ad antiquitatem, unde omnis disciplinae interioris secreta merito repeti debere, non credere, sed scire, uidebar, dux ille et autor potentior, uiam emuniuerat.*

Praeter celebrem illum Iureconsultum, *Ioannem Strauchium,* idem ille *Boeclerus,* [2]) etiam hoc addit de Opere GROTIANO.

Accedit, quod non ex eo genere librorum est GROTIANVM *uolumen, quibus perfunctorie uolutandis, aut uago discursu peragrandis, aliquis delectari iuuarique possit. Multo non studio modo, sed meditatio-*

1) *Praef. ad Libr.* GROT. *de Iur. Bell. et Pac.*
2) *Praef. comment. ad eund.*

Digitized by Google

tatione, opus est, ad condiscendam hanc disciplinam, nemini, nisi penitius omnia edocto, profuturam. At, qui semel GROTIVM *in ipso* GROTIO *agnouerit, in sinu gaudebit, et gratulabitur sibi de arcano et habili instrumento, ac portatili Bibliotheca, maximis quibusque rebus conficiendis opportuna. Non deficient eum rationes idoneae, graues, unicae, quoties praecipua Pacis Bellique negotia disceptanda, interpretanda, illustranda, sunt.*

Postremo non possum hic praetermittere Nobilissimi *Ioann. Ge. de Kulpis* iudicium de Opere GROTIANO.

Ita nec mihi, spero, irascentur isti, si hoc dicere audeam, me felicem hunc diem praedicare, quo GROTIANVM *Opus primum in manus sumpsi, et, quo deinceps in recessus tam nobilis thesauri propius intrare, praesentesque eius usus passim comprehendere, mihi licuit.*

Operis huius Virtutes.

I, SVCCVS EX OPTIMIS QVIBVSQVE VETERVM SCRIPTIS.

II, IVDICIVM ET APPLICATIO ACCVRATA.

III, DICENDI GENVS SVAVE ET ERVDITVM.

IV, APPARATVS EXEMPLORVM DITISSIMVS.

Sententiam GROTIVS sequebatur *Aristotelis*, ne-

Digitized by Google

gantis, in Moralibus Disciplinis quicquam esse certi, eandemque denuo, Scholasticorum ad gustum, recenti quodam condimento adornatam, proposuit, cum ita ait.

Verissimum est, quod scripsit Aristoteles, *In Moralibus non aeque, ac in Mathematicis disciplinis, certitudinem inueniri, quod eo euenit, quia Mathematicae disciplinae a materia omni formas separant, et quia formae ipsae tales plerunque sunt, ut nihil habeant interiectum, sicut inter rectum et curuum nihil est medii. At, in Moralibus circumstantiae etiam minimae uariant materiam, et formae, de quibus agitur, solent habere interiectum aliquid, ea latitudine, ut modo ad hoc, modo ad illud, extremum propius accedatur. Ita enim inter id, quod fieri oportet, et inter id, quod fieri nefas est, medium est, quod licet, sed modo huic, modo illi, parti propinquius. Vnde ambiguitas saepe incidit, ut in crepusculo, aut in aqua frigida calescente. Et hoc est, quod ait* Aristoteles, Ἔστι χαλεπὸν ἐνίοτε τὸ κρίνειν, ποῖον ἀντὶ ποίου αἱρετέον, *Quid cui anteponendum sit, difficilis saepe est iudicatio.* Andronicus *autem* Rhodius, Τὸ κατ' ἀλήθειαν δίκαιον, δυσχερές ἐστι, τῷ δοκοῦντος διελεῖν, *Difficile est id, quod uere iustum est, ab eo, quod late uidetur, discernere.*

Supersedeo iam, *Aristotelis* sententiam redarguere, GROTII tamen, *Aristoteli* minus fortasse inhaeren-

Digitized by Google

haerentis, audaciam paucis notabo, haud curans, quanam ratione haec opinio, cum quidem hic *Aristotelis* error, a *Pufendorfio* aperte sit propositus et egregie refutatus, ad nostra usque tempora sit propagata. Illud certe scire haud possum, utrum hunc locum e simulata quadam erga *Scholasticos* propensione, an ex aberratione quadam, ex *Aristotele* retinuerit, et, absque conueniente diiudicatione, suo inseruerit libro, uariis utrinque existentibus coniecturis. Quem enim latet, GROTIVM, postquam ex *Batauia* in *Galliam* se contulit, uariis hominum ingeniis sese accommodare, et ubique locorum inseruire tempori, necesse habuisse, si salarium suum sartum tectumque retinere, Aulae gratiam conseruare, neque Ecclesiasticos ursorum circulatores irritare uellet atque in se concitare. Haec uero potissima uidetur esse causa, cur multa *Aristotelis* dogmata, in memoratis de *I. B. et P.* Libris, retinuerit, cur maximis eum adulationibus, supra omnes Philosophos, extulerit, cur Scholasticos a modestia in disputando laudauerit, eorum dogmata, actiones, Iure Naturae uetitas, in se et ante legis diuinae promulgationem, esse malas, propugnauerit, atque, ex eorundem sententia, Iuri Naturae Obligationem tribuerit, si uel maxime nullus esset DEVS, cui, quid homines agant,

Digitized by Google

sit curae. Licet nec desint coniecturae, cur dicamus, hoc ideo quoque euenisse, QVOD ACADEMIA PARISIENSIS, CERTA QVADAM RATIONE, A. CIↃ IↃ CXI, AD ARISTOTELIS DOCTRINAM FVERIT ASTRICTA, IDEMQVE DECRETVM PER PARLAMENTVM, A. CIↃ IↃ CXXIV ET XXIX, CONFIRMATVM SIT, praecipue, si institutum eius, in elaborando hoc Opere, paulo accuratius pensitemus. Nimirum, hortatu *Nicol. Peireſcii*, Consiliarii Regii, omnibus subsidiis necessariis ei succurrentis, sibi proposuerat, *Iuris Naturalis Doctrinam Moralem* e tenebris in lucem proferre, *Iusque* hoc *Diuinum*, indigne obscuratum, illustrare. Ideo ante omnia, perpendere debuisset, an etiam illae nomen scientiae mereantur, an ueritates indubitatas contineant, et eiusmodi inducant demonstrationes, quibus aliis possint demonstrari. Sed, quamuis hac de re cogitationem susceperit, tamen, quoniam *Aristotelis* sententiae, sine necessaria quadam indagatione, statim subscripsit, omnino eius hoc incuriae tribuendum est, ad quod apparatus *Collectaneorum*, a *Peireſcio* ipsi suppeditatorum, et in eius libris ubique conspicuorum, occasionem facile dedit, si quidem ille, qui ad *Boecleri* palatum scribit, hoc est, qui omnibus uersibus non dubitat excerpta inserere, nec, sine probatorum assensu Scriptorum, asserere quic-

Digitized by Google

quicquam, aut negare, audet, raro sibi potest cauere, ne interdum errores aliorum suis inferat scriptis, et, minus caute, arripiat pro ueris, ne dicam, eum, qui menti suae tam arctos posuit limites, non nullis uideri, minus aptum sese reddidisse ad inuentiones nouas et ueritatum indagationem.

Alioquin Opus est omne diuisum in Partes *tres*, quarum *Prima* agitur potissimum de illis, quae spectant Iuris Naturae et Belli Indolem, Diuisionem et Principium, Causas et Modum, *Alia* Parte de illis, quae Belli causas attingunt et negotia alia humana, quoad ipsam acquisitionem, conseruationem et defensionem, *Tertia*, de Iure Belli, quid liceat et expediat, cum adiunctis connexis.

Vt autem GROTIVS eo felicius progrederetur in hoc intricato impeditoque argumento, *Prolegomena* praemisit, in quibus multa sunt utilia quidem et maxime expendenda, cum suppeditent tum rationem Iuris Naturae defensi, tum etiam scatebram fontium, ex quibus hoc opus hausstum, et denique ipsam tractationis *Ideam*, *Typum et Portam*.

Inscribebat Opus hoc *Ludouico* XIII, qui ne minimo quidem honorario, pro tanto labore, ornauit GROTIVM, quod huic deesset apud Regem

Digitized by Google

Patronus, idemque seu meliorum literarum, seu huius operis, idoneus existimator.

Varia deinceps *fata*, et quidem saepius iniqua, expertum id opus est, omni propemodum tempore, ad hunc usque diem. Ab sacra *Indicis*, qui uocatur, *Expurgatorii* Congregatione, *Romae*, anno huius seculi septimo et uicesimo, die IV Februarii, in Vetitorum numerum Librorum Opus hoc referri coeptum est. Qua de re iudicia uidi quorundam, non e uulgo, Theologorum *Romanensium*, mirantium, qui et quare id factum fit, immo, uix credentium, licet *Francisci Magdaleni* Index Librorum Prohibitorum dubitare neminem sinat Cur autem *Iesuitae* procurarint apud Pontificem, ut inter libros mali commatis referretur, uarie inter se doctores disputant, et sunt inter ipsos Potificios, qui mitius censuerunt, quam est a Pontifice factum. Sic igitur Pontificius quidam loquitur. *Non capio*, inquit, *cur* Romana *inquisitio absolute prohibuerit librum* GROTIANVM *de Iure Belli et Pacis, ideoque non immerito uideor mihi posse dubitare, aut suspendere assensum meum, de illa interdictione facta. Perlustraui librum, uix duo, uel tria, notaui, quae spongiam, aut correctionem, merentur. - - Haec quidem mihi occurrunt, quae tamen eiusmodi sunt, ut, librum, alioqui per bonum et eruditum, non ideo, putem,*

Digitized by Google

putem, prohibendum. Si eodem rigore agendum esset cum plerisque libris aliis, in immensum augeretur Index Librorum Prohibitorum.

Alius ex iisdem Pontificiis ita iudicat.

HVGONIS GROTII *Librum, de Iure B. et P., nunc accurate euoluo, quem semper inter seculi nostri ornamenta numeraui, hodieque inter illos numero, qui, bona fide errantes, non continuo haeretici dicendi, aut inter damnatos censendi, sunt, autore magno Augustino.* Idem ille pergit. HVGO GROTIVS *Vir doctus, sapiens, ingenio perspicax, eloquio neruosus et accuratus, animi, ut prae se fert, boni, et angustioris in quibusdam conscientiae, quam sunt multi nostrates, sed, quod deprehendi, in religione* Caluino *affixus et immortuus. - - - In hoc tamen, de Iure Belli et Pacis, libro, pauca de aconito suo insperfit, quae si omittantur, liber lectu salutaris, illis praesertim, erit, qui mirabuntur, tam sincera Politicae praecepta, extra catholicae theologiae pomoeria, manere, et Acatholicos a nobis mutuare, quae ipsi aut negligimus, aut uiolamus.*

HVGO GROTIVS igitur primus utique ac princeps in Politicis glaciem fregit, eo habendus loco, quo *Aristoteles* in Philosophia, et in Iure *Iustinianus.*

Hoc certissimum est, *Ius Naturae,* ante GROTII nostri tempora, sparsim et confuse, absque ulla ar-

Digitized by Google

tis ac disciplinae forma, fuisse propositum, a Poetis nimirum, Philosophis et Historicis, inter Fabulas, praecepta morum, rerum gestarum narrationes, habitasque declamationes, hic et illic, non nihil insperſum, postea non ciuili tantum Iuri, sed etiam Theologiae, immixtum, multis Scholasticorum ineptiis, barbaro praesertim seculo, obscuratum, nouis identidem erroribus *Iesuitarum* corruptum, tandem a *Peripateticis* aliisque Philosophis sectariis, uel cum *Ethica* confusum, uel, uariis de causis, neglectum, ab uno autem GROTIO, omni adhibito uerborum apparatu, omni rerum pondere, numeris omnibus fuisse absolutum.

Quid AVTOR ipse, in argumento *Iuris B. et P.*, aliorum diligentiae Virorum reliquerit, illud, in Operis sui extremo, uerbis indicat sqq.

Atque, hic finire me posse, arbitror, non, quod omnia dicta sint, quae dici poterant, sed dictum satis sit, ad iacienda fundamenta, quibus si quis uelit superstruere speciosiora opera, adeo me inuidentem non habebit, ut ultro gratiam referret.

Boeclerus quidem, uir ad optimas quasque artes ac disciplinas natus, factus, ueluti coronidem operi conatus addere, morte impeditus, spem, orbi erudito factam, non potuit implere. Huc per-

Digitized by Google

pertinent ipsius *Boecleri* uerba, in extremo *Prolegg.* in annot. sua GROTIANA.

Forte et, his absolutis, ad ea progrediemur, quae GROTIVS *non attigit, non, quod mensuram exempli implere nos posse, sed, quod, reliqua etiam huius argumenti, ad ritum solidioris doctrinae conformata extare oportere, arbitremur. De cetero enim semper de* GROTIO *usurpaui, quod de* Panaetio P. Rutilius Rufus, *apud* Posidonium, *dicere solebat, Vt nemo pictor esset inuentus, qui* Veneris *eam partem, quam* Apelles *inchoatam reliquisset, absolueret, (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat) sic ea, quae* Panaetius *praetermisisset, et non perfecisset, propter eorum, quae fecisset, praestantiam, neminem esse persecuturum.*

In *Gallia* GROTIVS, ut exul, annos permansit circiter undecim, ab omnibus, honestissimis etiam excellentissimisque, regni eius Viris, adamatus, qui Regi eum commendauerant, quorum nos iam supra mentionem fecimus, plus semel a dignationis maximae Status Ministris, in rebus momenti grauissimi, ad consilium adhibitus. Immo, ipsi *Henrico Friderico*, Arausionensium Principi, ea de re, ut ex Epistola ad *B. Aub. Maurerium*, uidere licet, literas misit, *Neque* omisi*, inquiens, *significare* Arausionensium *Principi, quam constan-*

* *Ep. C, p. 182, d. 13 Aug.* A. CIↃ IↃ C XXVIII.

Digitized by Google

ſtanter in ipſum amicitiam, et uerbis, et factis, teſtatam facias. Eidem officia praeſtitit, quod ſeqq. GROTII Epiſtolae confirmant.

1) *Principis* Henrici *negotium, cuius literae tuae meminerant, impenſe commendaui. Spero, cordi fore.*

2) *Is quiad familiam pertinet Principis* Arauſionenſis, *citius, quam arbitratus fueram, diſceſſit. Igitur, quas ipſi traditurus fueram, miſi ad Senatorem* Reigersbergium, *ipſum, omneſque noſtri amantes, rogans, ut filius ille Tuus, ipſis adiuuantibus, progreſſus faciat, dignos ſuis uirtutibus - - Vt ſimul legatione, ſimul eximia, quam obtinebat, dignitate, euerſus ſit, audieris.*

Atque, ut id, quod diximus, tanto plus mereatur fidei, ex *Henrici Friderici*, Principis *Arauſionenſis*, literis, quas infra dabimus integras, quibus ad allatas iam primas GROTII reſpondet, gratias, pro officiis conſiliiſque, GROTIO agens, pauca hic referemus.

Oro etiam, ut perſuaſum habeas meum erga te fauorem, quo te ſemper proſequar, inductus eo affectu, quem mihi, omni tempore, feciſti teſtatiſſimum. Rogaui affinem tuum, D. Reigersbergium, *ut ad te definite et diſtincte, de rebus quibuſdam, ſcriberet, ad quas intelligere ſententiam tuam geſtio. Hanc ſi miſeris, magno beneficio me tenebis obligatum,*

1) *Ep. XLVIII, ad* B. A. Maurer. 2) *Ep. CLXXXIV, ad eund.*

Digitized by Google

tum, ſicut nuper, cum memoriale ad me mitteres, pro quo gratias ago maximas.

Tandem a Cardinali *Richelio*, totius tunc Status *Gallici* Miniſtro primario, inſtigantibus haud dubie GROTIANIS inimicis, penſione ſibi ſubtracta, uictum alibi quaerere coactus eſt GROTIVS, A. CIↃ IↃ CXXXI. Neque uero parum in eo peccaſſe uidetur magnus ille Miniſter, tanta eruditione prudentiaque uirum, penſionis non maximae cauſa, *Gallias* relinquere, paſſus, cum quidem alius, literarum literatorumque amantior, occaſionem potius fuiſſet quaeſiturus eiuſmodi uiros beneficiis attrahendi. Vnde etiam *Priolus*, imbecillitatis *Richelii* minime ignarus, in Hiſtoria ſua, uere ſatis, de ipſo iudicat, in haec erumpens uerba, *Primum Abbas, deinde Epiſcopus, infelix Concionator*, Sorbonicis *Chimaeris mentem paſtus, politioris literaturae rudis.* Id uero uel maxime uideri poſſit mirabile, orbis eruditi facile Principem fuiſſe dimiſſum ab *Richelio*, qui tamen librarum circiter octoginta millia, quotannis, ſolis Poetis, in his etiam uulgaribus Bauiis, perſoluenda curaſſet, haud aliam ob rem, niſi, quod acta factaque *Richeliana* continenter efferrent ad coelum, *Richeliumque* uiuum tantum non Deo adaequarent. Qua de re, poſt obitum Cardinalis, haud inſcite locutus eſt *Beautru*, dicens,

Digitized by Google

cens, ex locis non unis Carminum *Ioann. Capellani, de l'Eſtoille, de Bois Robert, de Benſeraddo*, aliorumque, ſe demonſtrare poſſe, diuinis eum honoribus ibi fuiſſe ornatum. Sic *Benſeraddius*, in uerſibus, *Cleopatrae* ſuae praefixis, hunc in modum poetari non ueretur.

Ie reuiens des enfers, d'une demarche graue,
Non, pour ſuiure le pas d'un Caeſar, mais d'un Dieu,
Ce que ie refuſay de faire pour Octaue,
Ma generoſité le fait pour Richelieu.

Ex quibus deinde uerſibus *Beautru* ſic colligebat, *Ergo Cardinalis eſt Deus.*

Vltimum igitur uale *Galliae* GROTIVS dicere coactus eſt ab ſolis inimicis, et ab *Richelio*, Cardinale. Ab Rege enim ipſo quanti fuerit aeſtimatus, uel ex Epiſtola [1]) GROTII patet, id quod ipſe, etiam abſens, rationibus modiſque haud unis, praedicare nunquam intermiſit.

De pecunia Regia, inquit, *Vir illuſtris, ſtat ſententia. Nihil moueri cupio.*

Tam teneor dono, quam, ſi dimittar onuſtus.

Dum hic mecum erit animus, quocunque ibo, ſecum geret, intimis ſenſibus, Regis optimi, *non dicam, beneficia, quae et ipſa tamen magni facio*, SED SINGVLAREM IN ME BENEVOLENTIAM, CVIVS CERTISSIMA TESTIMONIA HABEO,

1) *Ep. CXXVIII, ad* Guilielmum Luſſonium, *curiae monetariae Praeſidem primarium.*

Digitized by Google

BEO, *non tam ex liberalitate eius, quam saepe inuerecundia extorquet, quam ex uultu ac sermone, tanto digna, quibus credam, quantum illius sanctitas non minus abest a uoluntate fallendi, quam Maiestas eius a fallendi necessitate.*

1) *Gaudebis, ut puto, et tu, meo nomine, extitura apud posteritatem monumenta, quibus appareat, me, dum* Galliae *beneficiis usus sum, non ingratum fuisse aduersus* optimum Regem, *aduersus Cancellarium, qui primus me ad Regem perduxerat, aduersus etiam Amplissimum Ordinem, quorum iudiciis tuta est priuatorum salus, quibus, quam diu debui, exhibui reuerentiam, duos, literarum gloria maxime florentes, publice compellando.*

2) Regi optimo *gratiam habeo, habeboque perpetuo, quod, me suae liberalitatis participem esse, uoluit. Satis sit, dum in* Gallia *uixi, et usum mei non exhibui quidem, neque enim potui, sed obtuli tamen, uobis fuisse oneri. Nunc, ut absens, uelut iners fucus, aliena comedam pabula,* οὐ πρέπει. *In animo tamen, et* benignissimi Principis, *et tot amicorum, debitor ero semper, tibi in primis, Vir amplissime, cuius ego mores, fictos meliore metallo, et illum, qui moneta est praeclarissimarum actionum, spiritum, merito pluris facio, quam illud omne, quod, per* Defiati *manus, aut transiit, aut iis adhaesit.*

Et,

1) *Ep.* CXLIX, *ad* Guil. Lusson. 2) *Ep.* CXLI, *ad eundem.*

Digitized by Google

Et, quemadmodum, inde ab initio, promissa ei Pensio aegre fuit persoluta, uti supra iam dictum, ita longe quoque plus difficultatis ei creatum est postero tempore, adeo quidem, ut, etiam post suum e *Gallia* discessum, residua esset pecunia, quam poscere posset, in qua consequenda *Guil. Lussonius*, curiae monetariae Praeses primarius, longe post, eum iuuit, ipso innuente GROTIO, *Epistola* ad ipsum *Lusson.*

1) *Ex quibus cum discam, quanta cum diligentia cures, ne quid mihi de eo, quod de liberalitate Regia mihi reliquum est, pereat, satis intelligo, neque Regi, neque tibi, satis dignas me gratias agere posse. Et sane ita his temporibus obsepti sunt aditus ad beneficiorum Regalium rem consequendam, ut, sicut manupretium materiam saepe superat, ita, quae impendenda est, ad tot moras eluctandas, opera plus saepe sit ipsa liberalitate. Satis multa magnaque in* Gallia *accepi, ut eius obliuiscì nunquam debeam, et, si quid, ad eius gloriam ac commoda promouenda, meae sit copiae, id omittere, sit nefas. Nunc, quando neque mei praesentis opera, qua uteretur, his quidem temporibus, idonea* Galliae *iudicata est, neque patria tam recte ualet, ut mihi honestam apud se uitam possit concedere, unum scilicet superest, alium quaerere, qui mihi imperet, cuique soli ego*

1) *Ep. CXXXVIII, ad* Guilielmum Lussonium.

Digitized by Google

ego sim post haec obnoxius, et, qui potestatis sunt meae.

Tuum uero, Vir summe, constantissimum amorem, ac curam mei, supra omnem pecuniam aestimo.

Illud tamen constat, eum, post suum ex *Gallia* discessum, non modo residuum illud pensionis percepisse, uerum eundem quoque, iam extra *Galliae* degentem fines, spem habuisse Pensionis continuandae, id quod ex eius ad *Ioann. Cordesium*, Canonicum *Lemouicensem*, Epistola colligere licet, quod quidem ille beneficium, cum *Galliae* nulla amplius officia praestaret, *Suecicisque* iam sese negotiis implicuisset, modeste recusauit.

* *Illis ergo literis, quas forte iam acceperis, et gratias egeram,* Lindembrogii *nomine, pro chartis transmissis, et significaueram, quod nunc repeto, gratias me summas agere Regi, quod in me, etiam absentem, beneficia sua depluere uoluerit, et amicis, quod meis commodis tam perseueranter inuigilent. Ceterum, ego, ex quo* Gallias *reliqui, nullam, cur tali beneficio utar, probabilem causam uideo, ideoque, comiter excusari, uolo, hoc animo, ut non minus pro hac oblata, quam pro praestita hactenus, liberalitate,* Regi opti-

* *Epist. CXLIII, ad* Ioann. Cordesium.

Digitized by Google

mo *et* Galliae *ſim debiturus, et reſponſurus ei munificentiae grata mente ſemper, factis, ſi unquam ſe dederit occaſio, quod opto quam maxime, atque interim* DEVM *precor, ut Regi uitam det longam, et uegetam ualetudinem, regno ſtatum tranquillum, ſi tamen tanti boni capax eſt* Gallia.

1) *Ego iam et huius noui beneficii, quod, Regia bonitate, amicorum auxilio, habere potui, ſum debitor. Nam, animum qui dandi habuit, aequum eſt, ut et animum eius, qui accipere potuit, habeat ſibi obligatum. Ego, ſi ullo opere adiuuare eos potuiſſem, aut poſſem, quorum indefeſſum ſtudium, pro ſalute ac gloria* Galliae, *tuendisque ac propagandis finibus ac foederibus, apud populos omnes praedicare non deſino, nihil magis uolenti mihi fuiſſet. Nunc reſtat, ut precibus apud* DEVM *praeſtem, quod factis praeſtare, iniquitas fortunae me hactenus uetuit. Saluam* Galliam, *ſtatum eius tranquillum, res florentes, amicos in rebus proſperis, ſi intelligam, erit id mihi ſolatium ingens contra longa mala.*

Ideoque ſingularem ſemper erga *Galliam* propenſionem exeruit, ut, cum ait.

2) *Galliae bene ſemper optabo, ut debeo.*

3) *Et* Galliae, *Vir Nobiliſſime, et tot amicorum*

1) *Epiſt. CXLVII, ad* Guil. Luſſon. 2) *Ep. CXLIX, ad eund.*
3) *Ep. CXXXIV, ad* Petr. Putean.

Digitized by Google

rum, quos ibi reliqui, et praecipue illius, quae apud uos quotidie conſpicitur, Eruditorum coronae, ſemper meminero, dum hic in me manebit ſpiritus.

Decreuit igitur, caſus tot expertus aduerſos, patriam primo ſuam repetere, in quam ingens ille amor, quo hanc, omni uitae tempore, fuerat complexus, eum retrahebat, et in qua ſemper optauerat anniſuſque fuerat degere uitam, ut ex inſequentibus *Epiſtolarum* uerbis perſpicere licet.

1) *Ex iis, de me quae praedicas, ueniam dabis, ſi non reiicio omnia, ſed ea aſſumo, de quibus atteſtantem habeo conſcientiam, uitae innocentiis ſtudium, et eius, quem, natus in patria, acceperam, ſtatus fidum, ſed infauſtum, amorem.*

2) *Facis tu pro uetere affectu tuo, quod de meo in patriam reditu bene ominaris.*

3) *Sed nihil plane literarum ex patria accepi, quod me male habet, non tam ob publica negotia, de quibus, ut edocear, mea nihil admodum refert, ſed, quod proximorum ualetudo, mihi incognita, ſolicitum me habet.*

4) *Ego, an unquam patriam meam uiſurus ſim, equidem ignoro. Nam, ut eam aliter, quam,*

1) *Epiſt. CXXXIIX, ad* Guil. Luſſon. 2) *Ep. LXXXIII, ad* Beni. Aub. Maurer. 3) *Epiſt. LXV, ad* Fr. Aug. Thuan. 4) *Ep. XCIX, ad* Beni. Aub. Maurer.

Digitized by Google

cum honore ac dignitate, uideam, non mei eſt animi, poſt tot mala exantlata. Vt uero mei ea, quam, aequum eſt, haberi, habeatur ratio, qui ſperem? Cuncta malis habitantur moenia Graiis. *Et, ſi qui ſunt boni, aut ſatis boni, praeter uota nihil habent, quod in nos conferant. Tum uero, etiamſi aliquando non inhoneſti reditus detur copia, quanta mihi erit luctus materia, cum tot amicorum mortes, quos decem anni tulere, una prope dies mihi in conſpectu ponet?*

1) *Percellitur mihi animus, quoties nouos ex patria luctus intelligo. Saepe, apud me rem a ſuis initiis repetens, exclamo, Vtinam aliquando uideamus patriam eo ſtatu, quo eam, ad nos adueniens, uidiſti.*

Quin etiam impulſus eſt Vxoris precibus ad hoc iter, quippe quae, A. CIↃ IↃ CXXIV, primum iter ſuum in patriam faciebat, cuius negotium ipſe GROTIVS, ſequentem in modum exponit.

2) *Vxor, dum in patria fuit, tempus omne triuit uiſendis amicis et componendis reculis ſuis, id eſt, naufragii noſtri tabulis. Publicas res reliquit eo in ſtatu, in quem eas pridem laeua conſilia adduxerunt, exigua ſpe emendationis, niſi, quod ex machina Numen affulſerit.*

A. CIↃ

1) *Ep. LXX, ad* Beni. Aub. Maurer.

2) *Ep. LXXXIV, ad eundem.*

Digitized by Google

A. CIↃ IↃ C XXVII, Vxor eius in Patriam redire coepit.

1) *Vbi*, (in patria) *amicos reperit plurimos. De meo reditu, nemini ſupplicare uoluit, metuens, ne qualecunque deſiderium interpretationem culpae agnitae reciperet. Quod quidem ita incendit illos, quos ego, nullo alio nomine, quam, quia ſemel male mihi facere coeperunt, infeſtos habeo, ut affini* Reigersbergio *ueterem illam, de literis ad me ſcriptis, calumniam rurſus intenderint.*

Praecipue uero Principis *Henrici Friderici* lenitas eum retrahebat, cuius, in Epiſtolis ſuis, mentionem haud unam fecit.

2) *Princeps* Arauſionenſis *ſane optat pacem, et Eccleſiaſticam et ciuilem, ſed uota eius interturbantur, partim clandeſtinis molitionibus, partim ui aperta, ſuſcitatis per miniſtros plebis ſermonibus in homines innocentes, iis in locis, ubi Magiſtratum ſaeuitiae taedere incipiebat. Quid deinceps ſit futurum,* DEI *in manu eſt.*

3) *Neque ignoro Principis* Arauſionenſis *bonitatem, et uim, ei tot proſperis, auctam.*

Is *Henricus Fridericus*, mortuo fratre *Mauritio, Arauſionenſium* Principe, ad gubernaculum

T 3 *Rei-*

1) *Epiſt. XCIII, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. XC, ad eund.* 3) *Ep. CIX, ad eundem.*

Digitized by Google

Reipublicae admotus, non mitioris tantum regiminis, ſed etiam priſtinae in adminiſtranda Republica libertatis, ſpem dederat.

1) *Interim, per annuas electiones, multi ueterani Magiſtratuum in ius ſuum redeunt, et certe Eccleſiae res mitiora conſilia, nondum quidem in Conuentu, ſed in urbibus tamen, nec paucis, nec exiguis, praeponderant.*

2) Mylium *noſtrum honores breui recuperaturum, ſpes eſt, anniſu Principis maxime.*

3) Mylii *res melius procedunt. Nam, praeterquam quod libertatem et bona illibata recepit, etiam nuper, in Principis* Mauritii *funere, dignum ſua familia locum obtinuit - - Spes, quae nobis datur, ex* Hogerbecii *meliuſcula fortuna, haud ſane magna eſt. Senex optimus, poſt ſeptem annorum captiuitatem, ſub graui cautione,* Lupiſtenio, *permiſſus eſt, in locum laxiorem migrare, ſed, ubi uillae unius finibus tam miſera libertas circumſcriberetur. Et hoc ipſum tam tenue beneficium magno illo conſtitit. Intra menſem enim, exhauſto auidius, quo tam diu caruerat, aere, in morbum incidit, ex quo ueram libertatem, id eſt, mortem, inuenit. At liberi, eo iam mortuo, ſuppliciter poſtulantes, bona ſibi reddi, nihil impetrarunt.*

Ipſi

1) *Ep. XCIII, ad* B. A. Maurer. 2) *Ep. C, ad eund.*
3) *Ep. LXXXVII, ad eund.*

Digitized by Google

Ipsi certe GROTIO pridem animi sui affectum per literas testatus erat Princeps *Henricus Fridericus*, uidebaturque non paucis quaesiturus sibi gloriam ex tanti uiri, tam iniuste damnati, in integrum restitutione. Itaque, A. CIↃIↃCXXXI, durissima hiemis [1]) tempestate, *Amstelodamum* se conferebat, ubi tamen hostes, opinione plures, offendebat. Vix enim salutauerat eam, cum illi, qui, ante undecim annos, perpetuo illum carceri addixerant, ceteris deiectis, ad honores summos peruenerant, eius praesentiam contra sua esse commoda, existimantes, de exilio perpetuo, quo GROTIVS mulctandus esset, denuo consilium inirent, licet ipsi luculentum affuerit patrocinium Ordinis Equestris ac Ciuitatum, *Roterodamensis*, *Delphensis* et *Amstelodamensis*. Nihilo tamen minus pars maior praeualuit, eumque PERPETVO EXILIO, ut *Vossius* [2]) docet, damnauit. Ad maiorem istam partem Princeps *Henricus Fridericus* sese tandem associauit, prout *Anonymus*, in Vita GROTII, diserte confirmat.

Sed, ut plerunque apud animos eorum, qui Principum consiliis praesunt, utilia honestis praeualent, neque deerant, qui ipsi ante oculos ponerent,

1) *de quo itinere, Ep. XLIII, conqueritur*, Posthaec, *inquiens*, praeferam terrestre per Hollandiam, non amplius meam, iter.

2) *Ep. CLVIII, pag. 210.*

Digitized by Google

rent, quam periculosum rebus suis foret, hominem, tam pertinaciter libertatis ac patriae suae amantem, denuo ad Rempublicam admittere, potentiae suae, quam existimationi, consulere maluit, et Proceribus, super mansione GROTII, *in* Hollandiam *reuersi, circa finem anni* CIↃ IↃ C XXXII, *deliberantibus, iis accessit, qui, interdicendam illi in patria habitationem, opinabantur.*

Quidam putant, factum id esse ex GROTII metu, ne partem sibi contrariam offenderet, adhuc potentem, ut diserte *Maurerius* affirmat, in Mem. suis, etsi Princeps *Mauritius* fuerit mortuus, *Heinricus* quoque *Fridericus* GROTIO fauerit, eum tamen, metu partis GROTIO aduersae, nimisque adhuc potentis, GROTIO bona eius publicata restituere ausum non fuisse, quod etiam confirmat ipse GROTIVS, ad A. CIↃ IↃ C XXVI.

1) *Princeps* Arausionensis, *quid uelit, tempus ostendet, parum se posse, queritur.*

Alii uero malunt, Principem ab inimicis GROTII fuisse abreptum, id quod *Anon.* quoque, in GROTII Vita, et ipse GROTIVS, innuere uidetur.

2) *Sed idem scribens scio, multa Principes largiri temporibus, multa facere, quae, facta, nollent non facere, quae tamen, facta, probarent. Ego, quaecunque ab eo fient, paratus, in partem optimam interpretabor.*

1) *Epist. XCI, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Ep. CIX, ad eundem.*

Digitized by Google

terpretari, durabo me ad ferenda mala, si qua, post decem graues annos, restant.

[1]) *Neque dubitandum est, quin, si ea* (autoritate) *uti uelit, Princeps, facile compositurus sit, quicquid est fluctuum. An uelit, quousque, quo modo, id uero is nouit, qui corda et scrutatur, et regit, praecipue Virorum Principum, in praesentia dicere nolim.*

Vxorem in patria res suas constituere, iubebat, conquerens impense, incertum se esse, quo deinceps tendat.

[2]) *Vxor apud eos est, quos nostros semper dicere solebam, nunc uix possum amplius, nempe, ut tabulas colligat naufragii, in quem tandem portum a nobis referendas, nec dum scio. Sed* DEVS *uiderit, cuius paternam beneuolentiam, in rebus durissimis expertus, ne nunc quidem mihi meisque defuturam, satis certum habeo.*

Ita, coactus denuo patria sua excedere ILLVSTRIS EXVL, cum comperisset, praesentiam suam in *Suecia* desiderari, *Hamburgum*, illud ciuitatum *Hanseaticarum* caput, sese contulit, hospitem ibi nactus Mercatorem haud illiteratum, nomine *uan Sorgen*, Aduocati cuiusdam *Hagiensis* fratrem, teste *Petro* [3]) *Cunaeo*, uoluptatem capiens tam ex amoenitate loci, quam ex affluen-

T 5

1) *Epist. CVIII, ad* Beni. Aub. Maurer. 2) *Epist. CXLI, ad* Guil. Lussonium. 3) *Ep. ad* Casp. Barl. *p. 273.*

Digitized by Google

affluentium undique eruditorum Virorum ſalutationibus, ut ipſe confirmat.

r) *Viuo hic, in locis non inamoenis, et, in quibus nec externus mihi uideor, tanta popularium meorum, et ueterum, et nouorum, turba circumfuſus. Meminiſti illud,* Arcadii *et* Honorii *temporum,*

Non indignante Cayco,
Paſcit Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim,
Gallica Germanos montes armenta pererrant.

Amnis autem eſt non aliquis de plebe fluuiorum, ſed, pater Albis, *quem ſic, quaſi foſſam uillae, deſpicio.*

Hic uero non ingratus fuit HOSPES, mentem aliorum meliorem opperiens, quae cauſa fuit, cur per aliquod tempus, uſque ad menſem Maium A. CIↃ IↃ CXXXIV, fuerit ibi commoratus, tolerabili ſorte, eodemque Vxorem aduenire, iuſſit, ſuis aduerſis ſemper leuamen, adeo, ut incertus eſſet, etiam tunc, debeat ne haerere apud illos, an alio tranſferre ſedes, quo non inhoneſtis conditionibus uocabatur. Quamuis ergo, in hoc ſtatu, quietus latitare decreuerat, fama nihilo minus, de eius doctrina et ſcriptis, per uniuerſum literatum orbem longe lateque percrebuit. Inde ſemel iterumque ad multa ſplendida

r) *Ep. CXXXII, ad* Guilielmum Luſſonium.

Digitized by Google

dida officia, non modo ab Rege *Daniae, Christiano* IV, a Duce *Holsatiae*, Rege item *Poloniarum*, ut ex *Ger. Ioann. Vossii* Epistolis discimus,[1]) sed etiam ab *Hispaniae* Rege, per *Erycium Puteanum*, inuitatus est, quae ille tamen omnia modeste declinauit. Mentionem horum Principum iniicit ipse GROTIVS.[2])

Nam, rogatus ab aliquot Principum Ministris, essem ne auctoratus cuipiam, quia ea fama uagabatur, dixi, memorem me, dum uiuerem, forte eorum bonorum, quae in Gallia *percepissem, ceterum, ex quo inde abiissem, esse me liberum meique iuris. Ostentant se occasiones, non uno ex loco, minime spernendae, siue honoris, siue commodorum, spectetur ratio. At mihi semper illud se menti subiicit,* Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

3) *Ostentant se nobis aliqua, de quibus, quid potissimum sit eligendum, nondum diximus. In eo tamen sumus, ut breui constituamus aliquid, ne diutius pendeamus, diuulsis familiae membris.*

Tandem, uitam et domicilium mutare, decreuit, destinatus iam, ab Rege *Sueonum, Gustauo Adolpho*, ad legati munus obeundum.

Deli-

1) *N. CCVIII et CCIX, Opp. Tom. X, pag. 246, 248.*
2) *Ep. CXLVII, ad* Guilielmum Lussonium, *pag. 315, ad* A. CIↃIↃCXXXIII.
3) *Ep. CLV, ad* Beni. Aub. Maurerium.

Digitized by Google

[1]) *Deligenda est aliqua*, inquit, *fortunarum sedes, cui me et spes meorum committam, deligentem* DEVS *dirigat.*

Et alibi non obscure innuit munia *Suecica.*

[2])Salmasium, *cum honore, exceptum ab iis, qui me per contumeliam eiecerunt, literarum causa, gaudeo. Erit ergo illi, pro* Gallia, *tellus* Bataua, *mihi, pro* Bataua *tellure, nunc* Hamburgum, *mox alius forte terrae angulus.*

Stupenda autem eius doctrina et scientia talem tantamque ei famam conciliauit, in primis Opus eius palmarium, de *Iure B. et P.*, iam tum, per uniuersam *Germaniam*, magno in pretio habitum est, et, cum Rex *Gustauus Adolphus* idem illud sedulo perlegisset, in magnam admirationem raptus, de eo dixisse fertur, *Se ostendere* GROTIO *uelle, quanta sit differentia theoriam inter et praxin, faciliusque aliquid scribi posse, quam cum facto coniungi.* Hinc ille Inclytus Rex, ante obitum suum, decreuerat, AVTOREM huius Operis ad se euocare, legatique munus ei conferre, utpote quem, propter excellentiam huius *Operis*, rerum ciuilium egregie peritum esse, existimabat, in qua uoluntate eius Minister primarius, Cancellarius *Oxenstirna*, magnum hunc Regem

1) *Ep. CXL, ad* Ioann. Cordesium.

2) *Ep. CXLI, ad* Guilielmum Lussonium.

Digitized by Google

gem magis magisque semper confirmabat, quippe qui opus illud tantum non in deliciis habebat continenterque legebat.

At mors Regis maximi, A. CIↃ IↃ CXXXII, VI Nouembr., id omne intercipiebat. *V Vallenstenius* enim, cum omnibus suis copiis, terras inuaserat, *Saxoniam Lipsiamque* ceperat. Hunc Rex e uestigio insequebatur in itinere, legionibus suis in partes duas diuisis, quarum una interdiu, altera noctu, progrediebatur, ut, altera quiescente, iter altera faceret. A. CIↃIↃCXXXII, tribus ante solis ortum horis, Rex castra mouebat, die insequente ponens ea, in conspectu *Caesareorum* militum, *Salam* inter et *Elystrum*, flumina, quorum primum ad siniſtram ei, alterum ad dextram, erat. Post leues quosdam conflictus, utraque castra per nebulam separabantur. Rex, surgens, noctem peragebat in uehiculo suo, et colloquebatur cum primariis suis Praefectis, quorum plurimi se dabant quieti nocturnae, sub dio, ocreati, cum impedimenta interim eorum retardata essent, circumcincti multis ignibus, quibus a frigore se defendebant. Ibi concilium suum militare congregabat, *Sibi esse in animo*, exponens, *rem proelio experiri.* Id non nulli dissuadebant, dicentes, *praestare, aduentum expectare* El. Saxonis, *Ducis item* Luneburgensis, *et aliorum e suis Duci-*

Digitized by Google

Ducibus bellicis, qui non procul essent ab ipso, et victoriam aduentu suo redderent faciliorem. Praeterea defatigatos esse Suecos, *et hostibus numero inferiores. Rem esse audaciae plenam, unius diei proelio committere uniuersa. Copias habere* VVallenstenium *delectas, et, necessitate coactum, extrema quaeque, procul dubio, experturum esse. Locum tenere opportunum, fortunam esse inconstantem, saepiusque haesitantibus fauere. Caesareos magis timendos, quia nihilo magis, quam eorum Dux, mortem curarent, et a* Pappenhemio, *si in fine pugnae illi se iungeret,* Suecos, *defatigatos, caedi facile posse.* Respondebat Rex, *sicut ipse posset copiis augeri, ita* VVallenstenio *spem eandem superesse, unde utriusque conditio par esset futura. Copias auxiliares expectare, nihil esse aliud, quam, infirmitatem suam prodere, et milites suos reddere timidos. Proelium finiri prius posse, quam* Pappenhemius Halis *aduentaret. Occasione in bello esse utendum, quippe quae in eo saepe momento, quo se ostenderet, dispareret. Hostem nunquam esse imbecilliorem, quam, cum esset stupefactus, qualem, necesse sit,* VVallenstenium *esse, qui tantopere se muniret. Velle se ipsum praeire illis, qui periculum timerent.*

Approbabant Regis Consilium, siue, quod Ministri communiter Principem suum reuerentur, siue,

siue, quod, pudore ducti, proelium dissuadere non audebant, quod tamen ingenti periculo erat obnoxium, ideoque decernebatur, pugnam esse ineundam.

Prima luce, VIII Idus Nouembr. A. CIↃIↃCXXXII, exuebat *Rex* uestem suam, nouam induens, quod globulus tormenti manuarii, humero suo inhaerens, motum uel minimum sibi intolerabilem redderet. Hinc, precibus ad DEVM fusis, equum conscendebat subfuscum, aciem instruens, quae quinque et uiginti uirorum millibus constabat.

Ad finem uitae *Regis* huius maximi, simulque ad finem *Partis* meae *prioris* VINDICIARVM GROTIANARVM, dum iam progredior, in mentem mihi uenit, quanta, cum hoc proelio *Gustauique Adolphi* morte, rerum commutatio fuerit coniuncta. Quare *Lectori beneuolo* haud ingratum, opinor, accidet, de his ipsis non nulla commemorare, insequentes potissimum, easque minime leues, ob causas.

Primum, ut *Lector*, statum et *Germaniae*, et armorum *Sueciae*, et *Protestantium*, morem praeterea molitionesque *Galliae*, ab exceſſu *Gustaui Adolphi*, perspicere, atque ex his quendam ueluti praegustum rerum, in *altera* VINDICIARVM GROTIANARVM *Parte* exponendarum, cognoscere, queat. Deinde, quod idem ille Rex et GROTIVM noſtrum, et GROTIANVM illud Opus, de

Digitized by Google

de *Iure Belli et Pacis*, tanti fecit, ut GROTIVM, ante ſuum adhuc obitum, praeter ceteros dignum iudicaret, qui, cum dignitate Legati, ad quandam ex illuſtriſſimis *Europae* Aulis Aulam, qualis Aula erat *Gallica*, mitteretur. Equidem, de ſingulari plane *Guſtaui Adolphi* in laudatum GROTII Opus amore, me relatum legiſſe, recordor, fuiſſe id repertum in ipſo *Regis* tentorio, poſtquam, in fatali illo ad *Lucenam* proelio, A. C. CIↃIↃCXXXII, occubuiſſet. Qua ex re colligi facile poteſt, tantum non in deliciis illud fuiſſe *Heroi potentiſſimo*, cum, inter ipſos etiam ſtrepitus armorum et tubarum ſonos, temporis non nihil indulſerit eius lectioni. Vnde *Guſtauum* quoque *Adolphum* tantopere ſuſpexit GROTIVS noſter, * ut Hiſtoriam Vitae Geſtorumque ipſius condere animum induxerit, lectitans continenter, quicquid, Latine, Italice, Germanice, Gallice, ad *Guſtauum* ullo modo ſpectans, literis eſſet conſignatum. Quae tamen omnia, cum animaduerteret, conſiliis, res cunctas moderantibus, eſſe deſtituta, neque ſatis accuratas locorum deſcriptiones, neque ordinem acierum, neque oppugnandi propugnandique artes, in his contineri, de apparatu operis ſufficiente deſperans, hanc telam aliis pertexendam reliquit. Cum praeterea,

* *ut perſpici poteſt ex Ep. DCXLI, ad* Oxenſtirnam, *Senatorum et Cancell.* Sueciae.

Digitized by Google

rea, *Parte* insequenti *altera*, GVSTAVVM ADOLPHVM inter et GROTIVM nostrum, *Comparationem*, tum in corporis, tum in animi, dotibus, instituere constituerim, in extremo potissimum *Partis* huius *prioris* delineare quaedam conabor, ne *Lectori*, in *altera Parte*, repetitionibus intempestiuis, oneri sim. Maxime omnium uero *circumstantiae*, quas uocant, mortis *Gustaui Adolphi* me impellunt, quippe quae tam incertis adhuc dubiisque modis descriptae passim fuerunt, ut operae pretium facturus mihi uidear, si paulo has accuratius perquiram, lucidiusque demonstrem.

Initium igitur a dubiis, quas dixi, *circumstantiis* faciam Regiae mortis, cetera deinceps omnia fortassis erunt procliuiora. Ac de proelio quidem *Lucensi* haec tradit *Adelzreiterus*.

s) *In aciem prodiit Rex*, inquit, *et, tantisper expectato, donec nebulosum aerem sol oriens discussisset, pugnam inchoauit. Proelii seriem narrant uariam, prout cuique relata. Ne accurate uero eandem referrent, uetuit ingens praeter morem caligo ex densa nebula, quae mutuum etiam conspectum legionibus reddebat ita obscurum, ut uix se, nisi e propinquo, internoscerent. Referam, quae uisa sunt, ex consentientibus plurium commentariis,*

V *uero*

s) *Annal.* Bauar. *Parte III, Lib. XVII, §. 90, p. 282.*

Digitized by Google

uero propiora. Primum, idque peracre, certamen fuit ad uiam regiam, quam tuebantur, protecti a foſſa, Fridlandici *ſclopetarii, quibus denique pulſis,* Sueci *ſeptenis machinis potiti ſunt. Inde, ui aduerſus ſiniſtram* Caeſarianorum *alam conuerſa, duae phalanges, loco motae, tum a tertia et quarta ſuſtentatae,* Suecos, *cum clade non mediocri, retuderunt, recuperatis, quae paulo ante amiſerant, ſeptenis tormentis. Tredecim, quas dixi,* Fridlandicae *machinae, ad uelarem moletrinam, ex edito loco fulminantes in* Suecos, *phalangem unam, male mulctatam, cum ſtrage, loco mouerunt. Reſpondebant uiciſſim* Suecicae *fulminationes. Viae regiae, foueae arboreſque, impreſſiones* Suecorum *reddebant lentiores, et laxabant interdum Ordines. Verum,* DVM SVA MANV REX CONFLIGIT, VVLNVS, IN LAEVO BRACHIO, GRAVE ACCIPIT, *et, copioſo perfuſus ſanguine,* ANIMO PAENE LINQVITVR. *Memorant,* AFFVISSE SAXONEM, ALBERTVM LAVENBVRGICVM, QVI NVPER A CAESARE AD HOSTEM TRANSIERAT, ET SOLVM PROPE GVSTAVVM ADOLPHVM CONSTITISSE, *petiiſſe uero Regem, ut extra pugnam educeretur. Id moliente, per fumum nebulamque,* Alberto, *eductoque Rege paulum extra ordines, incidiſſe in equitum* Caeſarianorum *manipulum, qui, in utrumque inuecti, Regem ignotum,* DVPLICI VVLNERE, ALTERO PER CAPVT, CONFECTVM STRATVMQVE, *confecere.*

Cum

Digitized by Google

Cum hac narratione componamus ea, quae, non ſpernendus, rerum hoc bello geſtarum teſtis, *Adolphus Brachelius*, tradit.[1])

Inter equites primus Rex, foſſam equo tranſiliens, dum ſuos exemplo et uoce hortatur, BRACHIVM SCLOPETI ICTV TRAIICITVR, QVO VVLNERE, EMANANTE LARGITER SANGVINE, *ita mox affectus eſt,* VT LINQVI ANIMO INCIPERET, *rogaretque, e proelio in locum aliquem ſecuriorem, ad curam, educi.* ADERAT ILLI FRANCISCVS ALBERTVS, DVX SAXONIAE, NON ITA PRIDEM, RELICTO CAESARE, REGI, AD NORIMBERGAM HAERENTI, IVNCTVS. *Hic ergo, dum in eo eſt, ut per furentium armorum manipulos, Regem, iam uix ſeſe equo et annixu ſuo ſuſtinentem, eripere diſcrimini laborat, ſimul nebula ſummoque et puluere uiſum adimente, ſimul confuſione et diſcurſu legionum territus, longiuſcule a ſuis aberrans, in cohortem Caeſareorum imprudens incidit. Ibi Rex ab ignaris, quem peterent,* BINIS ADHVC ICTIBVS, VNO CAPVT, ALTERO PECTVS, TRAIICITVR, *ac, diffugientibus, qui circa eum erant, uitae iam exors, in campo deſtituitur.*

Admittamus quoque teſtem, omni ceteroquin exceptione maiorem, quippe ipſius ad *Lucenam* pugnae ſpectatorem, *Ioannem Baptiſtam Burgum.*

1) *Hiſtor. ſui temp. p. 233.*

Digitized by Google

[1]) *Ruptis ordinibus, totum ſiniſtrum* Caeſareorum *agmen in fugam ſecum abſtraxere. Quod conſpicatus* Guſtauus Adolphus, *qui hactenus in hac moratus fuerat parte, iuſſo* Hornio, *hoſtem proſequi, ad frontem noſtrae aciei ſe tranſtulit, unde* Suecos *fuiſſe repulſos, intellexerat, ſcrutaturus debiliorem partem, atque in eum impetum factum. Sed, cum, obſeruandi gratia, propius noſtros acceſſiſſet* Guſtauus, *grauioris ſclopi glande,* SINISTRO BRACHIO COMMINVTO, DELAPSVS IN DELIQVIVM, *ab aulicis, flexo ad ſuorum dextrum latus itinere, per manipulos tranſiens, ne milites terreret, ad curandum deducebatur, cum, in quandam noſtrorum equitum legionem, redeuntem ad proelium, incidens, dilapſis aulicis, trucidatus ab ignaris, quem occiderent, militibus atque ſpoliatus eſt. Ferunt, cum imminens uidiſſet periculum, neque ſalutis ſpem eſſe, oraſſe* Franciſcum Albertum, Lauenburgicum, *e Saxoniae Ducum Familia,* QVI SOLVS SVSTINENDO REGI REMANSERAT, *ut, poſtquam perierat, ipſe ſibi conſuleret, uulgataque ſunt ipſius ad* Lauenburgicum *uerba,* Gallico *idiomate prolata, quae latine ſonant,* Perii, tibi conſulas, Frater. *Noluiſſe tamen illum deſerere Regem, atque, aciem ſuam uerſus aſportare niſum, donec ab aſſultantibus quatuor Caeſariis, qui ante legio-*

1) *Mart.* Sueco German., *ſiue Rer.* Guſtaui Adolphi *Libro III, p. 3.*

Digitized by Google

legionem ad se concurrerant, interceptus, dum breuioris sclopi ictum uitat, Regem, quem amplexu sustentabat, dimittit, atque, ambusta sulphureo puluere facie, elabitur.

Conferamus ea, quae ex aliis scriptoribus profert *Samuel Pufendorfius*, quamuis istis, ut paulo post uidebimus, non in omnibus fidem tribuit.

1) *Primo igitur ad fossam, quam uiae praetendi, diximus, acerrime coitur, e qua* Fridlandici *sclopetarii ferociter resistebant. Igitur Rex in* Smalandorum *fronte consistens, quibus* Fridericus Stenboccius *tribunus erat, inuocato* SALVATORIS *nomine, et suos cohortatus, ut se strenue sequerentur, fossam saltu superat, et, cum paucis, queis par alacritas, in grandem cataphractorum cateruam acerrime impingitur, ceteris adhuc circa fossam haerentibus. Fuere, qui crederent, Regem, opinione citius, in hostem delatum, quod oculorum acies, ad propinqua tantum pertingens, paulo remotiora non discerneret. Eo in conflictu,* Regis brachium sclopeti ictu traiicitur, *fracto quoque osse, cuius uulneris dolorem, etsi is aliquantisper dissimularet, alacri uultu ac uoce suos ad pugnam capessendam incitans, tamen, promanante ubertim sanguine, uiribusque deficientibus, a* Francisco Alberto, Lauenburgico Duce, qui latus ipsius stipabat, *petit,*

1) Pufendorf. *Rer.* Suecic. *Libro IV, §. LXIII, p. 83.*

Digitized by Google

petit, ut e tumultu proelii in tutiorem locum adduceretur. Inter quae cataphractus aduolans, admoto ad Regis tergum sclopeto, medium globo traiicit, quem alii subtribunum, sub Goetzii *legione, Pontificiae religionis,* Falckenbergium *nomine, eius* Falckenbergii, *qui* Magdeburgi *occubuit, gentilem, ferebant,* Paderbornensi *ditione oriundum, qui Regem agnouerit. Id quod apud* Caesareos *constanter iactatum fuit, etsi et iste mox iterum a* Suecis *occisus memoretur. Quanquam autem Rex adhuc sese conaretur eripere, hoste, tamen, acriter ingruente, cum succussationem ferre non posset, linquentibus uiribus, equo defluxit, qui stapetibus haerentem aliquantisper trahebat, donec inter hostes, uiuus adhuc, procumberet. Tandem interroganti, quis esset, Regem se* Sueciae, *respondit. Vnde hic sauciatum ad suos raptare conatus, cum* Sueci *equites, Regis equum, sessore uacuum, conspicati, acerrimam in hostes impressionem fecissent, sclopeto eius capite traiecto, facessebant. Alii, ad indusium usque, uestibus spoliatum gladio insuper transfodiebant. Post dimidiam horam, corpus, a Regiis recuperatum, ab aliis, traditum, reperi, dum, post uulnus in brachio acceptum, proelio excedit, a suis turmis longiuscule aberrasse, ac in hostilium equitum manum forte incidisse,* a qua, binis ictibus, corpus caputque traiectus,

Digitized by Google

traiectus, *neci datus, nec agnitus, in campo relictus sit.*

Confirmat hoc ipsum *Furstembergius*, Episcopus, in *Monumentis* suis *Paderbornensibus*, Autore nominato.

*) *Hoc loco et genere* Falckenbergiorum *ortus est* Theodorus Falckenbergius, Gustaui Adolphi, Sueciae *Regis, aulae Mareschallus, pedestris et equestris legionis ductor, et qui, Regis sui nomine,* Magdeburgum, *aduersus* Tillium, *Catholici exercitus Ducem, propugnauit, atque, urbe a* Caesareo *milite capta direptaque, in ipso eius Vallo occubuit.* Mauritius, *contra,* Falckenbergius, *equestris legionis* Goezianae *legatus, Caesari militauit, post captus a* Suecis, *et, paucis diebus ante, dimissus, quam ad* Luzenam *fuit dimicatum, eidem proelio interfuit, Regemque* Sueciae, *quem, paulo ante captiuus, et, propter merita* Theodori Falckenbergii, *familiariter habitus, optime de facie norat, plumbea glande sauciatum, equo primus deiecit, pariterque hostili telo transfixus, concidit proxime Regem, cui, humi prostrato, fatali ictu, superueniens* Georgii ab Oynhausen, Goezianae *legionis equitum magistri, legatus,* Ioannes Schneberg, *ex* Bockendorp, *dioeceseos* Paderbornensis *uico, oriundus, ilia ense confodit, peremit, spoliauit-*

*) *pag. 126. 127.*

Digitized by Google

que exanimem. Placuit, inquit porro, *hoc recens* Paderbornenſium *militum facinus, dum uetera monumenta percenſemus, hic ſubnectere, et uerbo ad poſteritatis memoriam conſignare, ne qui alii, ut poſt uictoriam ignaui etiam gloriantur, hanc ſibi laudem praecerpant. Nobis, cum certa fides ex iis, qui in proelio interfuere, tum* TORQVES AVREVS, *Regi, inter opima ſpolia, a* Schnebergio *detractus relatuſque, teſtis eſt. Neque aliud nobis propoſitum, quam, partam* Paderbornenſium *nomini gloriam candidae ueritati aſſerere.*

Addunt, *Ioannes Petrus Lotichius* [1], *Adelzreiterus* [2], et *Petrus Lansbergius* [3], ante proelium Regum occiſum, una cum uno praetoriano equite, alterum uero ſtipatorem, lethali uulnere ſauciatum, tantiſper ſuperuixiſſe, dum Regis caſum referret, cuius indicium Regis equus cruentus, in aciem recurrens, iam antea *Bernhardo*, Duci *VVeimario*, feciſſet.

Ex his omnibus liquet, FRANCISCVM ALBERTVM AFFVISSE, REGEMQVE PER TVMVLTVM, AC PAVCIS ADMODVM PRAESENTIBVS, PRAE DENSA TAMEN NEBVLA NON VIDENTIBVS, QVAE AGERENTVR, OCCISVM FVISSE.

Con-

1) *Rer. Germ. Lib. III, c. VI, p.* 1119, *ſeq.*
2) *Annal Bauar. P. III, Libro XVII, §.* 90, *p.* 282.
3) Guſtaui *M. Bell. German. p.* 491.

Digitized by Google

Conſideremus igitur *Pufendorfii* opinionem, in primis conſentientibus huic opinioni ſupra memoratis grauibus ſcriptoribus pontificiis, *Adelzreitero*, *Adolpho Brachelio* et *Ioanne Baptiſta Burgo*, tanquam ad ueritatem propius accedentem, dicentis,

Pertinax eo tempore rumor erat, REGI, POST VVLNERATVM BRACHIVM, A FRANCISCO, DVCE, LETHALEM ICTVM ILLATVM. *Ipſe porro, pauper, ſtipendiis* Caeſaris *innutritus*, *quibus*, *nulla idonea cauſa*, *deſertis*, *ad hoſtem Regem acceſſerat*, EIVSQVE LATERI DILIGENTIVS, QVAM PRO VVLGARI OFFICIO, ADHAESERAT.

Mirum ergo, quare *Iobus Ludolphus* [1]), et *Anonymus*, qui, pace huius praeſtantis Viri loquar, *Pufendorfium* refutare, *Franciſcumque Albertum* ab hoc facinore excuſare, ingreſſus fuerit, rationibus quidem non admodum grauibus, iiſque ſeqq.

OBIECT. I.

Suo priuatim nomine *Franciſco Alberto* inimicitiae erga Regem erant nullae, et, quod odii in Regem cauſam iuſtam habuerit, *Pufendorfius* affirmare non audet, adeoque nec ulla erit ei cauſa ipſum ulciſcendi. Quae uero de Principe quodam e *Germanis*, ab quo Rex *Sueonum* haud quic-

1) *Theatri ſui Tomo II*, *ad* A. CIↃ IↃ C XXXII, *p.* 115.

Digitized by Google

quam, ut ab homine familiari et amico, siniſtri ſuſpicaretur, percrebuerunt quondam, ea uero primus omnium * prodidit *Maiolinus Biſſaccionus, Comes.* Ad *Franciſcum Albertum* uero, Ducem, *inquit Anonymus,* ne referri poſſint, quae *Biſſaccionus,* de quodam *Germaniae* Principe, ſeu profert, ſeu nugatur, cum alia uetant, tum illud potiſſimum, quod exploratum nequaquam ſit, hunc Ducem in *Suecia* fuiſſe unquam, et, ſi uel maxime fuerit, luſibus tamen Regis uix, ac ne uix quidem, ob facultates minus lautas, ſeſe immiſcere temere potuiſſe uideatur. Reliqua, ut, de taenia uiridi, de ueſtimento, Regis ſanguine reſperſo, et, ſi qua ſunt generis huius alia, omnino ſunt eiuſmodi, ut, iis parum, parum quippe certis, fidendum eſſe, circumſpectior quiſque iure ſit exiſtimaturus.

RESP. AD OBI. I.

At, ne hanc quidem, potiſſimam eorum et grauiſſimam, rationem robur habere, ex *Pufendorfii* Epiſtola, die XXVIII Februarii, A. CIↃ IↃ CLXXXVII, ſcripta, aliiſque ueriſimilibus argumentis, clare oſtendam. Ita enim ſcribit ingenuus hic Vir.

Sed et irae, puto, reſederunt apud Ducem Lauenbur-

* *initio Libri IV Comment.*

Digitized by Google

enburgicum, *quas concepiſſe dicebatur, quod patruum ipſius,* Franciſcum Albertum, *caedis, in Regem* Guſtauum Adolphum *patratae, arguiſſe uiſus eſſem, cum tamen non meam, ſed communem* Suecicae *nationis, ſententiam expreſſerim, quam aliquot rationibus aſtruere, placuit, ne is Princeps iniuria iſtius facinoris inſimulatus fuiſſe uideatur. Quin, a me duae circumſtantiae praeteritae ſunt, non parum ad rem facientes, quarum unam expreſſit* Paulus Piaſecius, quod ab iſto Principe caedes Regis PRIMVM VVallenſteinio, nuntiata ſit. *Altera non, niſi paucis in* Suecia, *cognita erat, ſed reuera maximi momenti. Fuerat iſte* Franciſcus Albertus, *aliquot ante bellum annos, in* Suecia, *ubi, cum Rex eum aliquando, in aula matris ſuae, licentius agentem, deprehendiſſet, efferueſcente, ſubito motu, bile,* ALAPAM EI INFREGIT, QVO NOMINE ET IN DVELLVM DESCENSVRI FVISSENT, *niſi* Axelius Oxenſtirna *id impediuiſſet. Quanquam autem poſt qualiſcunque reconciliatio interueniſſet,* MANSIT TAMEN ALTA MENTE REPOSTVS SENSVS IGNOMINIAE, *quae quanti uiris militaribus, id cum primis faſtigii, habeatur, nemini ignotum eſt,*

Quibuſcum conueniunt *Maiolini Biſaccioni, Comitis, Hiſt. Commentarii.*

Quen-

Digitized by Google

1) *Quendam inclytae* Germanorum *stirpis et Euangelici cultus Principem*, cuius nomen quidem dissimulandum, prudenter censet, *Rege adhuc iuuene, in* Sueciam *accessisse, ac mox Viduam quandam Nobilem ac forma elegantem, quam ipse Rex deperierat, ita sibi deuinxisse, ut nec ipsa, cum Rege ac Principe chartis ludens, amorem dissimulare posset, immo, rem eo deuenisse,* VT REX ALAPAM INFRINGERET PRINCIPI, ATQVE HIC, HOLMIA RELICTA, REGEM AD DVELLVM PROVOCARET, *sed frustra. Hinc illum, post multos quidem annos, uelut oblitum iniuriarum, Regique reconciliatum,* OCCASIONEM VINDICTAE SOLERTER AVCVPATVM, TANDEM EAM REPERISSE APVD LVZENAM, *Regeque caeso, saepe amicis uestem, sanguine Regio conspersam, monstrasse, additis uerbis,* NVM QVID HOC SANGVINE DELETAM ALAPAE INIVRIAM CREDITIS?

Hinc *Piasecio* non nihil ea de re innotuisse uidetur, cuius haec sunt memorabilia uerba.

Ipse Rex Sueciae, *duobus lethalibus uulneribus, (incertum a quo, seu, a tali, qui ibidem simul perierat,* AVT A FAMILIARI SVO, CVI DE HOC GLORIARI NON LICVIT,) *pugnando acceptis, occubuit.*

Idem uerbis, non minus notandis, utitur seqq.

Franciscus Albertus, *qui, paulo ante, a Caesaria-*

1) *Parte II, Libro IIII.*

Digitized by Google

ſarianis partibus ad eum defecerat, INDIVIDVVS IPSIVS COMES, *in iſto proelio* ILLAESVS *manſit.*

Addit *Adelzreiterus* hoc, notatu dignum.

[1]) SOLVM *prope Guſtauum* CONSTITISSE FRANCISCVM ALBERTVM, *dum Rex ſua manu confligeret, uulnuſque in laeuo brachio graue acciperet.*

SOLVS, *ſuſtinendo Regi*, REMANSERAT FRANCISCVS ALBERTVS, ait Ioann. Baptiſta Burgus. [2])

Quod eo minus praetermittendum, quia narrat Adelzreiterus, *quae, ex conſentientibus plurium commentariis, uero propiora ſunt ipſi uiſa.*

Plerique etiam *Pontificii Scriptores* mortis eius περιστάσεις indicant, reliquiaſque eius tunc *Pontificii* circumferebant, cum tamen *Proteſtantes* nihil ex iis proferre poſſent. Nouerant, ueſtes aliaque ad ipſum, non ad alium potiorem belli Ducem, ſpectare. *Diuerſi diuerſa*, inquit, Piaſecius, *ex eius armis, ueſtibus, circumferebant*, de quibus infra locus erit dicendi. Immo, quod uel maxime obſeruandum, CALCARIA quoque ipſius agnoſcebant, nec ignorabant, *Franciſcum Albertum* SOLVM [3]) CVM SOLO fuiſſe *Guſtauo*, docentes

1) *Part. III, Libr. XVII, §. 90, pag.* 282.

2) *Mart.* Sueco Germ. *pag.* 306. 3) *pag.* 306, 307, 308.

Digitized by Google

centes porro, ICTV GLOBI [1]) PRIMO SINISTRVM GVSTAVI BRACHIVM, fuiſſe tranſuerberatum, EVNDEM [2]) ANIMI DELIQVIVM FVISSE paſſum, VERBAQVE GALLICA, [3]) QVIBVS FRANCISCVM ALBERTVM, cum ex acie ipſum educere deberet, SIT ALLOCVTVS.

Illud quoque miror, cur praeſtantiſſimi Operis *Pufendorfiani* teſtimonium, fide digniſſimum, adeo ſuſpectum reddere quidam maluerint, quod eſt huiuſmodi.

Ferunt etiam, interrogatum, quare ipſe, qui proxime circa Regem uerſatus erat, ILLAESVS[4]) *manſiſſet, reſpondiſſe,* Id debere ſe uiridi taeniae, qua corpus cinxerat, QVASI EO SIGNO A CAESARIANIS ESSET AGNOSCENDVS. *Et* IPSE POSTEA VESTEM, REGIO SANGINE ASPERSAM, OSTENTAVERAT.

Quam ſane notitiam uel ab ipſomet *Oxenſtirna*, uel ab alio quodam homine certo, *Pufendorfius* habuiſſe uidetur, cum praeſertim *Biſſaccionus*, homo quippe externus et *Italus*, diſerte idem confirmet.

Tandem OCCASIONEM REPERISSE AD LVCENAM, *Regeque caeſo, ſaepe* AMICIS VESTEM, *ſanguine Regio* CONSPERSAM, MONSTRASSE, *additis uerbis*, NVM QVID, DELETAM HOC SANGVINE ALAPAE INIVRIAM, CREDITIS?

Quod

1) *pag.* 306, 307, 308. 2) *pag.* 306, 307, 308. 3) *pag.* 308. 4) *p.* 317.

Digitized by Google

Quod praeterea perhibent, in primis, quod et nuſquam conſtet, eum in *Sueciam* fuiſſe delatum, illud uero *literae Pufendorfii* ſupra iam relatae, refutant, et, ſi fuerit, tenues quidem eius facultates obſtitiſſe uideri, quo minus Regiis ſeſe luſibus immiſceret, de hac re quidem *Pufendorfius* nihil commemorat, neque ego tamen in Obiectione hac reperio quicquam, quod ad *Franciſci Alberti* defenſionem facere poſſit, cum exempla prope quotidiana doceant, Miniſtros etiam et alios homines, *Franciſco* hoc *Alberto* minus opulentos, ab Regibus in ludendi ſocietatem aſciſci.

Eiuſmodi porro facinori patrando, addit Pufendorfius, *quis magis idoneus poterat reperiri, quam* Franciſcus Albertus, *cui Principis* Germaniae *dignatio, et Sacra, quae profitebatur, hactenus ſaltem fidem apud Regem magnanimum, et in ſuſpiciones non pronum, aſtruebant, ne facile ſicarii perſonam ſuſcepiſſe crederetur, eoque inobſeruato, ſceleri patrando occaſionem, per otium, licebat captare, cum familiarem ad Regem acceſſum nobilitas et militaris uitae profeſſio conciliaret. Principe autem loco natum eſſe, et ſacra Reformata profiteri, uti per ſe aliquem a ſcelere immunem non praeſtat, ita ſubdolus animus, eo ſchemate minus ſuſpectus, tanto fidentius ad facien-*

Digitized by Google

ciendam caedem arrepere poterat. Sane, cum ad Regem, in caſtra Norimbergica, *tanquam uoluntarius miles, accederet,* Oxenſtirna DVBITARE *ſe profitebatur*, QVANTVM IPSI FORET FIDENDVM.

OBIECT. II.

Caeſareae partis in gratiam, pergit *Iobus Ludolphus*, caedem patraſſe gratis, de qua tamen haud gloriari, nedum hanc demonſtrare, potuiſſet, pariter uero ſimile non uidetur, cum praeſertim non ſit compertum, praecipuum ei gratiae beneficiique genus ullum a *Caeſare* obtigiſſe.

RESP. AD OBI. II.

Hanc Obiectionem, etſi, quod hic reſpondeam, minime deſit, certas tamen ob cauſas, ſilentio praeterire malo.

OBIECT. III.

Praeterea metuendum ſane fuiſſet homini, ne quis ex amicorum *Guſtaui* numero Miniſtrorumue, haud ita procul diſtantium, in libera planitie, rem omnem proſpiceret, quae uix, ac ne uix quidem, poterat latere.

RESP. AD OBI. III.

Ingentem, praeter morem, caliginem fuiſſe ex denſa nebula, quae mutuum etiam conſpectum

Digitized by Google

ctum legionibus ita reddebat obſcurum, ut uix ſe, niſi e propinquo, internoſcerent, affirmat [1]) *Adelzreiterus, Theatr.* [2]) *Europ.* et *Scriptores ad unum omnes.* Verendum ergo hoc ipſi nequaquam erat. Equitatus enim ſubſequi tam celeriter non potuerat, coelumque minus ſerenum et nebuloſum pariter impediuerat, ne ſuperſtes ſeruus animaduerteret, quis globorum ictus ei inflixiſſet, alter uero ſeruus, qui, Regi proximus, certiora quaeque referre potuiſſet, iam erat extinctus, teſte *Pufendorfio* et *Theatro Europaeo.* Certe *Anonymus* ille, qui, Belgico ſermone, *Vitam Regis* exponit, nihilque non accurate annotat, et cum ſui temporis Scriptoribus concordat, coniecturam hanc affert, QVONIAM SERVVS, REGI PROXIMVS, MVLTIS ENECATVS VVLNERIBVS, SIT REPERTVS, EX EO FACILE IVDICARI POSSE, TANTI VITAE REGIS INSIDIAS FVISSE STRVCTAS.

OBI. IIII.

Quod ſi uel maxime Dux huiuſmodi quid patraſſet, conſcientiae tamen terrore ad *Sueonas* haud rediſſet, uerum ad *Caeſareas* potius copias, captiui inſtar, perfugiſſet. Iam, ſi tantopere in *Caeſarem* propendebat, *inquit Anonymus*, quare *Saxoni*, quam *Caeſari*, officium ma-

1) *Annal.* Bauar. *Parte III, Libro X VII,* §. 90, *p.* 282.
2) *Tomo II, pag.* 748.

Digitized by Google

luit praeſtare? Nonne confeſtim, ab ſcelere perpetrato, ſeu ſua ſponte, ſeu minimum per ſpeciem captiui, *Caeſareis* ſeſe debuiſſet immiſcere? Poterat ne ſpem concipere, facinore aperto, cum celari nequaquam poſſent, quae inſpectantibus utrinque copiis agerentur, perfugium ſeſe apud *Saxonem* habiturum, ex cuius utique uſu erat, *Guſtauum* ſupereſſe. Quod enim *Sueonibus*, Rege ipſorum interfecto, nuntium remiſit Dux *Franciſcus*, id quod palmarium eſt argumentum, rationes haud unae, domi notae, potuerunt ipſi eſſe, nominatim, quod *Sueonum* ductoribus, Dux ipſe, obtemperare nollet, ſiue, quod, res *Sueonum*, Rege ipſorum interempto, male euenturas, crederet, ſiue, quod apud *Sueonas*, poſt Regem occiſum, nihil non ſiniſtri ſuſpicantes, parum ſeſe fore tutum, uereretur. Quis denique, Ducem, de cuius uita moribuſque meliora omnia ſunt explorata, perduci potuiſſe, credat, ut emendatiorem DEI coetum, ad quem, ſi quid diuinare datur, relictis *Caeſareis*, ſeſe contulerat, cuius quoque doctrinam, armata manu plus ſemel propugnauerat, immo, ad mortem uſque, profiteri non deſtitit, cum eius Regis, qui hanc ipſam tantopere defendere inſtituerat, tam foeda laniena, uelut eiuraret.

RESP.

Digitized by Google

RESP. AD OBI. IIII.

Conſcientiae morſus, uita item probroſa, niſi priores mihi tres Reſponſiones diluantur, fruſtra hic urgentur. Si enim a *Caeſareis* captus fuiſſet, ut captiuus, *Caeſari*, ſine ſuſpicione, ſeruire non potuiſſet. Si fuiſſet dimiſſus, *Caeſarei*, in hac ipſa dimiſſione, ſeruire contra ſe ipſos, ſtipulaturi ſine dubio fuiſſent, fortaſſe etiam *Sueones* ob hanc ipſam dimiſſionem, ſeruire contra *Caeſareos*, recuſaturi fuiſſent in ipſa quoque dimiſſione, ſi praeſertim ſine lytro ſuo ea fuiſſet facta. Se ipſum enim, propter paupertatem, redimere non poterat, pluresque aliae res accedere potuiſſent, quae ipſum reddidiſſent ſuſpectum. Si captus fuiſſet, maiori etiam inquiſitioni ſubiectum ſe, uidebat, maxime, cur, inter illos quatuor, unus ipſe, ſine uulnere ullo, euaſiſſet captuſque fuiſſet? Rex cur tranſfixus globo, et non captus fuiſſet? Ab quo item homine, aut, ab quo exercitu, fuiſſet ipſe captus? Quod ſi praeterea, uel ſtatim, uel paulo poſt, ad *Caeſareos* ſua ſponte tranſiiſſet, ſuamque ipſis operam praeſtitiſſet, ſuſpicio, plus ſatis iam magna, fuiſſet aucta. Hinc partem eligebat tertiam, nempe *Saxonem*, id quod fieri poterat ſine ſuſpicione.

Ac, peracto flagitio, inquit Pufendorfius, con-

Digitized by Google

FESTIM A SVECIS DIGRESSVS FVIT, *quorum et partes capitali odio ſemper proſecutus, iiſque impugnandis demum immortuus eſt.* FRIDLANDO INSVPER ET PLERISQVE CAESAREIS DVCIBVS INTIMA FAMILIARITATE INNEXVS, *ſuſpicione inde orta, quod nuper, miſſione a* Caeſare *obtenta, ad* Saxoniae *Electorem ab ipſo ablegatus fuerit, ut hunc Regiis partibus abſtraheret, quodque,* STATIM POST PROELIVM AD LVZENAM, RELICTIS SVECIS, OPERAM SVAM ELECTORI ADDICERET.

OBI. V.

At enim, dicitur, Num ſperare potuit, ſe, criminis conuictum, (neque enim latere poterant, quae in utriuſque exercitus conſpectu ſunt geſta) tutum apud *Elect. Saxonem* receptum inuenturum, cuius tantopere, Regem ſuperſtitem eſſe, intererat?

RESP. AD OBI. V.

Haec illa ipſa eſt ratio, cur reuelatus non fuerit interfector, quod nebula tam eſſet denſa, ut alter ab altero dignoſci haud poſſet, unde latuit caedes, ita, ut neque *Sueones*, neque *El. Saxoniae*, caedem poſſent ulciſci, cum argumentum caedis nullum ſuppeteret ſatis certum. Nondum quoque cum *Guſtauo* ſe coniunxerat *Saxo*, nedum proelio interfuerat, immo, ſi res tam ſuiſſet aperta,

Digitized by Google

ta, caedis autor ab *Sueonibus* ſtatim, prius etiam, quam in *Saxonis* manus perueniret, contrucidatus fuiſſet. Quod ſi ne *Sueones* quidem interfectorem comprehendere poterant, aut ab ipſo repetere poenas, multo minus *Saxo*, eoque apud eum tutior erat *Franciſcus Albertus*.

OBI. VI.

Geminus ille globorum ictus, quem *Rex*, tum capite, tum corpore, fuerat expertus, *Franciſco* tribui haud poſſunt, quandoquidem is, in tumultu, primo ſtatim exploſo globo, in fugam equo ſe coniecturus fuiſſet, ſpatio ſibi, ad alterius ictum globi, non relicto. *Guſtauo* quoque, ex ictu globi primo, prolapſo, coniicere Dux facile poterat, Regem mortiferum accepiſſe uulnus, ſaltem ad imperatoris partes, in acie obeundas, nequaquam fore aptum, talique adeo miniſterio, turpitudinis aeque, ac diſcriminis, pleno, tum nequaquam fuiſſe opus.

RESP. AD OBI. VI.

Miror ſane, argumentum ab eo proferri minus graue, cur ictus globi uterque, alter poſt alterum, fieri non potuerit ab ipſo. Nam, etſi, ictu globi primo, ſiniſtrum brachium diffindebatur, colligi tamen inde haud poterat, Regi confeſtim ideo moriendum eſſe, maxime potius neceſſarium

Digitized by Google

erat, ut penitus interficeretur. Si enim e manibus eius Rex elapsus fuisset, omnino pertimescendum ei erat, ne in ipsum adhuc uiuum inciderent *Sueones*, interfectorem proderent, minimeque comiter haberent. Praeterea necesse erat, ut eo in loco res conficeretur, ubi tuto suscipi ea posset, et ubi *Caesarianis*, Regem reperire, facilius esset. Idque uel ex eo conspicuum est, quod pleraſque Regis reliquias erant adepti.

Primum ab isto Principe, Francisco Alberto, inquit Piasecius, *caedes Regis nuntiata est* VVallenstenio.

Sufficere ergo non uidetur, quod *Furstenbergius*, in *Monumentis suis*, a *Ioanne Schnebergio* caedem factam esse, tradit. Is enim caedem si patrasset, Regiumque *cyanum* collo detraxisset, haud dubie rem ipse primus *VVallenstenio* indicaturus, *cyanoque* ostentato, gloriaturus ea re, fuisset.

Atque haec omnia mihi, expendenti, uero quam similima uidentur. *Sane, quin Caesarei crediderint*, inquit Pufendorfius, *Sueonum res sola* Gustaui *uirtute stare, eoque sublato, istas quoque ultro ruituras, dubitare non licet, nec minus ipsos uias omnes circumspexisse hunc e medio tollendi.*

Digitized by Google

di. Vnde iam antea, *Regem* ueneno extinguere, moliti fuerant, exule quodam ad eam rem conducto, qui librum aliquem, fortioris ueneni genere infectum, ei offerret, quo aperto, uapore huius et odore confestim enecaretur.

Triplici, inquit Zeuecotius, *in obseruationibus ad Florum, uulnere, etiam tunc tamen Victor, mortem excepisti, Rex maxime, et uindicatae a te Libertatis ac Religionis lacrimis es elatus, quibus ego et meas*, inquit porro, *adiunxi.*

Austriacus, qui te, Caesar, Gustaue, *timebat,*
Creditur is Parcam conciliasse sibi.
Illa tamen, metuens tam magni Militis arma,
Est aggressa tuum, non sine fraude, caput.
Nam, ne te posses defendere, brachia laesit,
Cumque uereretur pectora, terga petit.
Non nocuit tamen illa tuae, Rex Maxime, famae,
Victor eras uiuus, nunc quoque uictor obis.

Ex his commemoratis liquido patet, neque *Pappenhemium*, neque *Piccolomineum*, caedem perpetrasse *Gustaui Adolphi*, cum satis constet, *Pappenhemium Hala Saxonum* ad pugnam ante non uenisse, quam Rex in proelio ceciderat, *Piccolominei* uero mentionem haud ullam, ab ullo eius temporis *Scriptore*, fuisse factam.

Albente coelo, *cadauer*, diu quaesitum, nu-

Digitized by Google

dum eſt repertum, oppletum ſanguine, et uix agnoſcendum, conculcatum quippe ab equis, nec agnitum, cum illud lixae ſpoliaſſent. Duo eius iuxta *ipſum* iacebant corporis ſtabularii, mortuus *alter*, *alter* adhuc uiuus, qui referebat, quo modo contigiſſet hic caſus, idemque, nomine *Iacobus Erichſonius*, qui etiam ipſe, una cum *Rege*, ceciderat, poſt proelium ſuperfuit, *mortuique corporis* indicium fecit, poſtea, narrante *Vulpio*[1]) e uulneribus ſuis conualuit in pago *Meichenae*, licet *Godofredus Schulzius* id refellat, confirmans, *alterum*[2]) *e ſtabulariis Regis primo fuiſſe repertum, adhuc ſpirantem atque hoc omne referentem, tertioque die mortuum.*

At diuerſi diuerſa, inquit Piaſecius, *ex eius armis et ueſtibus circumferebant Caeſariani.*

Petr. Bapt. Burgus vero dicit,

[3]) Piccolomineus THORACEM *habet ex alcis corio, qui is fertur, quem* Rex *ea die geſtauerat.*

Conſentit in ea re *Anonymus*, qui *Belgice* Vitam ſcripſit *Guſtaui Adolphi.*

Pergit *Burgus.*

Neque de Regis *ueſtibus aliud extat, et* CYANOS, QVEM

1) *Chron.* Martisburg.. *c. XVIII, p.* 191.

2) *Chron. eius p.* 403,404. *in fin. cum quo congruit* Adelzreiterus, *Part. III Lib. XVII*, § 90, *p.* 282.

3) *loc. cit, pag.* 268.

Digitized by Google

QVEM AVREA CATENVLA *appensam collo gestabat, singularis magnitudinis gemma, atque antiquum* Sueciae *Regum munus, nusquam inuentus est. Quamuis* Rex, *omnino spoliatus, in campo deinceps repertus sit.*

At *Furstembergius*, in opere iam laudato, indicia nobis accuratoria praebet, ubi manserit CYANVS ille.

Placuit, inquit, *hoc recens* Paderbornensium *militum facinus, dum uetera monumenta percensemus, hic subnectere, et uerbo ad posteritatis memoriam consignare, ne qui alii, ut post uictoriam ignaui etiam gloriantur, hanc sibi laudem praecerpant. Nobis cum certa fides ex iis, qui in proelio interfuere, tum* TORQVES AVREVS, *Regi inter opima spolia a* Schnebergio *detractus relatusque, testis est. Neque aliud nobis propositum, quam, partam* Paderbornensium *nomini gloriam candidae ueritati asserere.*

Vnum ex eius CALCARIBVS in manus peruenit tubicinis cuiusdam *Holkiani* [1]), qui CALCAR illud postea non nunquam ostentare consueuit. Cum quo *Burgus*, in *Marte Sueco Germanico*, conuenit, dicens,

Holcae tubicen eius CALCAR *ostendit.*

Vbi hoc postea manserit, patefacit *Olaus VVormius* sequentibus uerbis.

1) *Vid.* Anon. *Vita* Gust. Adolphi, *Belgice scripta.*

Digitized by Google

1) CALCAR, *inuictissimi* Sueonum *Regis*, Gustaui Adolphi, *quamuis nihil peculiare a modernis obtinet, quia tanti fuit* Herois, *in musei mei ornamentum, asseruo. Primo stella, seu rota, eius* CALCARIS, *quod gestabat, cum prope* Lipsiam, *A. CIↃ IↃ C XXXII, contra* Caesareanos *fortiter pugnando occubuit, auro inclusa et eleganter exornata, numerum quoque anni et diem mensis, quo hoc factum, exhibente, me donauit illustrissimus Comes* Ranzouius, *ut, in rei gestae memoriam, inter rariora mea, asseruarem. Paulo post reliquam* CALCARIS *partem obtinui a nobilissima uidua Comitis* Holkii, *qui in conflictu fuit, cum occumberet.*

Holkius igitur CALCAR alterum ab illo tubicine acceperit, oportet.

Natus Rex erat *Holmiae*, Anno superioris seculi nonagesimo quarto, die IX Decembris, Regni gubernaculo admotus Anno millesimo sexcentesimo undecimo, nondum expleto aetatis anno septimo decimo, summas inter difficultates quas feliciter superauit, ac, postquam *Danum*, necessaria pro statu rerum pace, erat amolitus, *Russos Polonosque* ad glorioſas sibi conditiones adegit. Demum, ad temperandam *Austriacam* potentiam conuersus, tantillo temporis spatio, *Ger-*

1) *Museo pag.* 357.

Digitized by Google

Germaniae maximam partem a *Baltico* Mari ad *Alpes* usque, uictoriis suis peragrauit, nec, si Vita superfuisset, istis finibus arma ipsius uidebantur includenda. Quid intenderit, pluribus lectorem *Pufendorfius* edocebit. Nec *Gallici* [1] Scriptores abnuunt, nisi fata *Gustauum Adolphum*, Regem, ad *Luzenam* abripuissent, *Gallos* aliosque ipsorum Socios, in eundem arma fuisse conuersuros. Sane *Galliae* Rex, cum de *Gustaui* uictoria ad *Licum* audiuisset, legato *Venetorum*, *Ioanni Soranzio*, dicebat, *Iam tempus esse, ut ipse, et Respublica, iunctis consiliis ac uiribus, cogitent, de sistendo celeri nimium cursu uictoriarum istius* Gothi.

Ingeniosus Vates, *Didacus Saauedra* in haec memorabilia erumpit uerba. *Illud* [2] Sueciae *fulmen, e* Septentrionis *exhalationibus ortum, intra dies paucos de Imperio triumphauit, totumque paene orbem terrore compleuit, et, glande unica plumbea traiectum, mox disparuit.*

Sed multorum sane millium instar erat *Gustauus Adolphus*. Rex enim, Ducum Ductor ipse, *incomparabilis Imperator*, in medio uictoriarum cursu intercipiebatur. Ille, cui *Protestantes* fortunas, coniuges, libertatem, sine dubio debent, in ipso proelio pugnans fortissime, occubuit,

DEO,

1) *Vittor. Siri Memoire recondite, Volum. III, pag.* 547.
2) *Symbol. Christ. Polit. XXCVIII.*

Digitized by Google

DEO, cui militauerat hactenus, ſanctiſſimam animam, *Proteſtantibus*, praeclaram uictoriam, reddens, *Princeps, omni laude ſuperior*. Quo, ſiue pacis, ſiue belli, ſpectemus artes, a multis iam ſeculis, maiorem orbis non uidit, quemque diutius uiuere, optandum utique fuiſſet.

De Rege Suconum, inquit GROTIVS *noſter, ſoleo uſurpare* Lucani[1] *iſta*,

Cum tot ab hac anima populorum uita ſaluſque
Pendeat, et tantus caput hoc ſibi fecerit orbis,
Saeuitia eſt, uoluiſſe mori.

Vix dici poteſt, quantum, eius morte, uulnus pars Euangelica *acceperit*.

Corpus exanime exenteratum eſt et unguentis conditum, in unctione *corporis*, COR *Regis* ponderatum, cuius pondus VNIVS LIBRAE CVM VNCIIS DECEM FVIT, *Nicopiae* deductum, *Holmiae*, in templo Equeſtris Ordinis Sacello, cuius ipſe olim fundamenta poſuerat, conditum, patria ſinu ſuo recepit. Impietatis inexcuſabilis eſſet, *Vindicis* huius communis mortem non deplorare, nec ullum doloris ac luctus publice documentum dare. Sepulcro igitur, in quo *glorioſiſſimus et deſideratiſſimus hic Liberator* eſt ſepultus, *Inſcriptionem*, cultus ac uenerationis erga ipſum meae qualemcunque teſtem conabor inſcul-

1) *Ep. CXXXV, ad* Cordeſium A. CIↃIↃCXXXIII.

Digitized by Google

insculpere, uti *sanctis cineribus*, qui nondum etiam fortasse *cineres* sunt, *eius Heroïs*, qui, ante annos nonaginta, uniuersae terror fuit *Europae*, uel sic quodammodo* parentem.

GLORIA ALTISSIMO SVORVM REFVGIO
SEPVLTVRA POTENTISSIMI PRINCIPIS
GVSTAVI MAGNI D. G. REGNORVM SVECIAE
REGIS INCOMPARABILIS
QVI
REGNO VNDIQVE HOSTIBVS OBSESSO
AD IMPERIVM REBVS IN ANGVSTIS
INTRAVIT
PIETATEM AMAVIT
PACATIS DEINDE DANIS
MOSCOQVE ET POLONO MITIORIBVS FACTIS
HOSTES PROSTRAVIT
INSIGNIA REGIA REGNVMQVE IPSVM
DILATAVIT
REGNVM AMPLIFICAVIT SVVM
ATQVE
PRVDENTIA GVBERNAVIT
SVEONAS EXALTAVIT
TANDEM
RETRVSO CAESARE
GERMANISQVE A PAPAE
DEFORMATIONE LIBERATIS
OPPRESSOS LIBERAVIT
IN PVGNA LVZENSI
VIII IDVS NOVEMBREIS
A. C. CIↃIↃCXXXII
OCCVMBENS VICTOR
TRIVMPHAVIT.

* *Vid.* Ogerii *Itinerarium Dano Sueco Polonicum, p. 158.*

Certe

Digitized by Google

Certe haud ullum unquam Regum honore tanto, tanto amore doloreque, ciues ulli sunt prosecuti, quanto *Regem* hunc *potentissimum fortissimumque, Gustauum Adolphum.* Neque uero ullum uel laboris, uel periculi, genus, tanti faciendum est, ut pretium his glorioſis expeditionibus statuat, quibus pro theatro mundus fuit uniuersus. Tota enim *Europa*, si dicendum, quod res est, maxime occupata erat, uel de sola *Gustaui* imagine sibi comparanda. Apud * *Protestantes*, qui, *Gustaui* ope, sacra libertatemque suam, aduersus *Ferdinandi* dominatum, sese firmaturos, sperauerant, immensus erat luctus, ex inuisa, apud *Lucenam*, uictoria, quae, irreparabili damno *Regis* parta fuerat, cum, quanticunque exercitus iactura, facili negotio, sarciri potuisse uideretur. Erepto *Rege*, qui, pari autoritate, prouidentia, constantia ac felicitate, summae rerum praeesset, non apparebat. Et erat iste casus hoc acerbior, quod *Gustauus* tunc quam maxime agitaret, *Protestantes* communi uinculo innectere, ac rem militarem ita disponere, ne populi nimio oneri succumberent. Quod negotium magnis utique difficultatibus uidebatur inuoluendum. *Sueones*, *Protestantes*, *Germani*, *Angli*, *Dani*, *Russi*, *Heluetii*, *Bataui*, uehementer omnes

* *Vid.* Pufendorf. *ceterique scriptores* Suecici.

Digitized by Google

omnes repentinam hanc improuiſamque deplorabant mortem, immo, complures ex his, ſine cibo atque potu, per dies multos, permanſerunt. *El. Saxo* nomine ipſum *Defenſoris Germanicae libertatis* afficiebat, mentionem eius, ſine lacrymis et moerore ſingulari, nunquam faciens, licet poſtremo, poſt *Regis* mortem, quam tamen in *Saxonis* et *Saxoniae* gratiam ſibi accelerauerat, *Guſtaui* memoriam non ſancte ſatis conſeruare quibuſdam ſit uiſus. *El. Palatinus*, nouus *Bohemiae* Rex, *Moguntiae* per id tempus aegrotans, XII die, poſt mortem huius *inclyti Regis*, ex moerore luctuque, uitam finiuit. At, apud *Sueonas* hoc acerbior luctus mentes animoſque omnium, quibus ullus publicarum ſenſus erat rerum, occupabat, quo propius *tanti Regis* iactura ipſos tangebat, quod repente regnum e ſummo gloriae faſtigio ad metum grauiſſimarum calamitatum uideretur deuolutum. Quantumuis enim firmata erat, per Ordines, *Chriſtinae* ſucceſſio, tamen eorum, penes quos ipſa Minorennis rerum adminiſtratio futura erat, autoritas nondum ſatis coalita, exteris iuxta, ac ciuibus, continendis uix ſuffectura credebatur. Magna erat inſuper tenuitas ærarii, et apud pleroſque libido publicis ſe oneribus ſubtrahendi, aegris praecipue ruſticanorum animis, ob frequentes delectus et diuturni onera belli, quae

Digitized by Google

quae maximam partem in iſtos ſolent incumbere. Et apud *Caeſareos* quidem, licet acie uictos, ac ſpe propoſitoque ſuo *Saxonem* opprimendi, bellique ſedem in *Proteſtantium* terras tranſferendi, deiectos, *Pappenhemio* inſuper ac tot bellatoribus amiſſis, gaudium praeualebat, Regis morte conceptum, quo ſublato, *Suecorum* arma ultro collapſura, ac Socii, capite deſtituti, et inter ſe diuiſi, facilem de ſe praebituri uictoriam ſperabantur. Ideo, *Vindobonae*, *Monachii*, *Bruxellis*, publica laetitiae ſigna ſunt edita, et *Madriti* XII dies ludis conſumpti ſcenicis, quorum argumentum *Guſtaui* Mors, qui tamen ludi non minus gloriae *Regis*, quam impotentiae animi apud hoſtes, indicium fuerunt. *Fridlandum*, etſi, fugam arripere *Pragamque* ſe conferre coactus fuerat, quaſi bene re geſta, fauſtis laetiſque acclamationibus, tantum non omnes in illa urbe excipiebant.

In primis inclaruit hic *Rex* maximo in ſubiectos* amore, quibus haud facile iniuriam fieri patiebatur, quo conſilio in itineribus ſeſe crebro ſubducebat a comitibus ſuis auliciſque, et cum agreſtibus pueris, quos fallebat ſpecie priuati, uel, cuiuſdam militaris uiri, ueſtitu, haud ſupra uulgarem modum, ornatus, familiaria ſolebat inſtituere

* *ut cum ſcriptoribus* Suecicis *loquar.*

Digitized by Google

ſtituere colloquia de dominis eorum, quorum eſſent tributarii, inquirens, quemadmodum ab ipſis haberentur, quantum iſti exigerent, et quae ſunt alia generis huius. Quin immo, iſtos ex agro pueros ipſe non raro trahae imponebat ſuae, eoſque, de cunctis rebus bene exploratos, ac nummis aliquibus donatos, ab ſe dimittebat, ſeueriſſime poſt animaduertens in eos, quos iniurios in agreſtes fuiſſe, teſtimoniis certis euidentibuſque comperiſſet.

In militari doctrina quam excelluerit, quam ſeuere et alacriter in expeditionibus ſe geſſerit, partim iam narrauimus, partim teſtantur alia ipſius geſta, quae, permittente DEO, ad eum peruenerant gradum, ut, ſi proelio huic ſuperuixiſſet, parem in terrarum orbe fortaſſe habuiſſet neminem, uix triceſimum octauum ingreſſus annum, quo immanem trucemque mortem, XIII quippe uulneribus, praeter ea, quae mortem ei maturarunt, laeſus, oppetiuit. Periculis prompto ſeſe animo obiiciebat, ſaepiuſque, nulla etiam urgente neceſſitate, in ſecturas aerarias ſe dimittebat, quarum non nullae orgyias ſeptuaginta profundae habebantur, et non nunquam, lapidibus abruptis, foſſores metallicos obruebant. Maxime omnium in bello tam prodigus erat uitae

Digitized by Google

ſuae, ut militis potius gregarii officium, quam tanti munus Imperatoris, ſuſcepiſſe uideretur. Idem ille, ſuis cum legionibus, in *Pruſſia*, apud urbem *Mariaeburgum*, caſtra ſua cum poneret, quaſdam legiones amiſit, in his *Palatini* Comitis *Rhenani* legionem, quae, per *Claudium Leſtofſum*, *L. B. de Sierot*, *Gallum*, qui non nullis agminibus praeerat *Caeſareis*, ad internecionem uſque, delebatur. Ibi *Rex* ipſe fortiſſime in proelio, more militis ſtipendiarii, pugnabat, fortunamque adeo periclitabatur, ut bis caperetur ab hoſtibus, nunquam tamen ab hoſtibus agnoſceretur. Sed caſtra atque agmen, fortitudine ſua notiſſima, uix perruperat, cum obſeruaret, ſub exitu proelii, die XXIV Iunii, A. CIↃ IↃ CXXIX, Baronem *de Sierot*, occidentem ſpoliantemque uexilliferum quendam equitum, cui *Rex fortiſſimus* appropinquans, cum liberari facilime potuiſſet e periculo, ſi uel minimum quaeſiuiſſet anfractum, *Sieroti* humerum dextrum globo ſclopi tranſuerberabat, ipſum quoque, niſi fuiſſet loricatus, ferro tranſfixurus. *Sierotus* e contrario, nihilo minus Regis tanti caput glande tranſuerberare nitebatur, ſed globi exploſio nihil, niſi crines, amburebat, efficiebatque, ut pileus *Regis* e capite delaberetur, qui pileus, a ſeruo *L. B. de Sierot* ſtatim ſublatus, aſportabatur ad *Arnhemium*, tandem-

Digitized by Google

demque *VVallenſtenio* tradebatur. Certe, tum demum fortiſſimus ille *Rex* ingenti fuiſſet in periculo, niſi *VVrangelius* mature, cum tribus legionibus, appropinquaſſet. Guſtauus *ipſe*, inquit Piaſecius, *maximum periculum tunc ſubiit, apprehenſus primum, balteo, quo tenebatur, ſuper caput abiecto, et petaſo a capite ſibi detracto, aufugit.*

Bradeus [1]) ſcribit, *Baronem* Sierotum *fuiſſe, qui pileum et balteum detraxiſſet.*

Cum, captus eodem proelio, ad caedem a *Polonis* traheretur, a *Germano* quodam, qui eum agnouerat, dicente, unum eſſe ex uilioribus *Ringrauii* famulis, liberatus, et equo uelociori impoſitus, *Mariaeburgum*, nocte intempeſta, euaſit.

Ingolſtadio, paene cum capitis pernicie, tentato, cum forte globus, tormento emiſſus, ipſum, cui inſidebat, equum proſtrauiſſet, equum poſtea exenteratum alia materie intruſa, tam artificioſe in perpetuam rei memoriam ſtatuminarunt, ut uiuentis ſpeciem referre uideretur.

Ille, cum hac de cauſa obiurgaretur, quod, immemor faſtigii ſui, et, quid rerum ab ipſo penderet, caput ſuum nulli non periculo obiicere, et non rarius militem, quam ducem, agere, uoluerit, reſpondit, *Cuncta, quae non ipſe inuiſeret,*

1) *In Vita* Guſtaui Adolphi, *pag. 24.*

Digitized by Google

ſeret, negligi, aut non, qua oporteret, ſolicitudine et celeritate curari. Milites periculum omne contemnere, id quod una cum Rege commune haberent. Si Praefecti militum non obſeruarent ea, quae ſuarum eſſent partium, eos omnino nec uictoriam, nec gloriam, nec multum exiſtimationis, comparare ſibi poſſe, quae tamen omnia ipſis curae uel maximae eſſe deberent. Illos, dicebat, *qui mortem euitare cogitarent, plerunque citius illam inuenire, quam, qui eam conſectarentur.* Iulium Caeſarem, aiebat, *nunquam fuiſſe uulneratum, licet ſemper in acie prima pugnaſſet.* Alexandrum M., *ſanguine ſuo heroico, ad* Indorum *regnum ſibi uiam aperuiſſe, peruadandoque flumen* Granicum, *ueſtes ſuas, ad caput uſque, ſuccinxiſſe. In obſidione* Gazae, *humerum illius tranſfixum, crus item eius apertum a* Maracandis *uulneratum, fuiſſe. In* Hyrcania, *lapide quodam in eius caput prolapſo, adeo terrae fuiſſe alliſum, ut uiſum paene amiſiſſet. Aduerſum* Aſſacanos, *ictu directo, capulum eius fractum, in proelio ad* Iſſum, *coxam illius gladio fuiſſe uulneratam. Contra* Oxydracos, *ubi ſe de moenibus deiecerit, ſolum pugnauiſſe, capitique eius ſecurim impactam, atque humerum dextrum pilo, nec minus quoque piſtillo collum eius, laeſum fuiſſe, ita, ut, ſi quis, horum more Heroum, celebris eſſe cupiat,*

Digitized by Google

cupiat, parem quoque, in adeundis periculis, fortitudinem et conſtantiam debeat praeſtare.

Verum, id commune *Rex* habebat cum omnibus, qui bello ad ſumma ſunt eluctati, quibus non licet ea circumſpectione corpus ſuum cuſtodire, ſicut illis, qui poſſeſſam diu potentiam per Miniſtros propugnant, magnitudine ſua uelut in tutum ſubducta, cum hi, praeſentia ſua, ſuoque exemplo, in ceteris omnibus uigorem ſpirare malint.

Digitized by Google

Digitized by Google


VINDICIARVM
GROTIANARVM

PARS POSTERIOR



Digitized by Google

Digitized by Google



LECTOR BENEVOLE,

EX Magni illius *Gustaui Adolphi*, *Gothorum* Regis, iactura, cuius ego, VINDICIARVM GROTIANARVM Parte priore, feci mentionem, perspici haud obscure poterit, quantopere fuisset opus *Gustauo* quodam rediuiuo, qui res omnes diutius ordinasset, *Protestantium* Religionem longius defendisset, oppressam *Germanorum* Principum libertatem, eorumque una Priuilegia, uindicare pertendisset, Principes ipsos arctius consociasset, qui prudenti denique uigilantia sua, et perspecta omnibus uirtute, non sine maximo

)( )(*Ger-*

Digitized by Google

Germaniae leuamento, inſequens tam diuturnum bellum mature deleuiſſet.

Ab exceſſu *Guſtaui Adolphi*, res *Germanorum* pariter, ac *Sueonum*, eo erant ſtatu, ut tantum non omnia inciperent deeſſe. Dux erat ereptus et Autor, operiſque, tam pulchre coepti, continuatio interrumpebatur, aeraria bellica erant exhauſta, difficultates uero hominum et molitiones minime deerant, aduerſumque iſtud *Nordlingenſe* proelium armis *Sueonum* uictricibus tanti inſtar obicis erat, uti res eorum ad extrema iam ſpectare uiderentur.

Eodem quidem tempore, duo, uelut Alumni *Guſtauiani*, emergebant, longe manu fortiſſimus alter, alter conſilii plenus, *Bernhardus*, inquam, Dux *Vinarienſis*, et *Axelius Oxenſtirna*, Regni *Sueonum* Cancellarius, qui rem omnem, ad *Guſtaui M.* quaſi genium, uel reſtituere, uel conſtituere, poſſe uidebantur, ſed regium utriſque genus deerat, et illa Regis *Guſtaui M.*, tum armis uictricibus, tum

Digitized by Google

tum longo rerum usu, collecta partaque apud omnes Maiestas, immo, crescens utriusque dignitas maximos quosque *Germanorum* Socios ab societate *Sueonum* seiungebat.

Ad futuros igitur alios casus aduersos uel euitandos, uel sustinendos, de aliorum ope Principum iam erat dispiciendum. Haec ipsa uero e *Gallia*, hanc ad rem uel maxime idonea, in primis affulgere uidebatur, propterea, quod *Gallis*, quemadmodum, ab *Sueonum*, ad *Nordlingam*, clade, *Caesareorum* successus armorum sudes in ipsorum oculis erant, ita *Suecicorum* supplere locum Sociorum, foedus cum iis renouando, non parum esset procliue.

Neque tamen hoc persuasum sit cuiquam, *Protestantium* in gratiam *Gallos* arma contra *Caesareos* arripuisse, uerum priuati sui potius compendii causa, quippe, cum *Protestantium*, in hoc bello, emolumentum adeo non intuerentur *Galli*, ut, ex callidis eorum machinis, infirmis tergiuersatio-

Digitized by Google

sationibus, futilibus, frigidis, iisque ad nauseam saepe repetitis, excusationibus, haud difficulter animaduerti posset. *Gallis* neque *Caesaris*, neque *Protestantium*, incrementa curae cordique esse, illud quoque una lucidissime appareret, quantae molis negotia, morte *Gustaui Magni*, *Sueonum* Legatum, HVGONEM GROTIVM, in Aula *Gallorum*, manerent. Qua de re, si quis est, qui dubitat, is uero GROTII nostri, in hisce VINDICIIS perstricta breuiter, Acta Legationis, et molestae, et ancipitis, perlustret, animaduersurus, quanta cum solertia uigilantiaque, per ipsos decem annos, eo sit munere perfunctus. Res agenda GROTIO erat in aula eiusmodi, quae, Pontificis addicta sacris, uictricia *Sueonum* arma, Rege ipsorum, *Gustauo Adolpho*, nondum extincto, limis inuidisque oculis intuebatur, immo, quae, *Sueonum* arma *Caesari* quidem contraria, non tamen *Caesare* superiora, esse, cupiebat. Res erat EIDEM cum Pontificio Purpurato-

ratorum Pari, *Armando*, inquam, *Richelio*, et *Iulio Mazarino*, Miniſtris Aulae *Gallicae* principibus, uerum neque *Proteſtantium*, neque Religionis ipſorum, fautoribus et amicis. *Richeliũs* certe, in ampliſicando *Galliae* incremento, artibus uti ſolebat eiuſmodi, quibus factum eſt, uti Maximo Heroi, *Bernhardo*, Duci *Vinarienſium*, mors tandem oppetenda, *Oxenſtirnae* curarum plus ſatis exhauriendum, GROTIO ipſi, *Sueonum* quippe Legato, nihil non laboris taediique fuerit deuorandum, utque de HVGONE GROTIO noſtro dici uere poſſit, uitam eius priuatam, aerumnis plenam, cum plena miſeriarum aulica uita, tanquam uinculis quibuſdam, fuiſſe conſtrictam. Atque hoc tamen ipſo Legationis ſiue munere, ſiue onere, ipſius teſtimonio *Chriſtinae*, *Sueonum* Reginae, tanta cum laude ſolertiae, defunctus eſt GROTIVS, ut *Lector* haud iniquus, uelit, nolit, fateatur, oportet, Legatum, hoc Iuris Naturae et Gentium Vindice maiorem,

Digitized by Google

poſt hominum memoriam, uix, ac ne uix quidem, extitiſſe.

Optandum igitur utique eſſet, GROTIANAE Legationis Acta, momenti quippe non uulgaris, colligi tandem ab aliquo, et, cuiuſdam inſtar ſpeculi, in medio proponi, in quod intuentes, et merita ueterani huius Legati contemplentur Legati iuniores, et uirtutes imitari una diſcant, et hiſce VINDICIIS deinceps augendis nouam identidem praebeant occaſionem. Ipſis quidem Ciuibus GROTIANIS cum haec Acta minus nota eſſe uideantur, quam *Gallis*, ab *Gallo* quodam, eoque ueritatis pariter, ac Nominis GROTIANI, ingenuo Vindice, optime iſta, per omnem *Galliam* uel diſperſa, uel recondita, tanquam e fuga et latebris, retrahi in lucem poſſent, cum praeſertim ſincerus ille HVGONIS amor, quo Gentem hanc olim proſecutus eſt, ab eadem Gente tale ſibi monumentum, iure quodam ſuo, depoſcere ſit uiſus. Quae enim preſſe a me ſunt et *curſim* his

his VINDICIIS aſperſa, ea uero prorſus eius eſſe generis, *Lector* aequus intelliget, ut intra VINDICIARVM quaſi limites fuerint coarctanda.

Illud quoque optauerim, ordine ſemper iuſto et accuratiore nexu potuiſſe a me exponi res eas, quae ad has VINDICIAS ſpectant, ſed, plurium inopiam documentorum his etiam optatis meis obſtitiſſe, *Lector Beneuolus* credat.

Ante et poſt Narrationem finis GROTIANAE Vitae, in primis famam Viri integerrimi, ab infamia, qua, et ante obitum, et in mortis agone, et poſt ipſos cineres, a male feriatis quibuſdam, eſt aſperſus, uindicandam eſſe, duxi, innocentiam eius demonſtrando, et manifeſtas, quibus erat undique petitus, obtrectatorum calumnias, pro uiribus diluendo, uocatis plerunque in ſubſidium ipſius GROTII, et optimorum quorumque teſtium, uerbis, in cauſa potiſſimum Religionis, cui religioſiſſimus ille Vir fuerit addictus.

his

Atque, ut magnitudinem, praestantiam, eruditionem, celebritatem, rarissimi huius *Batauorum* PHOENICIS, modis haud unis, cognoscat LECTOR GROTIANVS et interius pensitare discat, in harum extremo VINDICIARVM, *Scriptorum* H. GROTII, tum *editorum*, tum *ineditorum*, quandam ueluti BIBLIOTHECAM, eamque, maximam partem, ex optimis quibusque *Catalogis*, quos uocant, erutam, adornare coepi, et uel ideo subiungere sum ausus, quo facilius GROTIANI Monumenta ingenii et doctrinae, etiam hac mea qualicunque Enumeratione, uel per me, uel per alios, deinceps augenda, ab indignissima obliuione, ipsoque tandem interitu, quodammodo uindicentur.

TV VERO VALE, LECTOR BENEVOLE, ET, HOC QVICQVID EST OPERAE STVDIIQVE MEI, BONI CONSVLE, DIVISQVE DIVI GROTII MANIBVS, VNA MECVM, BENE COMPRECARE.

Post

Digitized by Google



POst *Regis* mortem, eamque tam inopinatam, Dux *Bernhardus*, cui, tormenti maioris globo, pileus capite deiectus erat, non quiescebat, sed, una cum exercitu, hostem fortiter inuadebat, uictoriam adeptus. Quo eodem in proelio frater illius, Dux *Ernestus*, non minus se fortiter gerebat, in primisque agmini militum inferiori, quod Tribunus militaris, *Pappenhemius*, inuadebat, tale praestabat auxilium, ut ipse *VVallenstenius* explosо tangeretur globo, *Pappenhemii* quoque femur globo minore ita pertunderetur, ut, altero die, *Lipsiae*, non sine cruciatu summo, animam efflaret, uir consilio iuxta, ac manu, pollens, cuius in corpore cicatrices amplius centum numerabantur.

Dux *Bernhardus*, ad quem summa imperii militaris, morte *Regis*, redierat, ut exercitum, uulneribus laboribusque prope confectum, recrearet, *Leucopetram* reuertit, cum *Saxonicis Luneburgicis*

burgiciſque copiis, quae iam erant in itinere, uictoriam proſecuturus. *Oxenſtirna, Norimberga* relicta, *Erfurtum*, quo tabularium auehebat, tranſiens, nuntium ad Senatum Regni *Sueciae* mittit, qui, quo in ſtatu res ſint *Germaniae*, narret, nouiſque una mandatis ipſe inſtruatur, quae quidem, non ita multo poſt, luculentiſſima ſunt allata, ut ipſe per omnem *Germaniam*, pariterque ad finitimos Reges ac Reſpublicas, ad exercitus item *Sueonum*, Legatus, non ſine plena liberrimaque poteſtate, ordinaretur, regendis belli paciſque conſiliis, ab quo tantum non omnes miniſtri Regii, tum pacis, tum belli, imperia expectarent, ac penes quem eſſet, pacem, inducias, foedera, per ſe ſuoſque, concludere, atque nihil non ſuomet agere arbitrio, quodcunque uel *Gothorum* Regno, uel communi *Proteſtantium* rei, expedire putaret. Certe* huius *Oxenſtirnae* prudentia ſingularis, non domi ſolum, ſed etiam foris, non modo apud amicos, uerum apud hoſtes quoque, in admiratione ſumma fuit. Erat in ipſo uis quaedam animi incomparabilis, quam, cultu diſciplinae uariae, alebat ita et confirmabat, ut omnes ac ſingulas res celerrime cognoſcere, ſumma fide exponere, adminiſtrare autem prudentiſſime dexter-

* *ut ipſorum* Suecicorum *Scriptorum uerbis utar.*

Digitized by Google

dexterrimeque posset. Nunquam repentinum temporis momentum ipsum praeuertit, nulla fefellit occulta dilatio. Iam cuncta fere prius, quam acciderent, habebat cognita, et ad illa se comparabat. In rebus arcanis atque sanctioribus indagandis pariter, ac dissimulandis, quasi nesciret, quae perspexerat dudum, longe plurimum ualebat. Nemo ipsi credita ignorabat solertius, neque, recondita se scire, uerius ostentabat. Nemo temporis occasione, audendo iuxta, et abstinendo, felicius utebatur. Quare ab *Vrbano* ipso, P. R., inter tres ciuilium, aetate sua, rerum peritissimos numerari consueuit. Ac profecto habuit immortalis gloriae *Gustauus Adolphus* hunc, a primis imperii sui annis, e cuius sinu perpetuo depromeret consilia, difficilimis in negotiis, fuitque plane ipsi *Axelius*, quod olim Augusto *Maecenas*. Neque omittebat ipse hortari *Regem* et monere, quoties e republica esse uidebatur. Quodam tempore, cum in *Prussia Gustauus* paulo animosius, pro ignea illa ui animi sui, quam cautius, negotium, periculi pleniſſimum, esset aggressurus, atque *Oxenstirna* dehortaretur eum ab incepto, euentumque monstraret dubium, tum ad ipsum Rex, *Tu uero nimis frigidus es semper cunctis in negotiis, currentique moram iniicis.* Ad quod sapienter

Axelius, *At ego, nisi hoc frigore calorem tuum restinguerem subinde ac temperarem, totus iam olim flagrasses.* Quo prudenter monuit, uirtutem, quanto acrior pertinaciorque sit, nisi consilio regatur, detrimenti plus afferre, quam emolumenti, neque prudentiae magis aduersum esse quicquam, ac nimiam festinationem. Ipse profecto, nullum tempus, arbitrabatur, amitti, quod accuratae negotiorum incipiendorum meditationi tribueretur, quanquam, si res ita poscceret, capere consilium quoque ex tempore ualeret. Quod saepissime in eo animaduersum est, etiam ab ceteris Regni *Senatoribus*, quorum aliquando ex praecipuis non nemo testabatur, inuenisse illum saepius e uestigio, citraque meditationem, etiam in negotiis difficilimis, uiam optimam utilissimamque, quam, diebus plusculis, ceteros uniuersos. Immo, eximius hic Regni *Minister* suam in patriam fidem, nullo non tempore, etiam, cum ipse premeretur, constanter spectandam praebuit atque testatus est. Ad memoriam posteritatis transmitti meretur dictum eius, plenum sane multiplicis erga patriam amoris. Vocato enim ad imperium *Carolo Gustauo*, cum *Axelii* res aliquantum inciperent succedere, ad pristinumque redire statum, accedens aliquis dignationis magnae Vir ad eum, qui

Digitized by Google

qui familiarius cum ipso uiuere consueuerat, pristinos honores, cum autoritate summa et existimatione restitutos, ei gratulatur. Cui *Axelius* agere primum gratias, mox, reuocatis temporum superiorum uicibus, *Habui equidem, o, bone Vir*, ait, *causas, neque paucas, neque leues, ob quas, exemplo aliorum, maxime* Radziefskii *alicuius, uel* Vlfeldii, *deserere meos et ad alios transire potuissem, uerum semper malui, et nunc quoque mallem, cum* Innocentio *meo*, (refero ipsa eius uerba) *descendere in forum, ceruicemque praebere carnifici, quam uicinis aemulis*, Suecicaeque *libertati insidiantibus, manifestare patriae meae imbecillitates, atque ita ipsam in exitium, me in sempiternam proditae illius infamiam, coniicere.* Idem ille *Oxenstirna*, speciosissimis a *Caesare* conditionibus, ab excessu *Gustaui*, internuntio *Arnhemio*, solicitatus, si ornamentum emolumentumque *Sueonum* aliorumque *Protestantium* destituere uellet, quodlibet proditionis praemium magno animo spreuit.

Ab obitu *Gustaui Adolphi*, Regni *Sueciae* Proceres eidem *Oxenstirnae*, plenam conferebant potestatem bellum in *Germania*, prout fas iustumque ipsi uideretur, continuandi, una cum dignitate *Plenipotentiarii Sueciae supremi*. Proceres omnes, ipsique Imperii *Romani* Principes,

solis *Electoribus* exceptis, ut *Vicquefortius* * uult, agnoscebant hoc graue in eo munus, primum ei locum concedentes. Multi perinuiti id cogebantur admittere, aegre ferentes, Nobilem peregrinum tantum sibi sumere autoritatis, quae uel ipsam dignitatem Principum, superiorem in terris non habentium, transcendere uideretur. Et sane, fateri, oportet, eum tanta cum grauitate hoc munus gessisse, ut ansam dederit *Paci particulari*, ab El. Saxone, *Pragae*, A. CIↃ IↃ C XXXV, cum *Imperatore* factae, Principem quoque *Vinarienſem*, ad amplectendas partes *Gallicas*, permouerit. Idem ille *Axelius*, pro summa potestate, sibi concessa, ad eminentem functionem ac dignitatem, post fata *Regis maximi*, GROTIVM, plus semel, speciatim ad LEGATI obeundum in *Gallia* munus, quod *Rex*, cum adhuc uiueret, IPSI conferre in animo habuerat, A. CIↃ IↃ C XXXIV, *Francofurtum ad Moenum*, iussu Reginae *Christinae*, euocauit, ut ipse GROTIVS confirmat.

1) *Causa mutandae* (Hamburg.) *sedis fuit Vir nostro seculo maximus*, Suecici *Regni Cancellarius, qui et literis, ualde honorificis, me aduocauit, et benignitate summa excepit.*

2) *Iam sum* Francofurti, *eo uocatus non semel a Viro,*

* *de Legato, l. 1, p. 45.* 1) *Ep. CLXIII, ad* Iac. Putean.
2) *Ep. CLXI, ad* Guilielmum Luſſonium.

Digitized by Google

Viro, cuiuis ueterum comparando, Suecici *Regni* Cancellario, *qui me, in umbra literaria delitescentem, in lucem resque magnas uult protrahere. Ego uero nihil magis metuo, quam, ne opera mea tanti uiri conceptae de me spei minus respondeat.*

1) *Vult enim Regni* Suecici Cancellarius *Opera mea, ad res non leues, uti.*

Officia ergo sua praestabat *Regno* et *Reginae Sueciae,* cum dignitate CONSILIARII REGNI SVECIAE INTIMI et ad Regem Christianissimum, *Ludouicum* XIII, LEGATI. Loquitur de hac sua LEGATIONE, in Epistolis ad *Claud.*[2]) *Salmasium,* et *Nicol. F. Peirescium* [3]) hunc in modum. *Puto, iam praeuenisse famam, sed tamen mei quoque officii credidi, tam bene de me, deque omnibus literarum amantibus, merito significare, missum me huc,* Reginae Regnique Suecici LEGATVM, *atque ita, extricatum ex patriae meae discordiis, et* Germaniae, *tam longo ambiguoque bello, malis, frui et coeli* Gallici, *et amicitiarum ueterum suauitate, ita, ut mihi ad res, ut in mortali uita, beatas, nihil desit, praeter conspectum uultus, sermonisque tui usuram.*

Huic autem oblato muneri eo promptius assurgendum, duxit, partim, quod ILLI, nec petenti, nec per commendationes ambienti, sed inopi-

1) *Ep. CLX, ad* Ioann. Cordesium.
2) *N. CLXXI.* 3) *N. CLXXIII.*

Digitized by Google

nanti, et hinc, procul dubio, diuina prouidentia, hoc fuerit oblatum, partim, quod, tali modo, nanciſceretur opportunitatem in *Galliam*, cui ſemper fauebat, redeundi, dulceſque amicos reuiſendi, et coram agendi gratias, ſpeciatim *Thuano*, *Cordeſio*, *Puteanis*, *Pelleterio*, quorum nomina in animo penitus habebat infixa, quocunque ipſum fortuna ferret. Quare LEGATIONEM hanc ſuſcipiebat, cum praeſertim teſtem in ea re haberet conſcientiam, uitae innocentis ſtudium, et eius, qui innatus erat EI, Patriae ſtatus fidum, licet infauſtum, amorem. Ac tum quidem, officii eſſe ſui, credidit, *Roterodamenſis* urbis Rectores, de ſuſcepta ab ſe LEGATIONE reddere certiores, quo uidelicet, liberati ab iis, quas cum eo inierant, conditionibus, uacanti ab EO demum tempore urbis ſuae *Aſſeſſurae* prouidere poſſent, id quod etiam fecerunt, eligendo, in EIVS locum, ampliſſimum ac diſertiſſimum uirum, *Simonem Bellemontium*, Herberti Bellemontii, de quo ſupra diximus, patrem.

GROTIVS igitur, cum literis honorariis, ſcriptoque Mandato, ex *Germania* in *Galliam*, A. CIↃIↃCXXXV, ineunte Martio menſe, iterum, tanquam LEGATVS ORDINARIVS, reuertit, non magis dignitate LEGATIONIS, quam fama doctrinae et uirtutum, inſignis, omnibuſque notus. Haec

electio

electio displicebat Cardinali *Richelio*, limis oculis intuenti VIRVM, cui beneficia Regis ademerat, ueluti cum triumpho, in regnum reuertentem. Verbis enim exprimi uix potest, qua fama tunc temporis fuerint *Sueones*, qui, ab *Septentrione* suo, niuibus, scopulis, rupibus, horrido rigidoque, effusi, suorum terrore armorum, *Europam* impleuerant uniuersam, nullumque fere orbis angulum sine lauru praetermiserant ac tropaeo. Aduersus *Caesareos* praecipue uictricia arma, pro salute et incolumitate *Protestantium*, per omnem circumferebant *Europam*, tantaque fortitudinis fama iam *Occidentem* compleuerant uniuersum, ut, ab eo tempore, hodieque *Gothorum* illud nomen concelebretur, ante omnes uero Magnus ille *Gustauus Adolphus*, fulmen illud belli, seculi sui prodigium, qui, ad maximi cuiusque exemplum Ducis, sanguinis uitaeque suae iactura, inter confertissima hostium tela, ad uictoriam iter suis, sub id tempus, aperuerat, gentemque exaltauerat suam.

Cardinalis quidem nullum non lapidem mouebat, hunc uelut ictum modis omnibus auertere, Cancellariumque, *Oxenstirnam*, eo deducere, ut, GROTII loco, alium ipsi acceptioremque mitteret, frementibus una, in *Batauo* agro, GROTII aduersariis, qui omnes neruos intendebant, ne

DAMNATI apud se HOMINIS actiones, per admissionem ad eam dignitatem, ueluti purgarentur. Hac ratione GROTIVS, qui *Lutetiam Parisiorum* ferme attigerat, et in *Fano S. Dionysii* morabatur, necesse habebat, reditum expectare cursoris, eo nomine, in *Germaniam*, ad Cancellarium *Oxenstirnam*, missi, ut ultimum eius consilium hac de re referret. Sed *Oxenstirna* in sententia pristina persistebat, ut adeo GROTIVM Purpuratus iste necessario recipere cogeretur. [1]) *Magnum, ut in omnibus negotiis*, inquit, *ita et in hoc, animum praestitit magnus* Suediae *Cancellarius, cum maximos obices, oppositos mihi mandandae legationi, perrupit. Nam et - - qui hic agit, incitante--, nihil non mouit, ne admitterer, traxitque in auxilium sui Reformatorum Principes, et Pontificiorum feruidiores meam praesentiam, aliis de causis, suspectabant.*

Superata igitur hac difficultate, ingressum suum GROTIVS *Lutetiae Parisiorum* celebrabat, ut ipse refert.

[2]) *Dies iam octo sunt, cum ab oppido* Dionysiano *in urbem εἰσήλασα, missis, qui me deducerent, a Rege*, Estraeo, *Franciae Marescallo, et Comite* Brulono, *Regis admissionali, cum carruca Regis*

1) *Ep. CLXXII, ad* Lud. Aub. Maurer.
2) *Ep. CLXXI, ad* Claud. Salmasium.

Digitized by Google

gis et Reginae, multisque aliis. Postea ad me priuatim Rex misit Comitem Nancaeum, *qui ipsius in me testaretur beneuolentiam et gaudium, quod mihi potissimum, quem magni faceret, haec obtigisset legatio, bono publico regni utriusque, ut confideret, futura. Nudius quartus iter medium confecit inter urbem et* Siluanectum. *Mane postero, missus a Rege Dux* Mercurius, *cum* Brulono, *qui me, per armatas cohortes turmasque (honos is summus habetur) medium, ad Regem deduceret, a quo auditus sum non tantum* μετὰ πολλῆς φαντασίας, *ut Regales Legati solent,* SED ET CVM MVLTIS * ANIMI BENEVOLI REGIS IN ME TESTATIONIBVS.

Alibi notanter haec addit.

1) *Cardinalis abest. Interim, eo uolente, cum patre* Butillerio *coepi agere.*

Culpam quoque, cur, ut LEGATVS, non introductus statim fuisset, negotio isti, quod *Regis* fratri cum *Puylaurentio* intercedebat, tribuere conabantur.

2) *Comes* Brulonus, *Regis admissionalis, quod nondum me in urbem introducere potuerit, causatur motus aulae, qui, octo iam dies sunt, erupere,*

* supra p. 286.
1) *Ep. CLXXII, ad* Lud. Aub. Maurer.
2) *Ep. CCCLXIII, ad* Oxenstirn. *in op. mai. epist.*

pere, capto Duce Puylaurentio, *et intimis eius,* Fargisio *et* Montpensiero. *Secutae mox choreae, quas iste casus distulit, et hilaritati dicati dies duo, hodiernus uero expiationi, culparum probabilium reddunt excusationem, nisi illud magis certum est, ut ex* Feuquerio Lagrangioque *resciscerent, quid ab illustrissima Excellentia uestra sperare deberent, priusquam legationi, mihi impositae, honorem haberent, quem aliis habuerunt.*

Haec dum geruntur, filiam, natu minorem, GROTIVS amisit, itinerum molestiis frigorisque urentis ui confectam.

Ac prima quidem EIVS expeditio haud parùi erat momenti. Cum enim, A. CIↃIↃCXXXIV, Caesarei *Nordlingam* obsidione cingerent, ad eamque liberandam, Dux *Bernhardus* et *Gustauus Hornius* uires coniungerent (quanquam *Hornius* putabat, rerum summam non esse committendam unico casui, in primis propter locum tam exigui momenti, sed hostem potius cogendum, ut alio se uerteret) nihilo minus Dux *Bernhardus* proelium committendi consilium inibat, castraque impugnabat *Caesarea,* sed euentu adeo infelici, ut ex copiis *Suecicis* uirorum caederentur millia, sex uero millia caperentur, quos inter *Gustauus* ipse *Hornius* erat, tormentis quoque et impedimentis omnibus amissis. Prius uero, quam hoc fatale

fatale proelium accideret, *Sueonibus* alibi fortuna satis fauebat, si quidem non solum Dux *Lotharingiae* a Comite *Rhenano*, haud procul pago *VValtuueyler*, in fugam coniiciebatur, et Arx *Philippoburgica*, fame pressa, in manus *Sueonum* ueniebat, sed Dux quoque *Luneburgensis*, *Georgius*, *Hildesheimium*, et imperator *Bannierus*, *Francofurtum ad Viadrum*, expugnarat. Nec minus *Caesarei*, a duce exercitus Electoris *Saxoniae*, *Arnhemio*, prope *Lignicium*, paene ad internecionem, delebantur, *Caesareorum* quatuor millibus occisis. Proelium uero aduersum prope *Nordlingam*, commoda haec omnia peruertebat, et postea *VVirceburgum*, *Suinefurtum*, et alia loca plurima, *Franconiae*, *Sueuiaeque* et ad *Rhenum*, in Caesaris potestatem redigebantur, immo, *Sueones* cogebantur *Alsatiam* et *Philippiburgum* Gallis concedere, tantum, ut eorum amicitiam sibi conseruarent.

Post hanc cladem *Nordlingensem*, uires *Protestantium* paulatim accisae, et *Austriorum* sensim auctae, aleam *Martis* dubiam reddiderunt. Ante omnes *El. Saxo*, qui, in conuentu *Hailbrunnensi* et *Francofurtensi*, Protestantes omnes ad firmam concordiam et continuationem belli socialis adhortatus, ipse, quasi cum fortuna sociorum fiduciam exuens, oblatis, quae toties respuerat, pactis

pactis particularibus, cum *Imperatore* Pacem iniit *Pragae*. Hac Tranſactione *Pragenſi* confecta, arma inimica *Suecis* intulit, ab quibus bis, terue, praeſenti periculo ereptus, qui morte *Regis* ſui uitam illius tutati fuerant, ſuumque effuderant ſanguinem, ne ſanguis *Saxonum* effunderetur. *Cauſae* obtendebantur, quoniam, attritis, clade *Nordlingenſi*, Proteſtantium rebus, uis, quae res *Caeſaris* ſecundas compeſceret, ſeſe exereret nulla, quodque *Sueones* ad ſuum arbitrium nihil non ordinare per omnem *Germaniam* cuperent, tum aliae inſimul externae gentes hoc implicarentur bello, quae Imperium tantum non peſſundaturae crederentur. Alii exiſtimant, *Saxonem* grauiter in primis tuliſſe, quod imperium exercitus *Suecici Bernhardo*, Duci *Vinarienſi*, fuiſſet commiſſum, utpote, quem ſemper ſuſpectum habuerat, quaſi *dignitatem Electoralem*, familiae quondam ſuae innexam, animo foueret, teſte *Vicquefortio, in libro de l'Election de l'Empereur* [1]). At Elector *Saxo* ipſe, in literis ſuis, ad El. *Brandenburgicum*, *Theatri* [2]) *Europaei*, extantibus, innuit haud obſcure, omnium indigniſſime ſe tuliſſe, poſt exceſſum Regis *Sueciae*, ſummam bellicae rei non *ſibi*, ſed *Oxenſtirnae*, traditam

1) *Cap. XV.* 2) *Tomo III, p. 655.*

Digitized by Google

tam fuisse. [1]) *Mirum est*, inquit GROTIVS, *quae referat de aemulatu* Saxonis *in* Suecos, *ita, ut plane in mentem mihi* Cornelianum *illud adduxerit*, Nondum uictoria, iam discordia, erat. *Danus paci dat operam, uolente et Caesare, et Saxone.*

Hanc *Pacem* plurimi sequebantur Ordines Imperii *Romani*, eademque *Pace* familia *Palatina* et alii excludebantur. Eandem *Pacem Pragensem* Consiliarius *Darmstadiensis*, *VVolfius*, et *D. Dauid Doeringius*, concinnasse perhibentur, pro quo labore hic ab *Caesarea Mai.* accepit aureorum aliquot millia, in ciuitate *Hamburgensi*. Arguebatur quoque *Saxonum* Theologus, *Matthias Hoeus*, decem uncialium millia ab *Caesare* accepisse, eximendis Principis sui animo scrupulis, quos alioqui facile *Pax* ista poterat generare.

Pacem hanc *Sebottendorfius*, Consiliarius *Saxonis* intimus, aliique, dissuasisse dicuntur. In primis autem tota *Suecia* contra hanc *Pacem* detonuit, editoque Scripto ingratum *Saxoni* animum exprobrauit, quod, cum *Gustauus Adolphus* omnia, pro conseruanda *Saxonia* atque religione puriore, ac tandem uitam quoque ipsam, impenderit, contra tamen fidem datam, pacem seorsim, excluſa prorsus *Suecia*, cum

1) *Ep. CLIII, ad* Iac. Putean.

Digitized by Google

cum *Caesare* inire sit ausus. In *Gallia* uero scriptum illud, et notum, et superiorum notitiae temporum inseruiens prodiit, *Lutetiae Parisiorum*, anno insequente CIↃIↃCXXXVI, cum hac inscriptione, *Iusti Asterii Deploratio Pacis Germanicae*, siue, tractatio de Pace *Pragensi*, tam infauste, quam inique, inita *Pragae Bohemorum*. Adiecit idem Scriptor excerpta literarum, e *Saxonia* datarum, ex quibus appareret, Transactionem illam per corruptionem fuisse impetratam. Summa *Excerptorum* haec est. Ante triduum *Hamburgi* quatuor millia *Philippicorum*, per N.N., et x millia regalium, per N., *Antuerpia Dresdam*, ad N., per cambium destinata, aere praesenti exoluta, fuisse. Hoc aurum *Hoeum*, ut communis tum temporis, nec uana, fama fuit, occaecasse, ut infamiam et pericula illius initae *Pacis* ne cerneret. *Carpzouius* hunc *Asterium* (sub quo nomine non GROTIVM, sed *Tilemannum Stellam*, esse quaerendum, recte putant alii) refutauit, licet Refutatio, satis bona, cum Dissertatione paria facere haud uideatur. Prodiit etiam alius Liber, inscriptus, *Exequiae Pacis Pragensis*, ubi, per XVII Rationes, ostenditur, nullam *Pacem* unquam funestiorem *Libertati Germaniae*, in sacris et ciuilibus, fuisse, quam hanc ipsam. Namque,

I, Pacem

I, Pacem religiosam, antehac ex Pragmatica Sanctione *Imperii*, et reciproca omnium Statuum obligatione, pendentem, fulcris suis priuata libidine duorum Principum, rem summi momenti, agi, nulla omnino de conclusis in futurum securitate praestita.

II, Restitutionem omnium Bonorum Ecclesiasticorum immediatorum, cum summo praeiudicio *Protestantium*, intra XL annos, praescribi.

III, Exercitium Religionis *Protestantium* solum ad ius territoriale restringi.

IV, Reformatae Religionis Exercitium, occultis cuniculis, e *Romano* Imperio eliminari, ut, *Protestantibus* inter se diuisis, facilior sit uictoria contra *Reformatos*, ubi tamen *Lutherani* plus non habituri sint beneficii, quam ordinis etc. Vnde multi quoque Pacem hanc improbabant, qua de re liberum Iudicium ap. *Pufendorf.* Rer. Suec. Parte I.

Ioann. quidem *Gerhardus*, pius ac celebris Theologus *Ienensis*, Pacem hanc postea defendere fategit, sed inuita *Minerua*. Et sane grauiter postmodum *Saxonia* tam infelicem Pacem tulit, ultionem *Suecis*, mille per incendia et bustum totius *Saxoniae*, quaerentibus. Quanta enim agrorum uastitas, urbium miseria, familiarum dissipatio, sit consecuta, nemini latet.

Post hanc uictoriam *Nordlingensem*, instauratis Caesaris uiribus, *Ratisbonam* Electores, A. CIↃIↃCXXXVI, *Caesar* conuocabat, proponens, ut Electores *Caesari* de socio laborum Imperii, Rege *Romano*, prouiderent. Id ad sui non minus solatium ac leuamentum, quam Imperii stabilimentum ac tranquillitatem, pertinere, cui nihil luctuosius accidere possit, quam, ut, hoc turbatissimo statu, sine Rectore, sine capite, relinquatur. Porro dubitari non posse, quis ad id fastigium euehendus sit, cum, DEI munere, filium sit nactus, iam *Hungariae Bohemiaeque* Regem, sic a teneris institutum, et inter gubernacula quasi natum, ut ad tanti muneris dignitatem, idoneis uirtutibus, sustentandam, nihil desiderari possit. Dedisse hunc, iam ante biennium, specimen uirtutis ac felicitatis suae, caeso *Suecorum*, apud *Nordlingam*, exercitu, qua uictoria tota paene *Germania* ad obsequium et fidem Imperii redierit. Ab eo tempore regimen eum militiae Imperii, feliciter inchoatum, adhuc, rara prudentia, exercere.

Cum uero *Treuirensis* Elector, quem in captiuitate *Hispani* detinebant, ad hanc Electionem euocatus non esset, causae item aliae, momenti haud leuis, accederent, notum illud Scriptum emer-

Digitized by Google

emergebat in lucem, *Iusti Asterii Examen Comitiorum Ratisbonensium*, siue Disquisitio Politica, de nupera Electione nouissimi Regis *Romanorum*. Vbi ostendere satagit, neque *Conuentum* Electoralem *Ratisbonae* recte institutum, neque *Designationem* Regis *Rom.* legitime esse celebratam, sed peractam potius fuisse contra normam iuris et aequitatis, contra mores et instituta maiorum, contra Imperii leges et instituta. Qui liber nonnullorum in se oculos conuertit, solicite perquirentium, quis demum *Autor* esset *Libri*. Verum latuit sub eo nomine *Tilemannus Stella*, quod clare patet ex *Patini* Epistola v, ubi et de Scripto quaeritur, et ipso Scriptore.

Pour le Sieur Stella, *ie ne sais ueritablement d'ou il etoit. Mais en un certain Panegyrique qu'il fit au Cardinal de* Richelieu *l'A. cIↃ Ↄ cxxxiv, il s'y nomme* Tilemannus Stella, Bipontinus etc. *I'ai lui ai donné plusieurs fois diuers bons memoires. Mais le dessein et le Style sont de lui tout seul.*

Georg. quidem *Hornius* putat, autorem scripti HVGONEM GROTIVM esse, reclamantibus tamen aliis, quoniam stylus toto coelo differt a stylo GROTII, licet ex HVIVS *Epistolis* haud obscure perspici possit, eum cum *Asterio* amicitiam coluisse interiorem. Eo pertinent, quae ad *Frider. Lindembrogium*, A.CIↃIↃCXXXVII, scribit.

[1]) Dauuasium *in notitiam tuam introduxi. Nunc idem officium* Stellae *negare non potui, multae eruditionis uiro, aulae huius potentibus charo, quique, Regis mandato, it, ut eius, quem dixi, legati labores subleuet peritia sermonis rerumque* Germanicarum, *quam aliquot Scriptis ostendit. Ego, quinorim, quam tua comitas omnibus pateat, eam ut imiter, non uereor, uiros literatos, qualis hic est, interdum et literarum amantes, tibi excolendos tradere.*

Idem, A. CIↃIↃCXXXVII, indicat huius Libri Scriptorem ad *Ludou. Camerar.*

[2]) *Quem uidere desideraſti librum, contra Electionem Regis Romani, eum tibi fert Scriptor ipse,* Stella, *in hac aula sane gratioſus, datuſque a Rege D.* Dauuasio *ad res* Germanicas *adiutor. Ille, qui, se multa, tua bonitate, discere posse, sperat, publico profutura, pro magno habuit, tuam amicitiam mereri. Ego officium adiuturo parandi, quod nemini literato eram negaturus, huic eximio literato, et uiris magnis probato, lubens praestiti. Plura non addo. Nam, gnarus eorum, quae hic geruntur, ipse ea proferet.*

Idem ille, Ep. DCCLXV, ad *Ludou. Camerarium,* indicat *fata* huius Scripti, et, cur Autor tum *loci,* tum *suum, nomen* mutarit.

Stellae

1) *Ep. DCCLXIII, in mai. Op. Epist.*
2) *Ep. DCCLXIII, ad* A. CIↃIↃCXXXVII, *Op. mai. Epist. p. 327.*

Digitized by Google

[1] Stellae *liber prodiit quidem, sed, tanquam* Hanouiae, *sine ipsius nomine, uitandas ad offensas. Sed haec ipse dicet melius.*

Et, in eiusdem Epistolae extremo.

Cadanensis *pactionis mentionem non inutilem fecit in suo libro* Stella, *sed frustra aliquid in hac re a* Gallis *speramus, cum Pontifex iam pro electione pronuntiauerit, cuius autoritatem qui oppugnare audeat, nemo est. Si qui sunt, quibus id facere animus, ii nihil possunt. Valde e re erit, arcana consiliorum aduersus nostros, quorum autor* Arnhemius, *ex ipso cognoscere.*

Mortuo etiam *Ferdinando II,* Caesare, denegabant Galli *Ferdinando III* nomen Romani Regis, aut Imperatoris, ex his rationibus.

Treuirensem adhuc in custodia teneri.

Moguntinum, iam per quinquennium, *Hispanica* uictitasse pensione.

Bauari ius ad Electoratum esse nondum satis euictum, mouente controuersiam *Palatino.*

Colonienſem esse cum obnoxium fratri *Bauaro,* tum *Hispanica* uinctum pensione.

Legatos *Saxonis* et *Brandenb.* a mandatis discessisse.

Multa *Ratisbonae,* in ipsa Electione, acta insolenter, *Hispanosque* ibi dominatos esse.

1) *pag. 327, Op. mai. Epistol.*

Galli quoque Pontificem, *teste Pufendorfio*, solicitabant, ut ipse quoque litem *Ferdinando* moueret, sed spe frustrati sunt. Apud *Sueciae* Rectores idem postulabat *Rorteus*, Baro, *Galliae* Regis nomine, qui uero suam facere controuersiam hanc nolebant, ne uia rebus transigendis obstrueretur, praesertim, cum Electores iam omnes a partibus starent *Ferdinandi*. Scriptum hoc refutare deinde aggressus est *Petrus Ostermannus*, IC. et Consil. Imp. aulicus, Ῥωμαίῳ βασιλικῷ στεφάνῳ, i. e. *Corona throni regalis*, sed frigide nimis.

In Conuentu *VVormatiensi Oxenstirna* quaerebat, cum, a clade *Nordlingensi*, Ordines Foederati maximam partem sint distracti, ceteri uero quantumuis foedere nondum penitus rupto, publicae rei cura parum teneantur, ut, nisi res aliter ordinentur, foedus per se sit expiraturum, quid Ordinibus in posterum fieri uideatur? Si foederis continuatio placeat, censendum esse, de instaurandis copiis, de stipendiis, de commeatu instructuque militari, de tormentis, de foedere praeterea *Gallico*, quid, intuitu singularium *Saxonis* cum *Caesare* conditionum, debeat obseruari? Quid *Neoburgico*, ad neutram partem inclinanti, quid Regi *Daniarum*, ad literas de mediatione, reponendum? Ad Foederis continuatio-

Digitized by Google

tionem, Ordinibus, qui aderant, uoluntatis erat satis, facultatis parum, de pecunia uel maxime silentium, de commeatu tamen aliisque rebus, ad bellum necessariis, aliquid spei ostendebatur. De conditionibus Foederis, cum Rege *Galliarum* ineundi, dubia Ordines non nulla mouebant, ad quae Ministri *Gallici* uerbis utcunque faciebant satis, uerum, ut mutatio quaedam, aut explicatio, Foederi subiungeretur, permittere renuebant. Quae tametsi essent utique duriora, Elector tamen *Palatinus*, Administrator item *Bipontinus*, *VVirtembergicus*, *Hassius*, *Badensis*, cum quibusdam Comitibus, induci se, ferebant, ut ista Foederis momenta, sine ulla exceptione, comprobarent. De Regni *Sueonum* emolumentis, ad singulare cum *Oxenstirna* colloquium, rem differebant. Verum, *Gallicis* Legatis hoc Foedus *Oxenstirnae* subscribendum offerentibus, respuit Foederis conditiones *Oxenstirna*, obtendens, eas passim obscuritate laborare et ambiguitate, non nulla ne penes Foederatos quidem esse, praestare, in his illud, de singularibus *El. Saxoniae* tractatibus impediendis, Foederis item, *Gallos* inter et *Sueonas*, robur uideri fractum. Quod quidem ipsum ne *Gallorum* mentes auerteret, *Oxenstirna* HVGONEM GROTIVM, prout ante do-

cuimus, ad Regem *Galliae* mittit LEGATVM, rationes repudiatae ſubſcriptionis expoſiturum.

Ac GROTIO quidem uehemens primum diſputatio, apud Regem Regiſque amicos, excipienda erat, quippe qui in pactis conuentis cum *Loeffero* modis omnibus perſiſtere malebant, tanquam ſine ulla exceptione initis, una mirati, acta ei, qui tanti mandata momenti accepiſſet, dubia uideri. Contra ea, GROTIVS docebat, conuenta iſta, niſi rata haberentur ab iis, ad quos id negotii pertinebat, haud ualere, conſuetudinem quoque et ius reclamare, ſi ab legatis tanto rigore conueniretur, in rebus maxime improuiſis, ſuperiores quoque indiſſolubili quodam uinculo conſtringi. Hanc talem neceſſitatem nullis Mandatis, licet copioſo uerborum apparatu inſtructis, contineri. Cardinalis *Richelius* GROTIO quaſdam obiiciebat difficultates, quoniam literas Conſilii Status *Sueciae* HIC exhibere haud poterat, neque Mandatum generale Dominorum *Plenipotentiariorum* tam late patebat, alium repraeſentationis, quam uocant, dignitate ornare. Sed Cancellarius *Oxenſtirna*, qui iter in *Sueciam* aggreſſurus erat, per *Argentoratum* et *Lotharingiam*, Regem ipſe adit *Compendii*, exceptus habituſque perquam ſplendide. Magna totius Aulae in *tanti nominis Legatum* erat comi-

tas,

tus, ex more *Gallico*, ut animos ad sua commoda trahant. Ostendebat uero *Cardinali* idem Mandatum, quod ipsum ad negotia *Gallica* idoneum redderet, GROTIVM quoque habilem uti quereddere ad agendum. Neque uero detrectare *Cardinalis* poterat, ut Cancellarius Regni, *Oxenstirna*, perseueraret in proposito, GROTIVM, ut LEGATVM ORDINARIVM, *Parisiis* relinquendi, quam stationem ferme decem annos administrauit, neque unquam eo perduci potuit *Oxenstirna*, ut GROTIVM, solicitante *Richelio*, reuocaret. *Oxenstirna* linguae *Gallicae* non satis erat peritus, ideo GROTIVS, LEGATVS *Sueciae* ORDINARIVS, eius ut esset interpres, necesse erat, cum *Cardinali* autem, toto tempore, *Latine* colloquebatur, et consensum offerebat de renouatione Foederis, quia Cardinalis *Richelius*, Gallicorum autor consiliorum, de Pace *Pragensi* certior factus, periculosum esse, iudicabat, *Austriacam* in *Germania* potentiam, *Suecis* solis, cum duobus Principibus semiexulibus, minime suffecturis, denuo conualescere, quippe quae deinceps oppugnatu haud facilis foret, nisi *Gallia* et consilia, et arma, rebus *Suecicis* et *Germaniae* principibus afflictis, iungeret. Itum ergo in nouum quoddam foedus, cuius capita haec erant.

Cum Austriis pax, aut induciae, ne fiant, nisi,

cum utriusque Regni, Gallici *et* Suecici, *consensu, locus aliquis munitus hosti restituatur. Vterque etiam Foederatis Ordinibus auxilium ferat.*

De pecuniis, a *Gallia* submini*s*trandis, in aliud tempus consultatio differebatur. *Oxenstirnam* digredientem annulo Rex admodum pretioso, nec minoris pretii gemmis, donabat, licet idem *Cancellarius*, quo minus Regis sui emolumentis inuidia obesset minis*t*ri, negotium *Gallicum* uel *Holmiam*, uel *Hamburgum*, perducere niteretur, quo minor *Sueciae* LEGATO *Richelium* adeundi necessitas imponeretur.

At, excitando *Galliae* Regi ad causam communem strenue amplectendam, literas Rectores *Sueciae* dabant, quas dum tradit LEGATVS, HVGO GROTIVS, oratione copiosa, rem altius repetens, commemorat, quam intrepidum se gesserit *Oxenstirna*, cum e *Gallia* in *Germaniam* peruenisset, quanquam non desertus modo a *Germanis* Principibus, sed etiam oppugnatus, ac potuisse tunc quoque illis in locis, in quibus bellum erat, sustentari, si ex alia parte hostibus negotium factum fuisset. Ista * a Rege, magna cum attentione audita, uehementer probabantur, et, ita facturum se, promittebat.

Hinc arma *Caesar* maxime contra *Galliam* parabat.

* *Plura, de hac longa* GROTII *oratione, proferunt scriptores* Suecici.

Digitized by Google

parabat. Mox etiam euulgatum est Scriptum, *de Iustitia armorum Caes. contra Gallum*,

Quod Rex *Galliae*, contra nuperam belli *Mantuani* pacificationem, *Ratisbonae* initam, cum hostibus *Caesaris* et Imperii colluderet.

Quod *Sueciae* Reginam et Duces illius armis, pecunia, militibus et commeatu, iuuaret.

Quod urbes Imperii uel inuaderet ipse, uel, ab hostibus auro ademptas, suis praesidiis confirmaret, magno libertatis Imperii praeiudicio, cui semper haec externorum Regum et Principum molimina fuerint suspecta.

Etsi autem *Galli* arma contra *Caesarem*, in *Germania* superiore, ut iam dictum, ferre iam instituerant, nihilo tamen secius, quod potissimas uires suas contra *Hispanos*, in *Belgium* atque *Italiam*, direxerant, remissius, quam res ipsa requirebat, bellum *Germanicum* administrabant. Ac *Caesareis* quidem, frustra licet, *Galliam* inuadere tentantibus, tempus relictum fuerat, omnes *Rheni* ripas, excepta *Argentoratensium* ora, occupandi, *Gallosque* ingressu in *Germaniam* prohibendi. Immo, postea quoque, tentata per *Picardiam* inuasione, *Hispani* Caesareos, ad defendenda sua, reuocabant. Duci etiam *Bernhardo* mediocres interim copias opponere cogitauerant

uerant *Caesarei*, quoniam, haud uno in loco, *Sueonas* omni ui repreſſerant, uel certe, ad oram maritimam, in anguſtias redegerant. Neque uero *Galli*, indictum hoc intuendo bellum, bona fide erga *Sueones* utebantur, non paucis exoptantibus, ut *Sueones* ſuccumberent *Gallis*. Cum igitur LEGATVS *Sueonum*, GROTIVS, minime ad eam rem procliuis crederetur, modis haud unis *Galli* hunc remouere nitebantur, incitato etiam *Venetorum* Legato, ut de loco honoratiore litem GROTIO intentaret, obtendendo, non ab *Regina*, uerum ab *Oxenſtirna* ſolum, literas eum fiduciarias accepiſſe, qui tamen ante, hac re nihil impediente, capite operto, uerba coram *Gallo* fecerat. Contra ea, *Pontifex* haud ſegniter *Gallis* conſilia obtrudebat pacis, praecipuo arcanorum arbitro, Patre *Ioſepho*, frigidam ſuffundente, cui purpura ſacra, loco praemii, propter peſſundatas ubiuis, ſub imagine foederum, res *Proteſtantium*, decreta fuit. Quoniam autem *Gallorum* intererat uel maxime, ſiue pacem, ſiue bellum, cum *Auſtria* domo *Sueones* mallent, *Auſtrios* diſtineri *Sueonum* armis, ideo, pacem cum *Saxonia* impedire, ope ſumma conabantur. Neque uero non efficiebant, ut *Oxenſtirna*, cum *Chaumontio*, *Gallorum* Legato, *Viſmariae*, rationes foederis, inter ſe pangendi, ſibi ſuſcipiendas, putaret. Lites uero,

Digitized by Google

uero, tunc natae, remoram non nullam attulerunt. Cupiebat enim *Oxenſtirna*, ut Caeſarem *Gallus*, Caeſariſque aſſeclas, pro hoſtibus haberet, et, una cum *Sueonibus*, aperte contra eos ſtra haberet. *Chaumontius* huic rei conſenſum in hoc praebere nolebat, niſi acceptis prius mandatis. De donationibus etiam, quas Rex *Guſtauus* et *Oxenſtirna*, nomine Reginae, fecerant, minus conuenire inter eos uidebatur. Inſtabat *Gallus*, ut ad certum militum numerum obligarent ſeſe *Sueones*, his ipſis urgentibus idem. Poſtremo ad certum tempus pactionem, eamque ſpatii quadrimeſtris, inierunt inter ſeſe, qua ſanxerunt, uti pars utraque bellando interea contra *Auſtrios* modis omnibus perſeueraret, donec uerum nec ſimulatum, utraque inter regna, foedus ineatur. Itaque tunc, *Gallum* inter et *Ducem Vinariae*, res eſt confecta, ita, ut *Gallus* quadragies centena librarum millia quotannis, perdurante bello, ea quidem lege, ſe collaturum, polliceretur, ut ſuas *Vinarienſis* copias, ad millia equitum *Germanorum* ſex, XII peditum, adaugeret, cunctaſque, his alendis, ſuppeditaret impenſas, rei quoque tormentariae ſufficientem compararet apparatum. Deinde, ne cum *Caeſare*, ſine Regis uoluntate, quicquam perageret, *Rege* pariter pollicito, Pacem ſeſe nullam initurum, qua

qua *Dux*, cum iis, quos circa se haberet, excluderetur. Arcanis quoque pactionis capitibus cautum, uti *Dux* copias ducat, uoluntate iussuque Regis, neque aduersus hostem ullum ire grauetur. Singulari *Ducis* stipendio promissa sunt librarum XL millia, et, post pacem initam, librarum CL millia, singulis, per omnem eius uitam, annis, ei pendenda. Donatus eidem est *Landgrauiatus Alsatiae*, cum *Praefectura Hagenoensi*, recognoscendus a *Gallo*, cum iuribus iis omnibus, quae ad domum pertinuerunt *Austriam*, sic tamen, ne Pontificii ritus et sacra bona ullo modo laederentur. *Gallus* quoque operam daturus erat, ut, per propositiones pacis, *Alsatia*, una cum omnibus, quae dono dedissent *Sueones*, maneat sub iure *Ducis*, aut certe fundo quodam, pretii non minoris, *Duci* satisfieret ab *Rege*. At enim, nullius momenti ista fuit conuentio, cum, praeter sex mensium pensionem, nihil quicquam daretur. Conquesti igitur milites *Ducis*, sese, dum instar propugnaculi sint *Gallis*, ad discrimina primos, extremos ad stipendia, haberi, signa relinquebant, uix ut pars dimidia superesse uideretur. Ne tamen omnes dilaberentur copiae, *Lutetiam Parisiorum Dux* ipse petere instituit, coram Rege *Richelioque* rem suam commendaturus. Operto, *Rex* capite, *Dux* aperto, consuetudi-

ni

Digitized by Google

ni *Gallicae* gentis hoc esse datum, interpretatus est. Verum, alia nouaque conuentione cum *Gallo* facta, magno cum auri argentique pondere, nec sine muneribus amplissimis, reuersus in *Alsatiam*, *Tabernas Alsaticas* in extremum perductas casum, ad deditionem cogit, quo eodem loco *digitum indicem*, in urbis obsidione uulneratum, resecare post coactus fuerat, in *Guil. Ernesti*, *Vinar.* hoc tempore *Ducis*, conclaui hodieque conspiciendum.

Breui post, *Lotharingiae* Dux, cui *Caesareorum* se copiae *Burgundionumque*, sub *Mercio*, adiunxerant, prope *Crysam*, proelio succumbit, amissis e numero suorum octingentis, captisque amplius mille ducentis, in quibus Comes *Reuxius*, tribunus, tres item subtribuni, praefecti turmarum tredecim, aliique ductores non pauci, uexilla praeterea sexdecim, cum impedimentis uniuersis. Ceteri ex fuga sese *Vesontionem* receperunt.

Dux interim, non sine labore multo, impedimenta atque machinas bellicas, *Haileriumque*, una cum *Gallis*, *Rhenum* transire recusantibus, transportauerat, ponte nauali extructo, ad quem pontem sternendum *Argentoratenses* tum nauigia, tum alia, quaecunque essent usui, suppeditabant.

Digitized by Google

tabant. Exinde, plus semel, *VVertanum* repente inuadere, ad pugnamue inducere, periclitabatur, et, coactis undecunque exercitibus, ualidior in dies, re frumentaria quoque *Offenburgi* coaceruata, hoc moliebatur, uti *Ducem* ad flumen *Rhenum* subsistere cogeret, lassatumque, et inopia confectum, trans *Rhenum* ageret. Neque uero, uim ut in perrumpendo adhiberet, lue decrescens quotidie exercitus, maiorque numerus equorum extinctus, impediebant. Quae mala ne animaduerterent aduersarii, nouae, quae singulis diebus accersebantur, accessiones faciebant. E *Gallia* quidem ut idonea quaedam supplementa nanciscerentur, tum *Dux* ipse, tum, nomine *Sueonum*, GROTIVS, ut LEGATVS, continenter urgebant, quod, omnibus modis, in *Pomerania* instans hostis, inuasione in *Germaniam* superiorem facta, distinendus maturè erat. Atque his quidem large *Rex* pollicebatur, indicatis quoque legionibus, magno istuc numero mittendis. Verum, neque ullae accedebant copiae, exceptis paucis tironum centuriis, et, quas *Hailerius* adduxerat copias, hae, ab *Rheno* longius deduci, nolebant, etiam ipsae ad quatuor prope centurias redactae, *Hailerio* dimissionem non solum flagitantibus dante, uerum sponte quoque sua offerente. Ideo *Dux* etiam praedicabat, sen-

Digitized by Google

sentire sese, a *Gallis* nihil aliud agi, quam, ut ipse perdatur, quo modo Dux *Rohanaeus* ab ipsis perditus fuerit in *Rhaetis*. Annisurum sese tamen, ut, si interire cogatur, intereat honeste. Ea sane *Ponica, Ducis* minister, *Lutetiae Parisiorum* aperte, non tamen quasi iussu *Ducis*, enuntiabat, licet *Galli* etiam hunc, duodeuiginti librarum millibus datis, eo deduxerant, ut dominum suum prolibidine sua, huc illuc flecteret. Re quidem ipsa pertimescebant *Galli*, ne *Dux Vinariensis*, pede trans *Rhenum* fixo, frenum morderet, dictoque audiens esse desisteret deinceps.

Non multo ante commissi inter sese erant *Britannorum* et *Sueonum* LEGATVS, H. GROTIVS, inquam, cum *Leicestrensi* Comite, quo tempore Legatus, a *Batauis* missus, pompa solenni, *Lutetiam Parisiorum*, ingrediebatur. Huic *Batauorum* Legato suum GROTIVS carpentum miserat obuiam, idemque fecerat *Leicestrensis*, nullo domesticorum suorum relicto, missis a GROTIO paucis tantum quibusdam. Locum priores occupauerant *Sueones*, eumque obtinuerant per aliquod tempus. Coorta deinceps utrinque lite, ferroque stricto, *Forcaeus*, Marescallus, ad introducendum in urbem Legatum ab Rege *Galliae* missus, rixam dirimere coepit. *Sueonibus*, iniustae se rei patrare nihil, as-

seuerantibus, Maresçallus reponebat, *Henrico* III uiuente, constitutum ita fuisse, ut *Britanni Sueonas* anteirent. At *Sueones*, scire sese, negabant, num, per id tempus, e *Septentrione* suo in *Gallias* penetrauerit ullus Legatus unquam, neque *Gallorum* officere sibi posse decretum, cum praesertim ipsa regni sui antiquitate quam iustissime defendantur. At, cum, haudquaquam pari *Marte* discessuros sese, *Sueones* animaduerterent, si res ad uim perduceretur, Maresçalli Regii conditiones, salua tamen iuris sui ratione, tandem admittunt *Sueones*, ita, ut carpentum utrumque aequali pompae genere deduceretur. Conquerenti postea apud GROTIVM *Leicestrensi* Comiti, quod dignior sibi locus sit denegatus, cum *Daniarum* tamen ac *Norwagiae*, Regni pariter antiqui, Rex *Britannis*, ea in re, haud grauatim cedere soleat, respondit GROTIVS, Quem ad modum, aut, quam ob rem causamque, in eo genere ita se gerant aliae gentes, exploratum sibi satis haud esse, neque, si res uel maxime sic se haberet, ea ratione ius *Sueonum* uiolari. Nihilo insuper magis obstare *Sueonibus*, quod paulo serius *Christianorum* religionis disciplinam admiserint, cum *Gentes* quoque *non Christianae*, ipsique *Turcae*, non minus longe lateque, nec impari iure, quam antiquissimi *Christianorum* Reges, dominentur.

In

In tabulis sane alteris foederum, cum *Galliae* Regno initorum, nomen *Sueonum* priore utique conspici loco, cum quidem antiquitus iam obtinuerit, *Gallis* ut *Britanni* locum semper digniorem concesserint, licet superioribus demum proximis annis litem ea de re excitauerint *Britanni*. Ac profecto, quae paulo post in conspectum producebatur Formula foederis, *Gallos* inter ac *Britannos* icti, *Galliarum* Regis nomen, in utroque tabularum exemplari, loco priore conspiciendum praebebat. Cum *Britannis* tamen, in hac eadem lite, *Gallos* facere, tum perhibebatur, publicarum quoque relationum, singulis hebdomadis dispergi solitarum, conditor, qui, sine consilio concessuque *Potentiorum*, chartis suis temere nihil consueuerat inserere, *Britannos Sueonibus* anteposuerat, non sine suspicione studii partium, subiungens, litem hanc iam esse diremptam, quam quidem bonus iste narrator, uel omnem omnino praetermittere silentio potuisset, nisi aliorum ei iussa hic fuissent exequenda. Vtramque igitur rem in istis relationibus corrigendam esse, monebat GROTIVS, uerum nihil promouebat. Illud etiam disceptatum inter *Sueonas* erat, singulari ne capite praecauendum esset, ut Legati *Sueonum* eodem, quo Regum aliorum Legati, loco numeroque ducerentur,

rentur, cum praesertim GROTIVS *Lutetiae Parisiorum* plus semel indigne nimis habitus esset. Verum, penitius omnia cum perpenderentur, optimum uidebatur esse, haec in praesentia dissimulare, ne priscam Regni *Suecici* dignitatem magis dubiam reddidisse, quam confirmasse, uideri possent. Ad euitandas tamen eiusmodi uellicationes, censebatur, reuocandum ex aula *Gallorum* esse GROTIVM, surrogato in eius locum alio, qui sola *Residentis*, ut uocant, dignitate gauderet. Ac iam pridem male *Sueonas* habebat, GROTIVM, donec LEGATVS esset *Sueciae*, scripta emittere in lucem, quae tum *Pontifici R.*, tum assecis eius, fauere haud parum uiderentur, quam rem *Protestantium* plerique interpretabantur siniſtre, confirmante licet GROTIO, *haec omnia se facere amore ductum pacis.*

Interim *Bernhardus* castellum *Rheinfeldam* obsidione cinxit. Initio quidem, cum Duces *Caesarei* sese coniungerent, *Dux* hic loci satis percellebatur, sed, ubi, finita liberatione, *Sauellius* in hac regione commorari coepit, non obstante, quod *VVerthius* fideliter suadebat, ut redire festinarent, *Dux* audax inibat consilium, *Caesareos* ex improuiso opprimendi, reportabatque uictoriam iustam, in qua omnes quatuor capiebantur *Duces*. Finita uictoria, *Dux*, sine mora, obsidio-

fidionem *Rheinfeldae* aggrediebatur denuo, quod castrum *Dux*, cum reliquis urbibus Sylueſtribus, *Friburgum* item in *Briſgouia*, capiebat. Post haec premebat *Briſacum*, et fame expugnare tentabat, in qua urbe inopia ſumma erat frumenti, quoniam urbis Praefectus, *Caeſareis* copiis ibi commorantibus, maximam eius partem relinquere fuerat a *Duce* iuſſus, aut, quod *Reinacherus* paulo ante, quam obſideretur, frumentum uetus, incitante auara ſua coniuge, uenderat, ſpe nouum coemendi, cuius facultas mox ei intercluſa fuerat. Idemque uetuſti frumenti genus, maiori ex parte, ad *Ducem Vinarienſem* erat perlatum, quippe qui milites ſuos, ad illud frumentum eo largius tutiuſque coemendum, clam, et ruſtico indutos ueſtitu, emiſerat. Eam uero culpam *Reinacherus* poſtea, ſingulari quadam obſtinatione, uelut expiare ſtuduit et compenſare. *Caeſarei*, urbem hanc tam eximiam in periculo eſſe, animaduertentes, duce *Goezio*, opem ei ferre cogitabant, uerum, ad pagum *VVeidemeierium*, non ſine ignominia, reiiciebantur, cumque rurſus ſubſidio ueniret *Lotharingus*, haud procul a *Thanna*, turpiter, nec ſine iactura, profligabatur. Itaque urbs, diuturniorem famem * ſuſtinere non ualens, certis quibuſdam con-

* *De qua fame uid.* Meriani *Topographia Alſatiae, p. 6.*

conditionibus, dedere sese ad extremum est coacta.

Ac iam peropportunum tempus sese offerre uidebatur *Protestantium*, in superiore *Germania*, res subleuandi, si firmas *Galli* auxiliares copias Duci *Vinariensi* mature submittere uoluissent, quod ipsum tamen et Gubernatores *Sueonum*, apud Regis *Galliae* ministrum, *Holmiae*, et GROTIVS noster, *Lutetiae Parisiorum*, impense flagitabant. At enim, tarde nimis et languide res haec omnis agebatur a *Gallis*, ut intelligi facile posset, *Gallos* optare quidem, molestias *Austriis* creari, res tamen *Protestantium* ita crescere, nolle, uti suis sese uiribus possent sustinere. Gubernatores uero *Sueonum*, e signis haud unis perspiciebant, *Gallum* ab Caesare haud ita esse alienum, prout *Gallici* quidem ministri prae se ferebant. Is, diu, ab obitu *Ferdinandi II*, nemine opinante, uestimenta induerat lugubria, legatisque interdixerat, alio, quam hoc, uestitus genere ad se adire. At *Regem* interea GROTIVS accedere intermittebat, qui de excessu *Imperatoris* haec habet,* *Imperatoris necem a ueneno, quidam, profectam, putant, quod dederint ei* VVallensteinianae *mortis propinqui uindices.*

Suc-

* *Epist. oper. mai. Ep. DCCXXIIII, ad* Axel. Oxenstirn.

Digitized by Google

Succeſſus haud felicior erat Tranſactionibus illis, reparandae communis cauſa Pacis *Coloniae Vbiorum* ſuſceptis, quem in locum haud quenquam e ſuis delegare in animo *Sueones* habebant. Non ſolum enim urbs haec omnis inimica in *Sueonas* mente animoque erat, uerum Pontificii quoque legati ſuorum expertes ſacrorum ne aſpectu quidem ullo dignari ſolebant, ita, ut, *Pontificius* quidam, *Veruinum* quondam, ad Pacem, *Gallos* inter et *Hiſpanos*, conciliandam, delegatus, abitum minaretur, niſi aditu prohiberentur *Britanni*. Verebantur etiam, ne non effugi poſſet altercatio, de Legatorum utrinque praerogatiua honoris, animos, dubio procul, exacerbatura. *Gallum* quidem arrogare ſibi locum, ab *Romano* Imperatore ſecundum, uerum, in *Conciliis*, ad Eccleſiam ſpectantibus, illud unum eſt obſeruatum, ut, quo maturius Regnum quodque *Romanae* ſeſe Religioni aſſociaſſet, eo dignior em occuparet locum. In rebus uero ciuilibus rem longe aliter ſe habere. Immo, ab Archiepiſcopo *Vpſalienſi*, locum primum Regno *Sueonum*, antiquitatis ergo, relinquendum eſſe, iam olim, in *Baſileenſi* quodam *Concilio* erat diſceptatum. Quod ſi, ante omnia, in diiudicanda Regnorum dignitate, uel antiquitas cuiuſque, uel finium amplitudo, ſpectanda ſit, his ipſis *Sue-*

ciam facile Regnis aliis praeſtare. Si quis obiiciat, iam praeoccupatum eſſe hoc ius ab Rege *Gallorum*, id uero, ſi uel maxime ita ſe haberet, longius tamen latiuſque extendi haud poſſe, quam in illos, qui iam ceſſerint hoc iure. *Sueonibus*, ab longo tempore, extra *Septentrionem* ſuum, nihil fuiſſe negotii, intra orbem uero ſuum eos haud cuiquam ceſſiſſe. Poſtea uero, quam longius latiuſque uirtutis ſuae dotes exeruiſſent, in foederibus ineundis, ceteriſque rebus conſtituendis, cum Regibus *Gallicis* paria feciſſe. Nihilo tamen magis *Auaugurius*, in *urbe Sueonum regia*, flagitare deſiſtebat, uti *Coloniam* legationes deſtinarentur. *Pontificem R.* controuerſiis, niſi *Pontificiis*, ſeſe immiſcere nequaquam conſueſſe. *Proteſtantium* res cum aliis, tum *Venetis* in primis, curae cordique fore. *Gallum* ſuos forſan legatos *Holmiam* ſimiliter antemiſſurum, prius tamen, quam *Sueones* accederent, gerendum haud quicquam eſſe. Quare, confeſtim legatos in *Batauiam* ire, iuberent, uti, literis commeatus ab Legato *Veneto* muniti, *Coloniam Vbiorum* recta petere queant. At enim, haec talia *Sueonum* Gubernatoribus parum placebant, cum praeſertim ne *Veneti* quidem res *Sueonum* curare uiderentur, quippe qui eo loco numeroque apud *Venetos* non erant, quo *Hiſpaniarum*, *Gal-*

Digitized by Google

Galliarum, Britanniarumue, Reges, qui, rebus quoque *Gallorum* in *Italia* inclinatis, *Hiſpaniae* Regi operam nauare annitebantur, inualeſcente hac apud *Venetos*, iam inde a temporibus antiquis, conſuetudine, pro flatu uenti dirigere uela. Verum, neque a *Venetis Sueonum* Reginae oblata erat ulla mediatio, neque ceterorum ullus Regum, de Conuentu illo, cum hac *Regina*, tranſegerat quicquam, exceptis *Galliae* Miniſtris, cum neceſſe tamen omnino eſſet, a Mediatoribus operam ſtudiumque offerri mature, *Sueonumque* Reginae pariter, atque aduerſariis, inſtituti rationes explicari, partis utriuſque ſententias audiri, ſupra rerum agendarum initiis, communi utrinque ſuffragio, ordinari, neutriuſque partis uel honorem negligi, uel ſecuritatem. Atque has quidem res cunctas *Sueonum* Gubernatores declarant *Auaugurio*, ob eaſdemque ab nemine in uitio ſibi temere poſitum iri, docent, ſi paulo cautius ad hunc ignem accedant. Si iuſto tamen more modoque res haec inſtituatur, morae in ſe nihil fore. *Veneti*, non ita multo poſt, miſſis ad *Sueonum* Reginam literis, conciliandae ſeſe Paci nequaquam uelle deeſſe, confirmabant. At, uel eo nomine, parum arridebant hae literae, quod non *Potentiſſimae*, uerum ſolo *Sereniſſimae*, nomine *Reginam* compellaſſent. Inſequenti tamen

tamen tempore, *Venetorum* Legatus, *Lutetiae Parisiorum*, coram H. GROTIO, *Sueonum* LEGATO, rem istam ita conabatur purgare, Nequaquam hoc feciſſe *Venetos*, quaſi minoris, quam decet, momenti *Sueciae* Regnum ducerent, uerum conſuetudine ſua, iam antiquitus recepta, neque uel *Galliarum* Regem alio, quam *Sereniſſimi* et *Chriſtianiſſimi*, uel Regem *Hiſpaniarum* alio, quem *Sereniſſimi* et *Catholici*, nomine in literis appellari. Regerebat GROTIVS, haud quicquam ſeſe *Venetorum* Reipublicae uelle praeſcribere, illud tamen conſtare, *Sueonum* Reges ab Regibus et *Gallorum*, et *Britannorum*, *Sereniſſimorum* nomine ac *Potentiſſimorum* compellatos nunquam non fuiſſe, eſſeque iniquum, ab ullo Principum eos, aut ab ulla Republica, nomine alio compellari. Pari ratione, Reges memoratos nomen fortaſſe *Chriſtianiſſimi*, nomenque *Catholici*, haud minoris facere, quam *Potentiſſimi* nomen Reges *Gothorum*. Minime uero latebat, quem ad modum iſtud erroris genus ab Republ. *Veneta* commiſſum eſſet. *Pontificis* enim *Romani* aula Reges hereditarios electis anteponere conſueuit, *Sereniſſimi* tantum nomen tribuens electis, hereditarios autem appellatione inſimul *Potentiſſimi* ornans, quam conſuetudinem, cum Imperatore, imitantur *Veneti*, quippe

Digitized by Google

quippe quibus de Regni *Gothorum*, ſub *Guſtauo Adolpho*, commutatione haud multum innotuiſſe, credibile eſt. Quodcunque igitur hac in re accidiſſet, illud omne a *Pontifice R.* dimanaſſe putabatur, cum praeſertim Reſp. *Veneta* in *Auſtriam* gentem ſocietatemque propenſa eſſet *Polonorum*, ab *Sueonibus* haud quicquam uel boni ſperans, uel metuens mali. Legatus quoque *Venetorum* GROTIO noſtro, *Lutetiae Pariſiorum*, honorem debitum deferre grauatus erat, multoque apertius, anno proxime inſequenti, Legatus alter, impulſu, haud dubie, tum aulae *Pontificis R.*, tum aliquot *Gallorum*, *Sueonibus* parum aequorum. Cauſa haec interſerebatur, GROTIVM ab *Oxenſtirna* ſolo, non ab ipſa *Sueonum* Regina, fiduciariis eſſe literis ſtipatum. Alter tamen iſte Legatus, paulo poſt, miſſo ad GROTIVM certo homine, de offenſa facere ſatis annitebatur, quicquid admiſſum eſſet, non dolo ulli malo, uerum errori, ex re minus perpenſa orto, aſcribendum eſſe, confirmans.

Ex iis, quae *Coloniae ad Rhenum*, hoc anno, in cauſa Pacis peragebantur, addam non nulla. Indicauerat *Galliarum* Rex *Ginetto*, Purpurato, *Pontificis R.* Nuntio, legationem ſeſe *Coloniam* deſtinaturum, niſi Rex *Pannoniae* cunctis, foedere cum ipſo coniunctis, literas ſalui conductus im-

impertiret, in primisque Principibus *Germanis*, item, nisi *Belgis* eadem in re gratificaretur Rex *Hispaniarum*, ab quo nihil tale adhuc potuerat extorqueri. Ad extremum Imperator, continentibus *Ginetti* precibus permotus, suis sese Legatis *Coloniae* praecipere uelle, pollicebatur, uti Principes quoque *Germani* literas accipiant salui conductus, conditione tamen haud alia, quam, ut *Germanorum* Delegati nihil, nisi per *Gallicos* Legatos, expedirent. Quare in spem ueniebat *Ginettus*, fore, uti prospere negotium hoc omne succederet, quoniam Rex esset pollicitus, si eius, quod dixi, generis literae sociis suis impertirentur, sese pariter et huiusmodi literas, pro Legatis Imperatoris, et *Coloniam* Legatos, transmittere uelle.

Post neque ita multo, H. GROTIO, *Lutetiae Parisiorum*, iussu *Sueonum* Reginae, ut maturarentur Transactiones, urgenti, Rex indicabat, litem sese, quam *Ferdinando*, de titulo Imperatoris, mouere coepisset, sopiturum, si is, pro Regni sociis et amicis, literas salui conductus impertiri non detrectaret. Postulante autem GROTIO, annitendum esse, ut ipsis, eorumue Delegatis, cum *Ferdinandi* Legatis, se interprete, liceret colloqui, regerebatur, in ea re operam adhuc frustra esse impensam, sique haec crambe recoquatur,

Digitized by Google

quatur, fore, ut intempestiuis materies moris suppeditetur. In quo responso GROTIVS quoque ad extremum acquiescebat, eo facilius, quoniam rem, quam Imperator flagitabat, et in qua Rex *Galliae* haud abnuerat, Reginae fraudi non fore, sentiebat, credens, cum eius dignitate potius coniunctum iri, si res sociorum per Reginae Legatos transigerentur. Missae tandem sunt ab Imperatore *Coloniam* literae salui conductus, pro Legatis *Gallicis*, proque sociis, eodem, quo *Sueonum*, genere formulae, quarum exemplum, cum *Hamburgi*, mittente *Ginetto*, acciperet *Auauxius*, suae, quam ipse concinnauerat, formulae tantum non praeferebat, haud quicquam desiderans in ea, exceptis uocibus his duabus, *Nondum Reconciliatos*. Contra ea, formula pro *Belgis* missa, utramque paginam facere haud uidebatur. Quamuis enim *Hispani* nomine *rebellium*, quo abstinebant inuiti, *Belgas* non compellabant, *Belgis* id nomen spernentibus, *liberi* tamen *Populi* nomen expetentibus denegabant, solum commune istud *Regis Hisp. Foederatorum* nomen ipsis largientes. Verum, pactione induciarum, alio formulae genere Legatis eorum erat prouisum, flagitarique iam ab iis haud posse uidebatur, ut alia ipsis formula et ab illa discrepans obtruderetur. Recusata igitur hac formula, commonebatur,

batur, priorem illam, quae sub tractandarum tempus induciarum fuerat perscripta, in praesentia formulam esse repetendam.

Ad Inducias quod attinet, anno isto, agitabantur non multa. Harum principio mentionem cum iniecisset *Pontifex R.*, iubente mox *Sueonum* Regina, de eisdem illis, H. GROTIVS, *Lutetiae Parisiorum*, cum *Chauignio* est collocutus. Ac *Chauignius* quidem, mirari sese, dictitabat, *Sueonas* ea sibi spe blandiri non dubitasse, totidem suppetias *Galliae* Regem ipsis, per Inducia-rum tempus laturum esse, quot quidem ad bellum gerendum is pollicitus fuisset, quandoquidem Induciae ad tempus haud breue sint faciendae. Inter alia, existimabat *Chauignius*, constitui utrinque numerum posse copiarum, quibus ab utraque parte limites sint muniendi. At GROTIVS censebat, *Sueonibus* hoc perinde esse periculosum, ac *Belgis*, qui necesse duxerint, per Inducias suas cauere, ne sibi non liceret, quantumcumque uellent, militum numerum, ad limites firmandos, reseruare, eandemque in sententiam ab Rege *Gallorum*, *Henrico* IV, tantundem ipsis suppetiarum, durantibus Induciis, quantum belli tempore, sine ulla detractione, suppeditatum fuisse. Reponente *Chauignio*, Inducias illas hoc futuras esse certiores, quoniam haud

haud uni has ineuntes plus uirium essent habituri, quam, ut ab hoste possint disturbari, subiiciebat GROTIVS, Loca, *Sueonibus* retinenda, tam procul ab ipsorum Sociis esse remota, ut in *Sueonum* potius, quam illorum, opc horum salus locorum sit sita. Postremo, uncialium millia ducenta, quotannis ab Rege submittenda, offerebat, immensos eius passim iactans sumptus, longius quoque, ut putabatur, progressurus, nisi *Petrus* quidam *Smalzius*, * per quem sua GROTIVS mandata ab Regina *Sueonum* acceperat, intempestiuo quodam et inani aduersus GROTIVM genere aemulandi, Ministris *Galliae* spem praebuisset, confore, uti *Sueonum* Regina suorum aliquid postulatorum remittat, resque adeo, quas in mandatis ab Regina GROTIVS habebat, turpiter enuntiasset. Hinc *Auauxio* nominatim praecipiebatur, ut istam de Induciis transactionem, una cum *Saluio*, in urbe *Hamburgensi*, tentaret, uncialium tamen haud plura, quam ducenta, millia, in singulos annos, polliceretur. Eum pecuniae numerum respuentibus *Suecis*, irritum uidebatur, Inducias moliri, maxime, cum initia iam se exererent Pacis ipsius, feliciores, quam istae

* *Smalzium* impurum et stolidum esse hominem, ineptum iuxta, atque indignum id genus negotiis, iudicabant Caesarei, *teste Pufendorfio*.

istae Induciae, progressus, ut apparebat, habitura, quippe, cum Induciae Bellum different illae quidem, una tamen cum Belli uelut apparatu essent coniunctae. Tametsi uero, Pacem minus, quam Inducias, *Richelio* arridere, plerisque persuasum erat, quod, redeunte Pace, reditura non dubie quoque Regina, mater, esset, cuius sane reditus non parum erat metuendus huic *Purpurato*, quod item, occasione Induciarum, *Lotharingiam*, locaque alia, quae occupauerant *Galli*, e manibus dimittere nolebat, una cum Pace fortassis reddenda, *Germanorum* tamen Ordines, Inducias cum non dubio *Germaniae* interitu coniunctum iri, iudicabant. Quin etiam *Sueonibus* Induciarum tractatus urgendi nequaquam sunt uisi, quam diu potiundae spes ulla Pacis relinqueretur.

Sub hoc uero tempus, d. v Septembr. eoque Dominico die, A. CIↃ IↃ CXXXVIII, in *S. Germano* susceperat *Ludouicus* XIII, Rex *Galliae*, ex Vxore sua, *Anna Maria*, *Hispani* Regis sorore, filium, *Delphinum* appellatum, *Ludouicum* XIV, Regem, postea factum, cum summa laetitia illius Regni, et cum admiratione totius orbis, nempe, quod hic partus successisset fere sine exemplo, uicesimo tertio sterilitatis anno illius Reginae, (licet *Bassom-*

Digitized by Google

Bassompetrus, *tradat, *Reginam* A. CIↃIↃCXXII iam fuisse grauidam, abortum tamen passam,) seu ipsiusmet Regis, ex occultiore quodam corporis uitio, in primis auersi, ut aiunt, naturalis meatus, catarrhique a capite ad uitalia membra defluentis, proueniente, ex quo Rex ille male affectas uires habebat, ut non tam pallidum, quam luridum, uultum praeferret. Quo quidem uitio, sagacitate cuiusdam medici, tandem deprehenso, facileque curato, et habitum corporis bonum, et foecunditatem, recuperauit. Alterum filium Regina peperit A. C. CIↃIↃCLX, eiusdem mensis Septembr. die uicesimo primo, qui nomen accepit *Philippi*. De eodem *Delphino* scribit GROTIVS, ad *Oxenstirnam*, [1]) item ad *Christinam*, [2]) eum, uix natum, dentibus praeditum fuisse, his additis etiam uerbis.

[3]) Delphinus, *cuius augustum nomen felicem facit libri tui clausulam, nutrices non lassat tantum, sed et lacerat. Caueant sibi uicini a tam matura rapacitate.*

Verum a *Britannis*, iam ante, spes erat *Sueonibus* praebita, de Societate ineunda. Quamuis ergo *Suecici* Regni Rectores bonae spei parum fouerent, consultatio tamen de hac eadem re ne-

*Memor. suarum Tom. II. 1) Oper. Mai. Ep. CIↃLXXXIX.
2) Ep. CIↃLXXXX, CIↃCI, et CIↃCII. 3) Ep. CIↃCCXXXI.

Digitized by Google

quaquam respuenda ipsis est uisa. Et *Palatinus* quidem, atque ipsa *Boiohemiae* Regina, *Britannicae* spem opis tantum non omnem deponebant, rati, si qua contra expectationem acciderent, in lucro esse deputanda. *Lutetiae* item *Parisiorum* Comes *Leicestrius*, *Britannorum* Legatus, H. GROTIO, qui *Britannum Palatino*, uel ob affinitatem, ante alios subsidio esse debere, pronuntiauerat, hoc dederat responsi, Ad eiusmodi regulam a Principibus rationes consiliorum dirigi haud consuesse. Sic, de Duce *Lotharingo*, quam de *Palatino* Principe, restituendo, plus cogitare uidebantur *Britanni*, ne *Gallo* aemulus deesset in propinquo, firmiore iam cum *Britannis* uinculo coniunctus foederis, cuius inter alias conditiones etiam haec erat, Ne *Britanni*, in impetranda *Palatini* restitutione, ita consentirent ullo modo, ut *Lotharingo* fraudi esse posset ea consensio, neue ulla cum ullo pacta inirent, nisi iusta *Lotharingi* restitutione diserte simul inserta.

Hoc foedus, quod *Lutetiae*, *Gallos* inter et *Anglos*, cudebatur, languide procedebat, et plane tandem frigebat, quandoquidem in aperto satis erat, *Anglos* bellum haud serio gesturos, sed potius, damno sumptuque alieno res suas agere, destinasse, neque florentissima suorum commercia, temere

Digitized by Google

mere turbaturos. At in *Sueciam* tum ueniebat, ab *Angliae* Rege missus, *Ioannes Barclaius*, qui multis testabatur, de desiderio Regis amicitiae priora uincula cum *Suecis* arctius astringendi, deque certo proposito, *Palatini* restitutionem consilio simul, et re, promouendi, subinde Foedus inculcans, utriusque Regni commodo pangendum. *Sueones*, cum intelligerent, *Anglum* in arma nequaquam erupturum, sed *Palatino* tantum opem laturum, ut adeo, quandocunque placeret, partibus subducere se posset, modestis uerbis se declinarunt. Vnde *Balsacus*, in Epistola quadam ad *Cardinalem Valettum*, haud inscite, de mortuo *Palatino Friderico*, sic scribit. *Quemadmodum olim pecora, sacrificiis destinata, coronabantur, ita fortunam Principi huic Regiam obtulisse coronam, ut uita priuaretur.* Ea mente Rex *Daniarum*, sermones inter familiares, his usus erat uerbis, Se se quouis, uel capitis, pignore posito, certaturum, ad *Palatini* restitutionem, communemue *Protestantium* rem causamque, a *Britannis* nihil quicquam collatum iri. Nihilo tamen secius, GROTIO, *Lutetiae Parisiorum*, per illud ipsum tempus, *Britanniae* Legatum urgente, Vt *Britanniae* Rex, aliquo duntaxat pecuniae subsidio ad bellum gerendum ne deesset, Legatus pernegauerat, abunda-

Digitized by Google

re pecunia Regem, subiiciente statim GROTIO, Vniuersi propemodum orbis *Europaei* commerciis in *Britanniae* uelut alueos confluentibus, non posse non capere incrementa reditus Regis, quippe, quae, illo tempore, sex milliones fere librarum *Britannicarum* excedere credebantur.

Sed non nihil querelarum hoc A. CIↃIↃCXXXIX, inter utriusque Regni Legatos, intercedebat, cum, *Salaio*, super mora subsidiorum querenti, *Auauxius* culpam in LEGATVM, HVGONEM GROTIVM, conferret, uelut, qui cum *Cardinale* & primariis Ministris parum communicaret, et in primis debitum *Cardinali* honorem, domi suae ipsum inuisens, denegaret. Illud quidem certum est, GROTIVM, quoad in *Gallia* LEGATIONE functus est, *Richelium* non accessisse, quoniam negabat iste Purpuratus, primum sese locum concedere Legatis. Ac *Maurerius* quidem, in *Memor.* suis, GROTIO id uitio uertit, quasi is priuatis affectibus suis non nihil dederit, pensionem fortasse, a *Richelio* subtractam, innuens magis, quam *Oxenstirnae* mandatum, *Maurerio* ignotum.

Ex singulari quadam, inquit, *pertinacitate, quam* ILLE *contra eum concepisset, uel, si dicendum apertius, ex* Hollandica *quadam et singulari obstinatione*, ILLVM, *cum magno hoc Mini-*

Digitized by Google

niſtro; licet, ob negotia ſua, indigere IPSO *minime poſſet, in gratiam redire noluiſſe, adeoque res ſuas tantummodo per ſubordinatos miniſtros, nempe,* Butellierium, Chauignium, Bullionium *aliosque, tractaſſe.*

Immo, alius quidam, iſque *recentior*, rerum harum *Scriptor* probare conatur, improbatam ab aula *Suecica* pertinacitatem fuiſſe GROTII, ideoque Legato *Suecico, Magno Gardio,* Comiti, A. CIↃIↃCLXXVIII, munus legationis *Gallicae* poſt GROTIVM ſuſcipienti, praeceptum fuiſſe, ut, ea in re omni, exemplum ſequeretur Comitis *Leiceſtrenſis, Anglorum* Legati. At res maioris momenti, maioriſque conſiderationis eſſe uidetur, quam, ut GROTIVS propere nimis hic redarguatur. Quod enim ab *Richeliana* parte ſolebat obiici, et Imperatoris R., et *R. Hiſpaniarum,* Legatos, ne in Purpurati quidem *Richelii* aedibus, dextri lateris honorem ei denegare, id quidem ſane ultra, quam aduerſum eos, qui iam ceſſerant, extendi poterat, nec *Sueonibus*, eorumque LEGATO, H. GROTIO, Viro in diſceptandis diſcernendiſque Principum diſſidiis uni longe omnium callentiſſimo, obſtare uelebat, aut eorum derogare iuri, iuſtiſſima utique Regni cauſa innixo. Abſonum quippe erat, Regem, alteri non concedentem Regi, ipſius cedere Mi-

Digitized by Google

niſtrò, *Paganis* ipſis, & ipſis *Mahumedanis*, iure haud impari gaudentibus regnandi. Cardinalitiae porro honos purpurae eſt cauſa phyſica, quae moralem effectum producere nequit, praerogatiuam uidelicet, dignioriſque ius loci, et, cum Eccleſiae *Romanae* munia, extra eius moenia, parui pendantur, contra *Proteſtantium* religionis decus peccaſſet GROTIVS, ſi, quantum Catholici ſolent Reges, tantundem ipſe honoris atque cultus purpurae iſti exhibuiſſet. Vnde excuſatio illa, quam *Maurerius*, in *Commentariis* ſuis, de GROTIO noſtro, profert, ſuo minime deſtituitur fundamento.

La couronne de Suede, *qui en etoit independente, ne deuoit pas ſouffrir ce mepris ſi preiudiciable a ſa dignité.*

Quare Legatus *Britannorum*, *Leiceſtrius* Comes, quod ſemel a ſe factum erat, hoc idem deinceps, cognito GROTII facto, qui cuiuis, in hoc genere, exemplum haud uulgare, momentique non leuis rationes, praebere poſſe iudicabatur, renuere coepit, libere profeſſus, Si GROTIVS id faceret, exemplum ſeſe GROTII uelle ſequi. Neque uero cauſa GROTIO erat ulla, quam ob rem, ſumma ratione ſua neglecta, praeiudicatas aliorum opiniones ſequi mallet, aut exempla Legatorum, qui ab ſuorum partibus Principum ſta-

Digitized by Google

starent, quam iura tueri *Sueonum*, sigillatimque acceptis ab *Oxenstirna* mandatis inhaerere, qua de re cuiusdam *Anonymi*[1]) uerba, notatu digna, hic adiungam.

Mr. de GROOT *etoit sans repoche, Richelieu l'admiroit, et le goutoit infiniment, et s'il lui temoigna quelque froideur, ce fut sur les soumissions, qu'il en pretendoit, et que le Chancelier* Oxenstern[2]) *defendit bien expressement de lui rendre.*

Id honoris genus an succedens GROTIO Legatus, Comes *Gardius*, Cardinali *Mazarino*, nude et sine ulla exceptione, concesserit, *Lectori*, ex insequentibus *Pufendorfii*[3]) uerbis, ex eius Rer. Suec. Opere, A. CIↃIↃCLXXVIII, depromptis, perpendendum, relinquamus.

Cum Comes Gardius *Ducem* Aurelianensem, *salutaret, dextrae manus honorem ipsi relinquebat, uelut, qui Altitudinis Regiae titulo, Tutorisque Regii, et summi per* Galliam *Vicarii, praefulgeret. Sed eundem honorem* Mazarino, *Cardinali, deferre, a* Regina *uetitum. Quod si tamen is legato dextrae manus honorem abnueret, uelut priuatus, et, exuta Legati pompa, ipsum adiret, ne, congressum plane defugiendo, offensae ansam praeberet. Inde, cum* Cardinalis, *in anteccessum, ad Legatum misisset, sciscitatum, quo honore is ipsum affectu-*

1) Reflexions sur le Memoires pour les Ambassadeurs, p. 76.
2) quod etiam supra, ex p 368, non obscure patet.
3) L. XVIII, §. CLXXIX, p. 678.

Digitized by Google

rius sit, responsum, Reginam *quouis ipsum honore dignum censere, sed neque Ministros Regum id dignationis obtendere posse, quod aequalitatis cum Regibus indicium sit, et, quam Cardinalitiae purpurae uenerationem Catholici Reges deferre soleant, a se deferri, praeter decorum suae religionis esse. Ita deinde* Cardinalem *adiit, uelut deposita Legati persona, tantum Nobilibus quibusdam stipantibus, nullo* Reginae *Ministro, aut famulo, comitante, qui et dextram manum domi suae sibi uindicabat.*

Verum, ad GROTIVM nostrum ut reuertar, instante *Auauxio*, ut *Saluius* de hoc submissionis genere literas *Holmiam* destinaret, quo GROTIVS, ea cultus et uenerationis apud *Richelium* delatione, *Purpurati* huius in res *Sueonum* studia magis magisque eliceret, docebat *Saluius*, Indecorum esse, Regem, alteri non cedentem Regi, Regis concedere Ministro, neque munia *Pontificis R.* extra Ecclesiae R. moenia, nedum in Regno *Gothorum*, magno loco numeroque haberi. Quae *Saluii* uerba declarant, *Richelio* cedere, concessum nequaquam fuisse GROTIO, interponenti autoritatem Mandati Regii, cuius tamen fidem cum in dubium uocarent *Galli*, controuersiam hanc omnem ad *Saluium* deferre malebant. Hinc illae lacrymae, hoc illud odium erat,

Digitized by Google

erat, quo GROTIVM Aulae *Gallicae* Purpurati, nominatimque *Richelius*, prosequebantur. De eodem, ut in suspicionem incideret *Sueonum*, euulgabant *Galli*, Ministeria eum *Britannica* prensare. Instabat sane *Chauignius*, euocandum e *Gallia* esse HVNC VIRVM, quippe a QVO nihil non de *Gallia Gallisque* sinistri spargeretur. Nihilo tamen secius, anno ineunte proximo, idem iste *Gallus*, sui mandato Regis, GROTIO confirmabat, Et Regem, et *Richelium*, suspicere ipsum, cum eoque peramice collocuturos et sine fuco. Quicquid ei contrarium forsan contigerit ante, Patri *Iosepho* esse tribuendum. Sentire iam *Richelium*, falsis eum indignisque criminibus peti. GROTIVS ad haec respondebat, Haud ignorare sese, cuncta ista, quae contra se concinnarentur aduersa, manare a *Batauis* suis, ab quibus semel tam indigne impetitus, atrociora quaeque in posterum expectare cogeretur.

Neque tamen eo magis *Galli* his lenociniis efficere ualebant, ut de sincera ipsorum erga sese fide et propensione dubitare desisteret GROTIVS, quippe quem alia ratione modoque apud *Sueonas* euertere satagebant, nihil perinde habentes in uotis, quam, uti cum Camera, quam uocant, stationum *Suecica* ille committeretur, ipsisque tandem *Sueonibus* taedium sui, tot col-

Digitized by Google

liſionibus, crearet. Ita *Galliae* Cancellarius, cum inuiſeretur a GROTIO, hunc infra ſe locaſſet, niſi e ueſtigio ſellam GROTIVS in locum digniorem tranſtuliſſet.

Vinariae Ducem, *Bernhardum*, ut in *Burgundionibus*, quam alibi, hiemare mallet, regionis ipſius, bellum quippe nondum expertae, rerumque omnium copia abundantis, amoenitas alliciebat, cum praeſertim defectum equorum ibidem ſupplere facilius poſſet, quam in iis *Germanorum* locis, in quibus bellum gerebat. At enim, hoc tali, haud alioquin contemnendo, conſilii genere ad ipſam rerum ſummam non multum proficiebat optimus ille *Dux*, conſultius utique facturus, ſi, primo quoque tempore, forti ualentique in *Germaniae* fines impreſſione facta, manus hoſtium diſtinere maluiſſet ac diſſipare, ne *Bannerius*, ab aduerſariis, omni ui imminentibus, *Caeſarearum* fines regionum, relinquere cogeretur. Neque uero paruam ſpem rerum, proſpere hoc anno gerendarum, *Suecici* Rectores animo praecepiſſe uidebantur, imminente Imperatori, ab una parte *Bannerio*, ab altera, Duce *Bernhardo*. Verum ea ſpes cur decollaret, altercatione fiebat *Gallorum* cum *Bernhardo*, de poſſidenda urbe *Briſaco*, quam obtinere mirum in modum anhelabant *Galli*, impenſe

Digitized by Google

se renitente GROTIO, uniceque hortante, uti *Gallorum* e faucibus oppidum extraheretur. Et optabat sane *Bernhardus* ille certum sibi, ad commodiorem tum belli, tum pacis, usum, eligere domicilium, eademque pariter ratione, et apud amicos, et inimicos, existimationem adaugere sui. Aperte quoque satis idem ille destinationes suas prodebat, nummo per id tempus cuso, *Saxonicis Brisacensibusque* insignibus superbiente. In ipso *Brisacensi* pacto, mentionem *Dux* haud ullam fecerat uel *Sueonum*, uel *Gallorum*, uel *Euangelici Foederis*, uerum cuncta solo sui nomine complexus erat. Quae quidem res mentes animosque *Gallorum* hoc magis commouebat, quia, cum *Alsatiam Galli* iam ante cessissent *Duci*, isque, huic *Brisacum* quoque, tanquam *Alsatiae* partem, addi, flagitasset, repulsam a *Gallis* tulisset, ab quibus hoc etiam fuerat animaduersum, anxie nimis a *Duce*, quicquid chartarum esset, ad *Brisacum Alsatiamque* omnem spectantium, fuisse requisitum, perinde, ac si, de urbe prouinciaque in perpetuum retinenda, res iam in uado esset. Instabant ergo *Galli*, pares ut, plures ue, praesidiarias *Gallorum* cum *Germanis* cohortes in urbem intromittere, ne recusaret, ut, si quid forsan accideret ei humano more, ab aduersariorum ea manibus tutior esset. Verum

Dux

Digitized by Google

Dux id exemplo purgabat *Philippiburgi*, eadem illa nationum diuersitate dissensioneque ab hostibus erepti. Ad auertendos tamen ab se solicitantes *Gallos*, atque, ut tempus sibi suppeteret *Brisacum* e sententia sua communiendi, *Dux*, *Rhenum* relicturus, euulgauerat, Proficisci sese in Aulam *Gallicam*, *Guebriano Gallisque* ad unum omnibus, eo nomine, secum deductis. At *Galli*, cum hac uia res non successisset, ad blandimenta conuersi, *Ducem* ad se in *Galliam* illicere, instituerunt, contendentes, incredibili quadam cupiditate Regem ardere *Ducis* tanti coram intuendi. Addebant, persuadendi causa, prompta parataque esse uniuersa, quae ad eum, pro dignitate, nec sine ambitione regia, excipiendum pertinere uiderentur. Verum, *Dux*, pro ea, qua pollebat, sagacitate, ne ad haec quidem annuebat, consultum haud fore, demonstrans, rebus in *Alsatia* passim minus plene perfecteque constitutis, se a militibus abesse, aulae praeterea deliciarum se penitus esse insuetum, quippe tantum non in ipsis natum altumque castris. Intelligentiores tamen ciuilium rerum existimabant, *Ducis* in aulam *Gallorum* aduentu, *Brisacum* haud dubie in manus peruenturum fuisse *Gallorum*, qui in ea re utique peccauerint, quod mature nimis suam prodidissent cupiditatem

Digitized by Google

tem urbis eius potiundae, cum illud ante omnia prouidere debuissent, *Duce* ut ipso potirentur. Atque has sane consilii rationes *Duci* suggesserat GROTIVS noster, hortatus eum, ut animum sibi sumeret Principe dignum, qui multas teneret terras, et cui, praeter summam necessitatem, relinquere fines suos, sine damno periculoque, haud liceret.

Cum neque his blanditiis aurem praeberet *Vinarienſis*, operam dabant, Principem per matrimonium allicere, dum ipsi Cardinalis *Richelii*, neptem, *Mariam de Vignerot*, alias Dominam *de Combalet*, postea Ducissam *d' Aiguillon*, offerebant, quam ille, ut *feminam*, sanguini *Saxonico* longe inferiorem et inconuenientem, repudiabat. Vnde *Richelius* non parum irritabatur, quasi uinculum is contemneret propinquae cognationis. De hac *femina* iam tunc fama exierat, quasi cum ipso *Richelio* rem haberet. Crescebat haec fama post obitum eius, cum uulgo dicerent, Ducem *Richelium* eius ex Cardinali esse filium, eaque fama sic percrebuerat, ut non modo plebs, sed etiam Optimates, hanc rem passim iactarent. Eodem illo tempore accidebat, ut femina quaedam aulica, rixans cum hac *Maria*, obiiceret ipsi, quod concubina esset Sacerdotis, quo cum liberos aliquot genuisset. Et omnino

Digitized by Google

no res ita se habebat. *Ducissa*, more feminarum, hanc ob rem indignata, subito, nec sine lacrymis, adibat Reginam, et, ad eius prolapsa pedes, uindictam petebat. Regina, iubens, eam surgere, uerba eius interrumpebat. *Charotus* una cum ipsa conclaue intrauerat, ut audiret, quid dictura esset *Maria*, quae, ob aliquas, inter se et illam ortas, dissensiones, similiter exosa ipsi erat. *Maria* coram Regina conquerebatur, a dicta femina sese *meretricem* (hoc enim ipsa utebatur uerbo) appellatam fuisse, quodque alii magis etiam mirabantur, erat, quod his uerbis falso subiiciebat, eandem dixisse, quinque, sex ue, liberos se suscepisse ex auunculo suo. Regina *Mariam* defendere cupiebat, sed *Charotus*, tantum temporis Reginae non relinquens, *Mariae* dicebat, Domina, non est, quod de re tam parui momenti commouearis. An ignoras, ex omnibus, quae in aula dicuntur, partem tantummodo minimam credi debere. Vix dum hoc uerbum protulerat, cum omnes, qui aderant, risum mouerent, et ipsa Regina, uidens, omnes ridere, simul ridebat, id quod *Ducissam* pessime habebat, cum, se coactam, uideret, sine satisfactione, ab Regina obtinenda, pedem referre. *Maria* uix erat egressa, cum decem et plures inuenirentur, qui, uocabulum *meretricis* exaggerantes,

Digitized by Google

rantes, dicerent, indecorum esse, illud audire ex uiro, nedum ex femina. Et profecto haec Femina, quae, uiuente auunculo suo, tantum non omnibus iniecerat terrorem, ludibrio iam nemini non erat. Confirmat hanc famam *Patinus.* [1] Vnde etiam facile colligi potest, qua de causa Comes *Suessionensis*, *Senneterrio*, Mariam ipsi, nomine Cardinalis, offerre iusso, alapam inflixerit, eundem haud dubie domo, non aliter, quam uerberibus, expulsurus, nisi astantes se opposuissent, uti patet ex *Vict. Sinio.* [2]

Pronior *Bernhardus* in *Rohanaei* Ducis Viduam iudicabatur, quod tamen arcanis *Galliae* consiliis aduersum erat. Periculosum enim uidebatur coniugium, per quod *Hugenottorum* res, iam labantes, denuo uires et fulcimentum acciperent. Denique id a *Bernhardo* poscebant *Galli*, ut, saltem in casum mortis, aut captiuitatis, *Brisacum Galliae* Regi cederet, quod tamen ipsum quoque recusabat, non parum frementibus *Gallis*, qui eam *Vinarienſis* contumaciam *Sueonibus* eorumque consiliis tribuebant. Ne tamen omnino nihil ageret, *Erlachium*, Heluetum, in *Galliam* misit, qui negotia et morbum praetexeret, quod *Lutetiam* uenire *Dux* non potuerit.

1) Ep. XIX, p. 74. 2) T. I, L. 2.

Digitized by Google

tuerit. Cum isto *Galli*, de tradendo, si quid *Duci* humanitus accideret, *Brisaco*, clam conueniebant. Erat enim pecuniae auidus, quae tum temporis haud parce in ipsum conferebatur. Sparsa interim fama, spem Transactionis omnem decollare, haec ipsa tamen fama, quod ab ipsis, qui, haec tractabant, sparsa erat, suspicionem ex oppositio auxit, maxime, cum constaret, *Erlachium* in iis difficilem non esse, quae lucrum et aurum praeberent. Ceterum, ut *Bernhardi* destinata eo magis infringerent *Galli*, et ad sua traherent uota, pecunias ipsi subtrahebant, quas e *Suecia* subministrari non posse, satis nouerant. Hinc, cum, nomine Reginae *Sueciae*, H. GROTIVS, LEGATVS, apud Regem *Galliae* instaret, ut Duci *Vinariensi* milite et pecunia subueniretur, prout in foedere promissum erat, quo bellum in ditiones *Caesareas* transferre posset, Rex ad illud petitum non tantum siluit, sed magnam quoque auri uim in *Heluetiam* et *Argentoratum* misit, ut milites conducerentur, ne scilicet suas *Vinariensis* copias et exercitum augeret. Nempe nolebant *Galli Vinariensem* habere uicinum et potentem, nec, ut bellum gereret suo, sed potius *Gallorum*, nomine, atque ut eorum mercenarius. Verum, abituram, haud dubie, rem in controuersias maiores, intercedens Ducis *Bernhardi*

turdi obitus, *Gallis* peropportunus, ratione optima componere est uisus. *Bernhardus* enim, uere iam inito, cum copiis ad fl. *Rhenum* iter dirigens, *Neoburgum* accesserat, alteroque die exercitum trans *Rhenum* transportare, atque hinc, uia *Friburgensi*, per *Syluam*, ut uocatur, *Nigram*, aduersariis obuiam ire, cogitabat, animosus spe que rei feliciter conficiendae erectus, quoniam *Bauari* se nondum coniunxerant, quibus dissectis, in ipsam *Bauariam* sese effundere instituebat, allato praesertim, de *Bannerii* aduersus *Hofkirchium* uictoria, nuntio laetiore, et, ecce, tam repentino morbi genere implicatur, ut fateri cogeretur, per omnem uitam exquisitiores sese dolores aegrotando non sensisse, hanc unam addens querelam, Se iam, in ipso bene rei gerendae cursu, ualetudine impediri. Commonenti, inter alia, *Mockelio*, copias militares in fide retinendas esse *Sueonum* Reginae, regerebat, Eas nemini cuiquam sacramento teneri, quam eidem illi *Reginae*. Morbo ingraescente, cum, extrema instare, uideret, testamentum paucis uerbis condidit, atque, id in secretum tempus certum asseruari, iussit, deinde animam suam, relictis terrenis curis, DEO commendauit, atque ita, inter clara pietatis indicia, placide exspirauit, cum et sermonis, et rationis, usum,

ad extremum usque spiritum, retineret. Hic pius Princeps, quoties animaduerteret saeua miserorum damna, militum effrenem licentiam, atrocissima flagitiorum scelerumque exempla, in morem uersa, detestatus ea, Timere se, dixit, ne, si uel maxime insons esset ipse, contagione saltem commercioque impiorum, aeternum in exitium abriperetur. Quoties, inter breuem morbi postremi moram, fassus est, non se tantopere poena peccatorum, et, quam sentiret, et, quam formidandam haberet, angi, quantum poenitentia, qui DEVM, innumerabilium beneficiorum munificentissimum largitorem, inobsequente ingratoque animo, tot modis, offendere non dubitasset. Nam, ad poenam quidem quod attineret, illam praesentem leuem esse, imminenti CHRISTI meritum interuenire, at, ingratae mentis animique sui, etsi, noxam abolitam, sciret, pudore tamen et poenitentia serio indolescere.

Fama postmodum communis fuit, mortem eius ueneno festinatam fuisse. Illud certum, paucis ante mortem horis, nigras, per totum paene corpus eius, maculas erupisse. Vnde aliqui malignam febrem suspicabantur, quae etiam, dum *Pontarlino* moueret, in castris, intra biduum, quadraginta homines absumpserat. Sed,

Sed, ueneno necatum, a pluribus creditum. Nam, neminem eorum, qui circa uiuum, aut mortuum, uerſati fuerant, iſte infecerat morbus. Excuſare ſe quidem uoluerunt *Galli*, horumque *unus*, peſte ipſum obiiſſe, confirmat, uerum ex inſequentibus, rem aliter ſe habere, patet. *Non ueneno*, ait *Laborator*, in uita Ducis *Guebriantii*. Cum tamen ſuſpiciones adſint contrariae, eaeque tam graues, uix ut, ea de re dubitare, permittant. Legatur ſubſequens *Medicorum*, qui corpus eius ſecuerunt, *Narratio*, eaque lecta, iudicium feratur, num, quatuor diebus illis, quibus decubuit, tanta commutatio fieri potuerit, et, ſi orta ex ſeſe eſſet, an non multo ante aegrotandum ei fuiſſet.

1) *Quo magis in mortem Ducis* Vinarienſis *inquiro*, ſcribit GROTIVS noſter, *ad* Axel. Oxenſtirnam, *eo certior fio, nullas in domo cauſas. Itaque ueneni fama reualeſcit, de maxime ſuſpecto eius medico Geneuenſi, qui ad morbi colici remedia accitus fuerat.*

In corpore enim, quod, ſtatim ab eius morte, apertum fuit, notae ſequentes ſunt animaduerſae. In dextera colli parte, puſtulae ingentes duae, nigricantes, ueneno turgidae, ſub merito puſtulae tres, igni rutilantes, totum cor-

 pus

1) Ep. CIↃIↃCXLIX, p. 566.

pus mortiferis oppletum maculis, idemque, post sectionem, foetore taeterrimo redolens intestinis quoque adeo suffusis, ac si coagulato nigricantique sanguini fuissent immersa. In corde malignitas quidem nulla perspici potuit, eius tamen latitudo ualde fuit coarctata, camera etiam cordis, quam uocant, aqua non parum repleta. Stomachi non tam exterior, quam interior, malignitas est reperta, lentoris uiscosi genere adhaerescente, nigro colore et adusto, ut uinaceo, quem uocant, pano haud absimilis uideretur. Pulmo uenenatis plenus erat pustulis, putre quid purulentumque destillantibus, hepar nigrum prorsus et putrefactum, bilis minime parua, sed tantum non uacua penitus, splen tantae magnitudinis, tantique tumoris, qualis a praesentibus medicis et chirurgis antea nunquam erat uisus, uesica sine ulla prorsus urina, spatium corporis concauum, aqua repletum, in eaque flaui coloris materia quaedam coagulata, sex manipulis maioribus, uix, ac ne uix quidem, exhaurienda, cerebro tamen eximie pleno integroque existente. Venenum sese accepisse, ratus est ipse. Cum enim Aurantium ei malum insigne obtulisset Medicus quidam, eo cupide comeso, confestim erga prope adstantem sibi tubicinem conquestus est his uerbis, *Quam male me habere inci-*

Digitized by Google

incipio! Oblatum mihi uenenum est. Chirurgi, dum corpus aromatibus condit, manus paulatim a cranio perstricta, statim intumescebat, mox et brachium tumore corripiebatur, idemque, gangraena accedente, undecimo post die, extinguebatur, nullo alterius morbi signo.

Peculiarem Dominatum stabilire meditabatur *Bernhardus*, tertium aliquod factionis genus, in hoc bello, sibi comparaturus, cuius ipse esset caput, et cuius ope operaque *Gallos* ac *Suecos* e *Germaniae* finibus expelleret, coeptum in *Alsatia* dominatum confirmaret, eoque consilio, cum *Hassiaca Casselana* Vidua, matrimonium iniret.

Annorum fuit quinque et triginta, quorum maximam partem in bello transegit, *Gustaui Adolphi* tiro insignis, nec infelix, immo, si unicam cladem *Nordlingensem* excipias (qua ne in hostium manus incideret, a centurione quodam, ex *Tupadelii* dimachis, subministratus equus effecit) paene semper uictor, producturus haud dubie palmas suas ulterius, si superuixisset, quippe quas praeclaras ei et uarias, in ultimis uitae annis, contulerat fortuna. Facta, quae orbis nouit, hic repetere, quid attinet? Illud inter omnes constat, necesse esse, ut opinionem homi-

num uirtute ualde uincant, qui efficere uolent, ne sequens tempus ostendat, quantum in hoc uno fuerit situm. Vnde GROTIVS, iure de ipso praedicat, *Decus eum et ultimam spem Germaniae fuisse.*

Pronepos fuit *Ioannis Friderici*, Electoris *Saxoniae*, quem, priore seculo, *Carolus* V, in proelio apud *Mulbergam* captum, Electoratu et magna ditionum parte priuauerat. Ipse A. CIↃIↃCIV natus est, minimus quidem inter undecim fratres, qui etiam fere omnes arma contra *Caesarem* gesserant, sed, belli gloria, animique magnitudine, et felicitate, omnium clarissimus. Nec foedum scelus, haud dubie a *Gallis*, autore Cardin. *Richelio*, patratum, ab Ecclesiaste, concionem funebrem habente, dissimulatum fuit, idque a Medico *Geneuensi*, cui *Blandimo* nomen, mixtum ei putabatur. Perlatae etiam *Basileam* erant Epistolae, longinquis ex locis perscriptae, explorantes citius de morte *Ducis*, quam, de ipso aegroto, in eas regiones, unde uenerant, penetrare quicquam potuisset. In aula quoque Imperatoris *Romani* iam pridem aliquid eiusmodi percrebuerat, *Bernhardum* uictoriis suis ad breue tempus fruiturum. Nimirum tantisper *Gallis* accepta uirtus erat fortissimi integerrimique *Heroïs*, quoad usui erat ipsis et emolumento, iam autem,

autem, cum luculentior ex ipsius internecione spes commodi uideretur affulgere, immani et ab omnibus posteris execrando sceleris genere, non ab aduersariis, uerum ab ingratissimae mentis animique amicis, est extinctus. Haud multo ante obitum, cum *Bernhardum* Imperator, per *Sigismundum Heusnerum*, familiarem quondam *Ducis*, in partes suas pertrahere conaretur, denegabat *Dux* corruptori aditum omnem, plagas ei minitans, nisi desisteret solicitando. *Heusnerus*, mutata mox persona, dixisse perhibebatur, Imperatorem in uotis habere, ut Transactionum rationes inire *Bernhardus* et moderari ne detrectet, autorque adeo sit reparandae Pacis. Cognoscere ille tantummodo, quae uellet proponere, siue annuere, siue abnuere, siue cum *Gallis* ea communicare, mallet, id omne liberum ei licitumque fore, neque se quicquam per insidias machinari cogitasse, Imperatorem quoque ipsum, facto iam initio, ampliori dignitate autoritateque praeditis hominibus Transactiones commissurum esse.

Diuulgato *Bernhardi* obitu, atque in aulam perlato *Ludouici* Principis, El. *Palatini*, hic, instigante potissimum *Arausionensi* Duce, in *Britanniam* contenderat, ad corradendas ibi pecunias militares, quo gratior eius aduentus accideret

Digitized by Google

ret exercitui Ducis *Vinariensis*. Verum *Galli* de *Palatini* cupiditate iam certiores erant facti. Is apud *Molinum* detentus, pro captiuo habitus fuit, donec exercitum *Vinariensem* et *Brisacum*, ope maxime et auxilio *Erlachii*, in potestatem redegisset *Galli*. Primus, inter *Europae* Principes, factum detestatus est Rex *Daniarum*, qui, scriptis, sua manu, ad *Reuentlouium* literis, postulauit, ut liberationem *Palatini* apud *Auauxium*, Legatum *Gallicum*, urgeret. Ea nisi, absque mora et citra sponsionum uinculum, fieret, Regem iniuriam, Electori illatam, pro sua accepturam. Cui cum dictus *Auauxius*, comiter excusato facinore, responderet, Liberationem *Palatini* statim secuturam, si *Anglus* arma cum *Gallis Sueciisque* sociare uellet, *Reuentlouius* regessit, neque de foedere, neque de aliis rebus, agendi locum fore, nisi prius in libertatem restituto Electore. Neque segnius *Rocorus* et *Rustorfius* apud *Saluium*, Legatum *Suecicum*, querebantur, arguentes, id factum esse in gratiam *Bauari*, cui cum *Gallis* secreta foedera sint, simulque petebant, ut Reginae *Sueciae Palatini* causa commendaretur. Quae etiam postea, modestis literis, ac per LEGATVM GROTIVM, pro illo apud Regem *Galliae* liberando, intercedebat, facilem exorari, postquam destinatis suis potitus esset. Quanquam ita cau-

sam

ſam iubebatur agere *Palatini* GROTIVS, ut ne offenſam Regis, aut ſuſpicionem, incurreret, uelut is, *Suecorum* inſtinctu, ea, quae in fraudem *Galliae* tendere uidebantur, conſilia ſuſcepiſſet. Interim de *Palatini* Electoris liberatione nihil non agebatur, quem iure meritoque ab ſeſe retineri, *Galli* contendebant. Prius enim, quam e *Britannia* excederet, Regis *Galliarum* iuſſu, et cum ipſo, et cum *Britanniae* Rege, de copiis *Vinarienſibus*, Electori tradendis, non ſine certis quibuſdam legibus, actum fuiſſe. Verum, inſtigantibus *Hiſpanis*, eum in ſuam poteſtatem redigere has copias molitum eſſe, urbem quoque *Briſacum* et alias urbes, ab Duce *Bernhardo* quondam occupatas, uti, his reſtituendis, ſuum ſibi *Palatinatum* recuperaret, quae tamen *Palatini* conata ipſe *Leiceſtrius* Comes *Britannorum*, noluerit approbare. Turbatis igitur his *Palatini* circulis, GROTIVM ſua ſponte *Chauignius* commonefaciebat, allatis nondum Reginae *Sueonum* literis, ut ad Electorem liberandum operam ſtudiumque conferre ne grauaretur. Senſim uero paulatimque ut procedere uiderentur *Galliae* Miniſtri, proponebant initio, *Lutetiam Pariſiorum* introeundi copiam *Palatino* denegatum haud iri, modo per certum ſcripti genus demonſtret, Nihil quicquam ſeſe per *Vinarienſes* copias tentare

Digitized by Google

cogitasse, sine uoluntate consensuque Regis, neque in posterum rem se ullam contra *Gallos* moliturum, atque, ut H. GROTIVS et *Leicestrius* Comes, interposita fide sua, caueant, Principem, *Lutetia Parisiorum*, inuito Rege, non discessurum. Verum GROTIVS, una cum Legato *Britannorum*, hoc tale cauendi genus respuebat, sentiens, ab *Gallis* haud obscure innui, exercitum *Vinariensem* Regis fuisse *Galliarum*. Paulo post, cognito, GROTIVM ab Regina *Gothorum* accepisse mandata, uti rem ageret Principis *Palatini*, custodes huic plures addebantur, quo certiorem fortasse maioremque cautionis formulam exhibere cogeretur. At GROTIVS, missas ex aula *Sueonum* literas, dato consueti moris aditu, tradebat, easdemque accommodato perapte ad misericordiam excitandam orationis genere comitabatur, luculenter exponens de inclytae *Gentis Palatinae* splendore pristino, quae, tot florentissimis antea regionibus felix, in secularium, qui uocantur, *S. Imperii R.* Principum numero, loco numeroque principe fuerit, Vicaria quoque gauisa Imperii eiusdem administratione, iam autem, sine regione, sine populo, exulum more modoque, apud externas gentes degere cogatur. Ipsis quoque *Gallis* nunquam non impense hanc Domum studuisse, *Henricique M.* ius in regno suc-

Digitized by Google

ſuccedendi, quod ei, per maximam uim et iniquitatem, in controuerſiam uocabatur, quoad eius rei fieri potuerit, tuendum ſuſcepiſſe. Eidem Gentili longe infenſiſſimam, omni tempore, *Auſtriam* fuiſſe, quae adhuc quoque alterum *Palatinatus* Principem retineat in cuſtodia, continentemque eius captiuitatem exoptare credatur. E contrario Principis liberationem cunctis per omnem *Germaniam Proteſtantibus* compluribuſque aliis, uel maxime gratam acceptamque fore. Ad ea Rex, in miſerationem propliuior, cum regeſſiſſet, Non ſine certa quadam ratione cauſaque haec eſſe facta, neque in Principem ſeſe unquam alio, quam bono, fuiſſe animo, ſubiiciebat GROTIVS, Si qua in re aberratum a *Palatino* ſit, ignoſcendum id eſſe iunioribus eius annis, conſiliiſque aulicorum, minus interdum ſanis, aſcribendum. Optimum conſultiſſimumque fore, ad reparandam utrinque beneuolentiam, ante acta ſempiternae obliuionis lege ſepelire. Comiti uero *Leiceſtrio* interdictum ab Rege *Britanniarum* erat, prius agere quicquam, in cauſa *Palatini*, quam libertati eſſet reſtitutus, perinde, ac ſi metu *Gallum*, ad Principem dimittendum, cogere niteretur, *Gallis* parum habentibus curae cordique *Britanniae* Regem, motibus inteſtinis iam tum plus ſatis diſtractum. Poſtremo,

Digitized by Google

mo, data *Palatino* potestate, quocunque cuperet, discedendi, formulam ei tamen cautionis Rex non reddidit, ab Electore ex custodia Regi missam, cuius haec erat summa, Sese nihil quicquam aduersus *Gallici* Regis acturum esse emolumenta.

Per idem tempus, A. C. CIↃ IↃ CXL, Foedus nouum, *Belgas* inter et *Saeonas*, sanciebatur, licet de ipso negotio minus difficulter, quam de ceremoniis quibusdam, conueniret, propterea, quod *Belgae*, eodem loco numeroque duci, cupiebant, quo Regii Legati, idque ex Decreto illo, quod, anno proximo, ab OO. Generalibus confectum erat. Et initio quidem, transitum ab iis per *Hamburgensem* urbem, et *Saluio*, et *Auauxio*, insalutato, ea de causa fuisse factum, non nulli existimabant, quasi uererentur, ne, si prius *Auauxium* accederent, *Saluius* indignaretur, cum plerunque iste, qui, salutandi gratia uenit postremus, aditu soleat excludi. Verior tamen haec fuerat causa, transeuntes, ab illis priore loco salutari, maluisse, licet *Saluio* ne de aduentu quidem suo, consuetudine alioquin solenni, indicium feciſſent ullum. Illud enim, Regios inter Legatos, cum quibus Legati quoque *Venetorum* cupiunt exaequari, usu uenit, ut is, qui prior est urbem ingressus, ab altero seriusque uenien-

Digitized by Google

nientę, per certum ex eius comitatu hominem, de aduentu certior fiat. Tum uero, qui prior uenit in locum, ad alterum illum ex ſuis quendam remittere ſolet, qui tempus exploret, quo poſſit ipſum conuenire. At uero, circa Legatos e *Belgio* miſſos, uariatum fuerat *Lutetiae Pariſiorum*, plus ſemel. *Belgarum* enim Legati, qui uenerant ultimi, ſuum *Daniae* Legato aduentum ſignificauerant, eundemque conuenerant priores. At *Britanniarum* Legatus, *Leiceſtrius* Comes, cui milites centum erant in *Batauia*, mittentibus ad eum *Belgicis* Legatis, et ipſe ad eos miſerat, et inuiſerat apud eos prior. Idem exempli genus etiam GROTIVS ſequi malebat, quam, uideri memoriam nimis adhibere calamitatum, quas olim in patria ſua deuorare fuerat coactus. Licet res haec in exemplum abitura iam tum uideretur, quandoquidem, hoc facto, Legatus *Etruſcus*, *Genuenſis*, *Sabaudus*, idem honoris ſibi genus expetierant, noua iſta *Batauorum* Republica nequaquam ſe eſſe inferiores, utique contendentes. Tali modo nulla GROTIO facultas erat relicta cum iis colloquendi, quae res incommodum utrinque creabat. *Galli* uero, tametſi nunquam non aliis fuerat ſuaſores, uti *Belgarum* Legatis quam libentiſſime concederent ubiuis, tamen, quae dicebant, ne

ipſi

ipsi quidem obseruabant. Nec enim aditu GROTIVM dignatus est *Galliae* ad *Venetos* Legatus, neque nomine ipsum *Excellentiae* compellauit, neque *Belgis* idem, qui *Venetis*, honos in *Gallia*, sub ingressum, aut in admissione prima, exhibebatur, *Venetis* quoque ipsis, *Belgas* aequari sibi, ferentibus indigne. Nec ulli praeterea Legato, qui missus ab aliquo Rege non esset, *Excellentiae* nomen datum erat, praeterquam *Venetis* solis. Etiam apud *Britannos*, *Belgii* extra ordinem Legatus, *Sommerdykius*, quantumuis, eo consilio, non pauca machinaretur, uti et a *Gallorum* Legato, et *Venetorum*, prior inuiseretur, compos tamen uoti non factus, *Galliae* Legatum adierat sua sponte. Huius igitur exemplo, Legatus etiam *Venetus*, in adeundo prior esse, recusabat. Quin etiam iidem hi Legati, *Holmiam* profecti, *Sueonum* Rectoribus tradebant literas, inter alia hisce uerbis inscriptas, *Circumspectis et ualde Discretis*. Etsi uero haec nomina mercatorum potius similisque hominum generis ordini conuenirent, post non tamen nullam dubitationem, referere literas postremo uisum est, Legatis quidem una commonitis, ut ab his talibus literis in posterum afferendis abstinerent. Neque illud non pariter insolens uidebatur esse, literas, quas uocant, fiduciarias argumentum simul exhibere ipsa-

Digitized by Google

rum rerum, ab Legatis exponendarum. Ac Legati quidem ad Reginam *Gothorum* admittebantur, Ducibus tamen non Senatoribus Regni, prouti Regiis Legatis fieri solet, uerum aliis duobus uiris, dignitate praeditis haud uulgari. Dicturi, coram Regina, Legati, capita sponte operiebant, quae res ab aulici cultus indole non parum discrepare existimabatur, quando ne Regii quidem Oratores, Reginas allocuturi, licet inuitati, capita, nisi commonefiant, operire consuerint. Iidem illi, ad colloquendum cum Delegatis Reginae, deducti et a Regni duobus Senatoribus, apud extremos scalarum gradus, excepti, ad sinistrum sese latus recipiebant, Delegatis Reginae dexterum occupantibus locum, quos iisdem, quibus ipsi compellebantur ab iis, *Dominationum Illustritatumque* nominibus excipiebant. Ne *Oxenstirna* quidem, Regni Cancellarius, alibi, quam ad conclauis introitum, cum ipsos, inuisendi gratia, forsan accessisset, erat exceptus, et, cum is digrederetur, intra idem comitandi spatium substiterat honos. Ea res, cum exprobaretur a *Sueonibus*, ab illis parum accurate excusabatur, et, cum, *Excellentiae* nomen sibi tribuendum esse, *Sueones* postularent, de hoc ipso in partem utramque, in Senatu Regni, disputabatur.

In

Digitized by Google

In Gallia *Henricus Deffiatus*, *Quinque Martius*, magnus ſtabuli Praefectus, et *Franciſcus Auguſtus Thuanus*, libellorum ſupplicum Magiſter, triſte ſpectaculum exhibuerunt. *Quinque Martius*, animi corporiſque dotibus inſignis, poſtquam in intimam Regis beneuolentiam admiſſus eſſet, odiſſe coepit *Richelium*, per quem a ſperatis *Mariae Niuernenſis* nuptiis prohibebatur, cum praeſertim, potentiae pertaeſus, multa de moribus et ſuperbia *Richelii* conquereretur. Iccirco, ut ſe contra *Cardinalis* autoritatem muniret, *Aurelianenſem* et *Bullionium* ſibi coniungit, et promittit, deturbaturum ſeſe eum, quem timeret, perſuadet etiam Ducibus, cum *Hiſpano* foedus inire, quod, ſequeſtro *Fontrallio*, *Madriti*, clam eſt perfectum. *Thuanum* quoque, licet diſſuadentem, rei conſcientia illigat. Haec propere, aut artibus *Richelii* detecta ſunt, aut, quod apud *Gallos* taciturnitate nihil continetur, Regi denuntiata per *Chauignium*, ad omnia miniſteria *Cardinali* deuinctum. *Narbone* igitur *Quinque-Martio* et *Thuano* iniiciuntur manus, illo ipſo die, quo Rex mane amplexibus et oſculis *Quinque Martium* dignatus erat, et blanda allocutione egerat cum *Thuano*. *Caſaliae* idem *Bullionio* factum, qui tamen, Principis *Arauſionenſis*, affinis, commendatione, ac *Sedano* in pretium liber-

Digitized by Google

libertatis dato, cum uenia dimittitur. *Quinque Martius* et *Thuanus Lugdunum* deducuntur, ubi per selectos iudices, *Richelii* uindictae paratos, nondum audita accusatione, ultimo supplicio damnantur. Ferali in pegmate utrique capita incisa, miserabili ciuium aspectu, moerentibus populis. *Richelius*, poena semper, nunquam poenitentia, contentus, iussit supplicium, et fere spectauit, ac, quasi suspiria morientium libens excepturus, *Lugduno* aegre est digressus. Omnium luctu comploratus est *Thuanus*, Vir togatus, ex *illustri* familia, cui Parens fuerat *Iacobus Augustus Thuanus*, florentissimus rerum *Gallicarum* scriptor, in Senatu *Parisiensi* nominis magni Praeses, longa auorum serie, insignes familias, per affinitatem, complexus, alienus omnino ab amici perfidia, unius silentii reus, morte damnatus, tunc uita dignior, cum eam, Christiano sensu, aspernaretur, mortemque, perspecta rerum mortalium uanitate, laetissimus obiret. Causa, cur in hunc *Thuanum* iuniorem, saeuitum sit, haec fuisse dicitur, quod Pater, modo laudatus, in Opere historiarum sui temporis, de *Antonio, Richelii* patre, liberius scripsisse uisus esset, qua de re *Guido Patinus*[1]) ita loquitur.

L'Histoire de Mr. le President de Thou *est belle,*

1) Ep. CLXX, p. 46.

Digitized by Google

et plus, que belle. Mais elle deplut, ſi fort au Cardinal de Richelieu, *qu' il en fit perdre la uie au fils aîné de l'auteur, qui etoit un fort honnet homme et cela pour un paſſage* d'Antoine du Pleſſis de Richelieu, *qui eſt dans le 1 Tom. ſous* Francois II, *l'an.* CIↃIↃLX, *apres qu' il a parlé de la conſpiration d'* Amboiſe *&c. Ce paſſage commence ainſi,* Antonius Richelius, *uulgo dictus* Monachus *&c.*

Et[1]) alibi,

I'ai touiours dans l'eſprit le paſſage de l'hiſtoire du Preſident de Thou, *ou il eſt parlé d'* Antoine de Richelieu, *appellé uulgairement le* Moine, *qui a couté la uie a ſon petit fils. Il eut bien mieux ualu ne pas ecrire. Que fait on, ſi dans quelque ſiecle, il ne ſe trouuera pas quelque tyran, qui lanceroit ſon foudre ſur ma famille de chagrin, que i' aurois ecrit quelque uerité de ſes ancetres. On n'eut pas coupé la tete a Mr. de* Thou, *ſi le Cardinal de* Richelieu *n'eut cherché l'occaſion de ſe uenger ſur le petit fils, de ce qu' auoit ecrit le grand Pere.*

Vnde ſoror *Thuani*, manibus fratris large illacrymans, ad *Richelii* tumulum conuerſa, haud illepide exclamabat, *Domine, ſi tu hic tum fuiſſes, frater meus mortuus non fuiſſet.*

Verum, tam triſtibus exequiis non diu ſuperſtes

1) Ep. LXXV, p. 150.

Digitized by Google

ſtes fuit *Richelius*, qui, cum ob ulcus internum, in laeuo brachio ortum, aeger decubuiſſet, IV Dec. CIↃIↃCXLII, anno aetatis LVII, mortalitatem exuit, opportune profecto, Regi haud ferendus, ut apud *Priolum* [1]) uidere licet. Dies ei ſupremus fuit *Mercurii* dies, quo die GROTIVS ad *Mauſterium*, a meridie, per iocum dicebat, *Non illum effodiam*, Epicedium ei mortuo ſuccinebat tale.

CHRISTIANOS PRINCIPES MVTVIS ARMIS ET ODIIS EXERCVIT. AVLAM HOMVNCIONIBVS * REPLEVIT. LVSIT EVROPAM.

Cum quo conſentit *Vict. Sirius*, his [2]) verbis. *Abſtulit haereſi ccc arces, ne eſſet rebellis. Oſtendit* Proteſtantibus *in* Germania, *placere eorum libertatem, non fidem. Vtinam non et fax ſibi alio ſit in orbe, qui in hoc* Europae *fuit.* Galliam *ſubegit*, Italiam *terruit*, Germaniam *quaſſauit*, Hiſpaniam *afflixit*, Luſitaniam *coronauit*, Lotharingiam *cepit*, Cataloniam *excepit*, Sueciam *fouit*, Flandriam *truncauit*, Angliam *turbauit*,

1) Libr. I. Rer. Gall.

* Quod uerbum *homuncionibus*, interprete *Maurerio*, ex mente GROTII, non ad alios ſpectabat, quam ad lepidos iſtos uiros *du Pont de Courlay*, in primiſque *de Noyers*, quorum unuſquiſque in ſe reducto uultu, humeriſque incuruis, et forma deformi, praeditus erat.

2) P. XV, p. 58, 62, 1553, ſeqq.

Digitized by Google

Europam *luſit.* *Mortui corpus rheda extulit, ſecuti equites pediteſque, magno numero.* *Faces praetulerunt ephebi, crucem nemo, quia currus uehebat publicam.* *Rerum exitu, non conſiliorum prudentia, felix.* *Regiae pecuniae prodigus, ſuae parcus.* *Crudelis, offenſus, ubi offenderat, crudelior, extitit.* *Ne mortuae Reginae, Matri, parceret, ſupremas eius uoluntates reſcindi, et inſepultum cadauer, per* v *menſes, poſt quos ille extinctus eſt, in cubiculo relinqui, uoluit.* *Nec, hominem mortalem ſe eſſe, memineratetiam, cum ebullientes e multis ulceribus uermes admonerent, quam leui et foetidae corruptioni obnoxius eſſet.*

Huic aſſentitur *famoſus Libellus*, ante Annum CIↃIↃCXXXVI, in ipſum editus, aliqua parte ſic eum depingens.

Noſtre Saul *n'eſt pas entierement deliuré de cet eſprit malin, attendu qu'il iette encore ſes lances de colere contre ceux, qui auec la harpe de leurs perſuaſions tacherent de chaſſer ce Demon. h. e.* Saulus *noſter*, (ita Cardinalem, per quem res omnes feruntur, autor uocat) *nondum bona fide liberatus eſt a ſpiritu illo maligno* (feruorem bellige-

Digitized by Google

ligerandi innuit, et subditos nouis exactionum commentis emungendi) *quippe adhuc eiaculatur irae suae lanceas in eos, qui persuasionum suarum plectro atque cithara profligare hunc Daemonem conantur.*

Ibidem hoc inter alia additum erat.

Les Medicins disent, que la maladie de Monseigneur le Cardinal *uient de l' abondance du sang. Ie le crois bien, car il est en cause de tout ce sang, qui a été repandu iusques icy en* Alemagne *et en France.* i. e. *Dicunt Medici, nimiam sanguinis copiam lecto affixisse Dominum meum* Cardinalem. *Equidem de facili credo. Ipso enim autore ac suasore omnis ille sanguis hactenus in* Germania *effusus est et in* Gallia.

Et *Patinus* ait.

1) *Le Cardinal de* Richelieu *n'en auoit que* LVII, *et n'a uecu que* XXX *ans plus qu'il n'etoit besoin pour le bien de la* France *et meme toute l'* Europe.

Ipsemet moribundus non diffitebatur, Multa se fecisse, quae non omnibus probarentur, sed ita se iudicasse, pro persona, quam sustinebat, et rerum statu, fieri aliter non debuisse. Constat, a Principe *Condaeo* monitum fuisse Regem, ut circa externas res *Richelii* consilia sequeretur, circa internas et domesticas non item, ubi ille

1) Ep. LXVI, p. 214.

multum suis affectibus tribueret. Quod iudicium ualde Regi probatum. Liberiore tamen calamo *Rerum Gallicarum*, sub Ministerio Cardinalis *Mazarini* gestarum, *Autor* eum perstringens, testatur, ipsum, circa uitae finem, sed *Numine* exterrente, seu tot extinctorum recordatione, nunquam moerore uacuum fuisse. Tantum *Gallici* sanguinis domi perditum, tantum militiae effusum, fatigare animum, moribundis membris iam inclusum et moestitia restringere. Non aliud peto ab ista legentibus, *pergit idem*, quam, ne permiserint, tot extinctos, tanquam fugitiuos, elabi. Detur hoc illustribus Viris, ut, quemadmodum exequiis a uulgo separantur, ita, in traditione supremorum accipiant propriam memoriam, *Vandomios*, *Ornanos*, *Maruilliacos*, *Mommorantios*, et ceteros, de quibus silere, satius duco, *Cramilliacis*, *Passompetris*, *Vitriacis*, *Castellonouis*, pollutos carceres, cum innumerabilibus. Et alia consecutus erat praeterea *Richelius*, quae, ut in imperante praeclara sunt, sic in subdito ambigua et ancipitia, cupiditas potentiae summae, aemulorum et parium, immo, Superiorum, intenta demissio atque humilitas, honoris et gloriae desiderium immensum, ambitio fastigii et honorifici cultus, qui ad uenerationem prope accederet, et cui subessent Principes Proceresque. *Riche-*

Digitized by Google

Richelio cum succederet *Mazarinus*, insequens Distichon effudit GROTIVS, idque *Maurerio* recitauit, una commonens, sub *artis* uoce Gall. *fourbe*, id est, *nequitiam*, sese innuere.

Vt domuit Gallos Romanus Iulius armis,
Romanus Gallos Iulius arte *domat.*

Hic Annus *Galliae* funestus fuit, ob mortem Regis, *Ludouici XIII*, qui, mense Maio, eadem die et hora, qua, ante triginta tres annos, Pater eius, *Henricus* IV, a *Francisco Raualliaco* confossus erat, animam exhalauit. Regni *Suecici* Historicus, testis est, iudicasse Medicos, haustum uenenum causam fuisse mortis. Regis obitus ab Rege nouo, *Ludouico* XIV, *Annaque* Austria, regente Matre, *Sueonum* Reginae per epistolam indicabatur, cuius in exordio tametsi mentio iniiceretur Foederis, insequentibus tamen uerbis, quibus, in causa communi et reparanda Pace, operam studiumque suum pollicebantur, altum de Foedere silentium erat. Qua ex re colligi posse, apparebat, communi quidem causae defuturos haud esse *Gallos*, ea tamen lege, ne lege Foederis ulla tenerentur. Testabatur quoque, literis in *Sueciam* missis, GROTIVS, *Sueonum* in *Gallia* LEGATVS, ex omnibus atque singulis, quos cum Regis *Galliae* Ministris habuerit, sermonibus sese

Digitized by Google

animaduertisse, nihil perinde *Gallos* exoptare, quam uti firmiter *Sueones* credant, *Gallos* in Foedere constantes fore, re ipsa uero mentionem, de Foedere non uiolando, euitare, ne, Rege extincto, minus ipsis liberum esset, uel manere in Foedere, uel id negligere, prouti uel ex commodo *Galliae*, uel ex incommodo, res ea uideretur fore. At id quidem *Sueonum* Rectores adeo commouebat, uti, consultum esse, ducerent, ab Rege *Galliae* nouo renouationem flagitare Foederis huius, quam consueta quoque instrumenti formula sunt adepti, Purpurato *Mazarino* pernegante, Regis ob excessum, ullam in Aulae *Gallicae* consiliis factam esse mutationem. Rex tamen ipse deinceps, commonefactus, idem Foedus usu recepto instrumento confirmare non dubitabat, licet ipsa Foederis formula praetermissa. Scrupuli *Sueonibus* haud quicquam mouebant ista, *Nos id approbauimus, quantum opus est, aut erit.* Ea enim uerba hunc in modum *San Romanus* exponebat, *Quantum opus est Reginae Sueonum*, non, *Christianissimo* Regi, perinde, ac si Reginae Rex cauere cupiat abunde, ipse uero nullam prorsus in partem uenire obligationis, fidemue compendio metiri suo. Atque haec ipsa scrupulositas, uel eam ob rem, haud superuacua credebatur esse, quia GROTIVS

Digitized by Google

TIVS commonuerat, *Cauillatoribus Galliam haud vulgaribus abundare.* Etiam *Mazarinus* asseuerare non desistebat, *Ob Regem demortuum, mutationis nihil quicquam in* Gallicis *esse consiliis metuendum.* Instrumento plane gemino ab Rectoribus *Suecicis* Foedus *Gallicum* confirmabatur. Confirmationis tam *Suecicae*, quam *Gallicae*, Formula passim apud Scriptores occurrit.

Mansit igitur ibi GROTIVS, et, iis, ab quibus, et ad quos,* erat missus, pariter gratus, praecipuum tempus suum impendebat partim ministerio LEGATIONIS, partim studiis, partim salutationibus eorum, qui, uidendi EVM, et, consilia sua cum EO sociandi, gratia, ab omnibus *Europae* partibus, confluebant. Omnibus fores, omnibus mensa, omnibus officia, ipsius patebant, ne iis quidem** exceptis, quorum parentes, post multas illatas ipsi iniurias, et carceris, et exilii, fuerant autores.

Non pauca iam *supra* diximus, quibus cum, in et extra *Galliam*, coluerit amicitiam GROTIVS, quos inter amicus EIVS intimus, Legatus, ad *Foederatos Belgii*, erat *Beniaminus Auberius Maurerius.* Ad hunc destinabat *Epistolas suas*, amicis et familiaribus in *Batauia* suis tradendas, id quod

Ff 5 per

* supra, p. 286, et in primis p. 353. ** supra, p. 245.

Digitized by Google

per *Maurerium* ſuum optime tutiſſimeque fieri poſſe, GROTIVS iudicabat. Innuit hoc, et ea de re gloriatur IPSE, in tam multis ad eum ſcriptis literis, quarum hic non nullas, ad pleniorem faciendam fidem, et adhibui, et deinceps adhibebo.

1) *In publicis*, inquit, *priuatiſque calamitatibus ſolatio fuit manus tua. Eadem nunc quoque me, ſub rumoribus ſaeuis atque continuis languentem, excitauit, et me mihi reddidit.*

2) *Primum autem, rogo, ignoſcas, quod in re mea familiari uſus te ſim tam familiariter, deinde gratias ago, quod tu id, quod poſcebam timide, liberalius praeſtiteris, quam poſcebatur.*

3) *Ignoſcas, precor, Vir illuſtriſſime, quod toties Epiſtolis et chartis, ad amicos mittendis, negotium tibi exhibeo, parſurus otio tuo, ſi alia, aeque certa, curandi ratio, appareret. Sed ita uidetur meum eſſe* fatum, *ut eos, qui mihi bene uolunt, ſemper meis rebus onerare debeam, ſine ulla copia rependendae uicis. Quod me male haberet, niſi tua ſumma bonitas, perſpecta, hanc mihi libertatem indulgeret.*

4) *Cum, literas has ad affinem tuo curari, interſit, auſus ſum eas tuo faſciculo includere.*

Ego

1) Ep. LXXI, ad Beni. Aub. Maurer. 2) Ep. LIII, ad eund.
3) Ep. LVI, ad eund. 4) Ep. LX, ad eund.

Digitized by Google

[1]) *Ego filio tuo* VVitsium *iam nunc in exemplum propono. Dedi proficiscenti literas ad fratrem et affinem, qui eum et* Bellemontii, *et aliorum, notitiae tradent.*

Ac profecto *praestantissimus ille Vir* tam curae cordique sibi GROTIVM habuit, ut a fratre in fratrem plura proficisci non potuisse uideantur. Sigillatim, in liberando ex *Lupestenensi* custodia GROTIO, nullum non lapidem mouit * *Maurerius*, et, quot quantaque alia ipsi officia praestiterit, passim a me, in his VINDICIIS GROTIANIS, referuntur.

In quam arctam uero amicitiam penetrauerit ingenui illius *Iac. Aug. Thuani*, et huius post filii, *Francisci Augusti Thuani*, testatur insignis illa GROTII ad *Franc. Augustum* Sylua.

[2]) *Sylua mea, ut nihil habet eximium, ita uenia certe indigna non est. Nam, ut meliorem scriberem, non indulsit animus, partim in memoria, partim in sensu, malorum suorum aestuans, ut tacerem, non permisit reuerentia, qua* uiri incomparabilis, Iacobi Augusti Thuani, *memoriam prosequor.*

[3]) *Neque* Thuanus *mihi excidit, cuius quotidie libris utor, nescio, an non nimis familiariter.*

Multo

1) Ep. CII, ad Beni. Aub. Maurer. * supra, pag. 194.
2) Ep. XLIV, ad eund. 3) Ep. LXXII, ad Petr. Putean.

Digitized by Google

Multo quoque magis id confirmant officia, quae *Thuano* GROTIVS, in conſcribenda Hiſtoria ſui Temporis, praeſtitit, prout ex ipſius GROTII, uerbis [1]) conſtat.

Totus ſum in colligendis iis, quae tibi in Annalibus Gallicis *uſui eſſe poſſint, plurimum patriae intereſſe, ratus, ſi eius geſta, uicinarum rerum occaſione tam inſigni, ſcripta prodantur.*

[2]) *Inter multa, quae in te admiratura eſt poſteritas, ego ob illud unice obſtupeſco, unde tibi, modo in fori arce, modo in ſumma Republica, uerſanti, otium, unde uis indefeſſa animi, ut res tot ac tantas, aut ſcribendas cognoſceres, aut cognitas ſcriberes.*

Certe, inter alios Codices, manu exaratos, qui *Francofurti ad M.* aſſeruantur, *Supplementum* occurrit eorum, quae in illuſtriſſimi Viri, *Iac. Aug. Thuani*, Hiſt. ſui Temporis Libris CXXXVIII deſiderantur, et quidem ex H. GROTII *Aduerſariis*, alia manu, excerptum. Ex quo colligi poteſt, quo loco numeroque et apud *Thuanum* fuerit GROTIVS, et apud GROTIVM *Thuanus*, et Hiſtoria illa *Thuani*. Immo, ex Epiſtola quadam GROTII, clare patet, excitatum fuiſſe GROTIVM a *Thuano*, ad *Annales* ſuos *Batauos* condendos, *Thuanumque* pariter a GROTIO, ad emittendos in lucem

1) Ep. III, ad Iac. Aug. Thuan. 2) Ep. XVII, ad eund.

Digitized by Google

cem XLVI Libros priores, quos ille premere malebat.

[1]) *Ceterum cum hoc tam diligenter agat tua Epistola, ut me ad Historiam scribendam excitet, inueni tamen in ea aliquid, quod me ab eo labore uehementer absterret. Nam, si tu, in tam excelso fastigio collocatus, tot undique septus praesidiis,* XLVI *Libros, humano generi utilissimos, pateris, inutiles iacere, iniquitatem seculi ueritus, quid me facere, aequum est, tanto ad omnes ictus fortunae apertiorem?*

Idem hic *Thuanus*, GROTIVM, pro sua in EVM animi propensione singulari, paulo quidem serius, serio tamen, monuit, (licet GROTIVS, hanc ad rem ne taceret, et conscientiae * religione, et sui ratione muneris, obligatum se, crederet) ne *Gomaristarum* sese litibus immisceret, neue stylum in eos acueret, memorante id ipso GROTIO, cuius Epistolae maiorem hic partem legere, LECTORI haud ingratum, opinor, erit.

[2]) Erasmi *uestigiis cum quidam apud nos Pastores insisterent, sed, collegarum uehementia pressi, unicum haberent in Magistratuum bonitate perfugium, adiunxi* ME *illis, qui, ferendum, non existimarunt,*

1) Ep. XVII, ad Iac. Aug. Thuan, in fine. * supra, p. 196.
2) Eadem Epist.

Digitized by Google

marunt, VT ISTO INITIO IRET IN EXEMPLVM RES PERNICIOSISSIMA, AC PALAM FIERET, MODERATA SECTANTES IN ECCLESIIS NOSTRIS FERRI NON POSSE. *Ad hanc rem mea opera delecta est, non, quod non multi idem rectius potuerint praestare,* SED, QVOD IS LABOR PROPRIVS VIDERETVR EIVS, QVOD TVM OBIBAM, MVNERIS. *Neque nesciebam, quid esset, irritare crabrones, sed, fretus honesti propositi conscientia, ausus sum me calumniis istis obiicere, quas nunquam effugient, qui adulta et robusta uitia oppugnabunt. Tibi uero,* Vir Illustris, *gratias ago, simulque, et egregiam tuam in* ME *uoluntatem, et sapientiam tuam, agnosco, cum suades, ut ab istiusmodi contentionibus posthea abstineam.* EGO *uero, tum tua autoritate permotus, tum sponte mea eo totus propendens, omnia non necessaria certamina anxie defugiam, quod uideo, uti scribis, et ad animi tranquillitatem, et ad ualetudinem, quam non satis firmam experior, maximi esse momenti.*

Et alibi, ubi mentionem fecit *Francisci Augusti Thuani*, his utitur uerbis.

1) *Nihil laetius intelligo, quam, et ualere* Franc. Augustum Thuanum, *et honoribus, dignis suo genere suaque uirtute, augeri. Idem ut magis magisque fiat, mecum omnes optant, quibus* Thuanum *nomen in rebus sanctis est.*

1) Ep. CXLIV, ad Ioan. Cordesium.

Fran-

Digitized by Google

[1]) Franciſco Aug. Thuano *creſcere honores, gratulor. Mihi gaudeo, in tam candido pectore amicam mei reſtare* * *memoriam.*

Inter potiores EIVS amicos erat *Gerardus Ioanu. Voſſius,* qui ſane nullo non tempore, litibus illis durantibus, quae prioribus annis ſeculi decimi ſeptimi agitabantur, a partibus EIVS ſtetit, ac literarum cum IPSO commercium habuit, unde tam multos ſibi creauit inimicos, qua de re uid. Epiſt. *Voſſii,* et *Buddei* Lexicon Vniuerſ. ſub uoce *Voſſius.*

Eidem *Voſſio* filium ſuum mittebat GROTIVS, literis erudiendum.

[2]) *Ego, filium meum, natu maximum, hunc annum patiar exigere* Lugduni, *ſub* Voſſii *oculis. Nam* Erpenium *pridem,* Iacchaeum *nuper, amiſimus, ceteri ſibi uiuunt, mihi ſunt mortui.*

Idem feciſſe *Maurerium,* in filiis *Voſſio* mittendis, impenſe alibi probat.

[3]) *Non potueras melius conſulere liberis tuis, quam, quod eorum ſpem* Voſſio *commendas, rarae tum probitatis, tum eruditionis, Viro. Memini, a* Caſaubono *ſummis laudibus praedicari Oratorias eius Inſtitutiones. Tum, quae de* Pelagiana

1) Ep. XLVI, ad Iacob. Puteanum. * infra pag. 442.
2) Ep. C, ad Beni. Aub. Maur. 3) Ep. XXXIX, ad Gallos.

Digitized by Google

giana *Historia conscripsit, maximi hic ab omnibus fiunt.*

[1]) *Ad Virum optimum, et amicitia tua dignissimum,* Gerardum Vossium, *et scripsi antehac, et nunc scribo.*

Ob Integritatem sane miram hunc *Vossium*, sequentem in modum, ceteris omnibus *Batauis* praefert GROTIVS.

[2]) Vossium *nostrum iam propius noueris, quo, ueto, credas, animam esse candidiorem ullam in* Batauis. *Eius amicitia, quanquam dissiti non nihil, spero, effici posse, ne tibi ista habitatio nimium displiceat.*

Neque uero quicquam intermittebat GROTIVS, in Epistolis suis, quod ad optimi maximique huius uiri amplificandam gloriam spectare uideretur.

[3]) *Ceterum, ignorare te, non patiar,* Vossium, *pertaesum μικρολογίας* Lugdunensium *ἀγωνοθετῶν*, Amstelodamum *ire, euocatum honorario, bis mille et sexcentorum florenorum in annos, et habitatione commoda. Molitur enim eius urbis Senatus, non quidem Academiam iustam, sed quandam eruditorum coloniam, ut, qui cetera omnia abunde*

1) Ep. XLIV, ad Beni. Aub. Maurer.
2) Ep. CXLV, ad Claud. Salmasium. 3) Ep. CXXI, ad eund.

Digitized by Google

abunde habent, ex omni terrarum angulo, ne hoc quidem commeatu deſtituantur.

Viſitauit etiam GROTIVM *Voſſius Pariſiis*, prout uidere licet ex Epiſt. *Guid. Patini.**

Maximopere GROTIVS *Salmaſium* ſuſpiciebat, quem in Epiſtolis nunc *uirum maximum*, nunc *incomparabilem*, nunc *excellentiſſimum*, nunc *ſummum*, nunc *decus ſeculi*, nunc *lumen Galliae, pariter, et ſeculi uniuerſi*, uocat.

1) *Felicem, me plane arbitrarer, Vir, ſupra, quam nos uel agnoſcere poſſumus, de omni literarum genere merite, ſi ad tuos, aeternitate digniſſimos, labores aliquid contribuere poſſem, et inter operas ſaltem tertias conſiſtere.*

Cumque *Salmaſius* obtrectationi liuorique multo in *Batauis* expoſitus, nec ſperatus ei honor uſquequaque praeſtitus eſſet, GROTIVS quoque *fatum* haud diſſimile ſubire cogeretur et experiri, mutuis ſe literis conſolantur, alterumque alter ad conſtantiam patientiamque uario confirmandi genere uſi, exhortantur.

2) *Neque*, Lumen illud Galliae *pariter ſuae, et ſeculi, uniuerſi*, Salmaſium, *haec deteſtanda aemu-*

* T. II, Ep. CCCXXVI, p. 19.

1) Ep. XCVII, ad Claud. Salmaſium. 2) Ep. CXIX, ad eund.

Digitized by Google

lorum malitia eo adigit, ut deſerat honorem literarum, cuius extrema ſalus in ipſius incolumitate ſita eſt et rebus proſperis.

Idem GROTIVS aliam Epiſtolam his claudit verbis;

1) *Valde,* Vir incomparabilis, *et omnes in te latratus fortiter contemne, gnarus, nec lucem eſſe ſine umbra, nec gloriam ſine inuidia.*

2) *Aduerſus inuerecundos etiam nobis, quanquam contra morem atque ingenium, frons perfricanda eſt.*

3) *Vale,* excellentiſſime Salmaſi, *et mecum, aduerſus malos homines, habe bonum ſtomachum.*

Salmaſius quidem, hac etiam de cauſa, *Batauiam* relinquere cogitauit.

4) Salmaſium *Lugdunenſis habitationis iam poenitet. Non praeſtatur honos promiſſus, et regnat in Scholis, ut in Monaſteriis, liuor, et, cum malignitate, aemulatio.*

Nec minus quod aerem *Batauum* minus ſalubrem, ſuique corporis temperamento et climati *Gallico* contrarium, experiebatur.

Salma-

1) Ep. CXXI, ad Claud. Salmaſium. 2) Ep. CXXXIII, ad eund.
3) Ep. CXLV, ad eund. 4) Ep. CXLIV, ad Ioan. Cordeſ.

Digitized by Google

[1]) Salmasius *ad me scripsit, hoc uere experturum se, an possit restitui lapsa ualetudo. Si nihil proficit, repeturum* Galliam.

[2]) *Quanquam et coelum ne hoc quidem immerito accusas. Scio enim, quam illud graue sit, paludum suarum uaporibus madens, ex sicco tenuique aere uenientibus, sed et huic malo remedia non desunt. Primum, diuitiae* Tibulli, *lucens focus, deinde, ubi serenior aura est, in locis siccioribus deambulatio, uinum quoque panlo generosius, et rubellum maxime. Sed haec, et, quae alia ualent aduersus pituitam, ne* Stoicis *quidem, semper sanis, parcentem, si quid* Horatio *credimus, melius dicet tibi* Eobaldus Schreuelius, *Vir facetus non minus, quam eruditus, et, qui mihi saepe morbum, non* Galenicis *pharmacis, sed* Plautinis *salibus, quibus scatet totus, ademerit.*

[3]) *Immo, non tantum Lector* Salmasii *scriptorum diligens sum, sed, et alios esse tales, uolo. Itaque neminem a colloquio meo dimitto, non ante monitum, quantum ex postremi, atque, etiam inter tua,* excellentissimi, *operis lectione proficere possit.*

Hoc minus causae *Salmasio* fuit male de GROTIO loquendi, ut *infra* pluribus cognoscere licebit.

1) Epist. CLIX, ad Iacob. Puteanum.
2) Ep. CXLV, ad Claud. Salmas. 3) Ep. CXXI, ad eund.

Digitized by Google

Hieronymo Bignonio Librum suum, de *Veritate Religionis Christianae*, dedicabat, ex quo singularis eius de doctissimo *Galliae* uiro existimatio perspici potest.

1) *Viro extra omnem comparationis aleam posito*, Bignonio, *si, memoriam mei tuo auxilio expergefieri, poscerem, iniuriam facerem constantiae ipsius, in qua ille, uelut sede solida, uirtutes ceteras collocauit. Patietur uir maximus, hoc me solatium multis aduersis opponere, quod, in illius animo uiuere me, confido, quem ego supra seculum hoc, supraque omnem, quamuis ingeniorum feracissimam*, Galliam *pono.*

Et, in Epistola, ad *P. Putean.*

2) *Ex omnibus rebus, quae apud uos geruntur, nullam magis ad me pertinere, intelligo; quam bonorum amicorum bonam ualetudinem, quos inter scis, quem apud me locum obtineant* Bignonius *ac* Thuanus.

Hos inter amicos etiam erat *Patinus*, qui GROTIANA sua iuris publici facere decreuerat. Epistolia quaedam *Patiniana* ex multis referemus.

3) *Defunctus* GROTIVS *etiam ex amicis meis unus erat. Effuse gaudebam, quoties colloquerer cum ipso;*

1) Ep. CXLVIII, ad Ioann. Cordes. 2) Ep. CL.
3) T. I. Ep. XXX, p. 78.

Digitized by Google

ipso, sed praematurе, tum mihi, tum Reipublicae, decessit. Audita eius morte, adeo afflictus fui, ut in morbum caderem, et, per octo dies, moestus permanerem.

In alia Epistola, ubi *Patinus* loquitur de *Petro Grotio*, qui *Patinum* uisitauit, haec uerba occurrunt.

[1]) *Eius* (GROTII) *pater*, HVGO, *amicitia me quoque dignatus erat sua.*

Et porro,

[2]) *Ex iuniori de* Linden *intelligo*, *Dn.* Gronouium *Lugduni mortuum esse. Vnus ille propemodum superfuit inter* Belgii *doctos uiros. Non enim amplius habet ista terra* Scaligeros, Baudios, Heinsios, GROTIOS, Salmasios *et similes.*

Iesuitas adeo non amabat GROTIVS, ut potius per omnem vitam in eos inueheretur, id quod ex Epistolis [3]) eius *infra* clare satis constabit. Magni tamen quosdam ex eorum sociis faciebat, nominatim *Dion. Petauium* et *Iac. Sirmondum*.

[4]) Sirmondi *magna sunt in literas merita, quibus si* Theodoretum *addiderit, inuerecundum sit, ab ipsius senectute amplius aliquid postulare.*

Summatim, celeberrimi quique totius prope-

1) T. II, Ep. DXLV, p. 580. 2) in Epist. quadam p. 582. seq.
3) Ep. CLIV, ad Ioann. Cordesium et Ep. CXLIV, ad eund.
4) Ep. CXXXV, ad Petr. Putean.

Digitized by Google

modum *Europae* Viri, et innoteſcere HVIC ORACVLO, cupiebant, et diſcere ab IPSO, et, literis ſalutari, geſtiebant, quarum numerus ingens, in Opere *Epiſtolarum* Maiori, conſpiciendum ſe praebet.

Stupenda autem EIVS doctrina et ſcientia hanc EI famam conciliauit, ut, ex omnibus terrarum locis, *Hamburgi* et *Lutetiae Pariſiorum*, confluerent eruditi, nobiles, curioſi, deſiderio ducti, hunc audiendi uidendique VIRVM, quod tanti aeſtimauit *Peireſcius*, ut ICONEM quoque GROTII penicillo *Duuriſii* depingendam curaret, et, *Hagae* commoratus, diſcedere nollet, antequam agnouiſſet GROTIVM, quem, licet adoleſcentem, eruditio, plane matura, minimeque uulgaris, commendabat. Ipſe uiciſſim GROTIVS, ut ex VINDICIIS HIS MEIS paſſim licebit perſpicere, maximi fecit eruditiſſimum hunc *Gallum*, ab quo etiam in Iure Naturae concinnando ſuppetiae ſunt ei latae. Non poſſum, quin hic ſubiungam Epigramma GROTII, in obitum *Varii*, Sigilli *Galliae* Cuſtodis, quem acerbe *Peireſcius* dolebat, confectum, et cum laude coniunctum *Peireſcii*, quem hunc in modum eſt allocutus.

Quod tu, qui nuper Regni moderantibus omne
Arbitrium curis dulce leuamen eras,

Morte

Digitized by Google

Morte ſuper cunctos faſces extantis Amici,
Attonitus tanquam, propria damna doles,
Optime Peireſci, *tanto indigniſſime caſu,*
Inuidet hunc luctum Gallia *tota tibi.*
Atque, in communi Mundi Patriaeque dolore,
Praecipuas partes unius eſſe, uetat.

Nec pauci erant cupidi, nomen illud GROTII, per maria, perque terras, illuſtri fama propagatum, in ſuis, quae uocantur, *Albis*, cuſtodire, quare *Baudius* ad GROTIVM ita ſcribit.

1) *Iuuenis ille Vir, a quo haſce literas acceptu-rus es, pro mediocritatis ſuae modulo, eximias dotes tuas ueneratur, ut hoc ipſo ab humanitate tua impetrare poſſet, ne uelles ultro petenti denegaſſe, tritum tralatitiumque illud officium inſcribendi albonomen* GROTII, *per maria ac terras illuſtri fama propagatum.*

Ex ipſo etiam, longius a *Batauorum* finibus ſito, *Poloniarum* Regno excurrebant, ad hoc orbis eruditi MIRACVLVM aſpiciendum, homines generoſi.

2) *Duplici de cauſa, Vir ſumme, ſtudia tua interpello, primum, ut hos* Polonos *Nobiles tuae Amicitiae inſinuem. Quanquam enim incertus ſum, hoc ipſo tempore, bellum ne* Sueonibus *meis*

1) Epiſt. XXXI, Cent. III, p. 337.
2) Epiſt. CLXXVII, ad Claud. Salmaſium.

Digitized by Google

sit cum ista gente, nec ne, ego tamen in meo proposito persto pro amicis habendi eos, qui communes literas amant.

Erga omnes, quicunque accederent IPSVM, summa erat humanitate et iuuandi promptitudine, desideriis ipsorum, tam ore, quam scriptis, respondens, permultos literis commendatitiis stipans, qua de re testem quoque admittere, iuuabit, *Augustum Buchnerum*, A. CIↃIↃCXXXIX, ad *Henricum a Frisen*, Nobilem Virum, *Hambargo* redeuntem.

[1]) Hamburgi GROTIVM, τὸν πάνυ, *allocutus, ita obstrinxit* Frisius *sibi, ut amicissime literis subinde eius diei memoriam recolat.*

Item,

[2]) *Valde doleo, non uidisse* MAXIMVM NOSTRI SECVLI VIRVM.

Et, ibidem, paulo post, idem pergit,

Sed istud non adderem, nisi scirem, te, non exiguo tempore, cum illo ORACVLO HVMANAE SAPIENTIAE, HVGONE GROTIO, *fuisse, quem et doctissimos docere aliquid semper posse, plane existimo.*

Item alibi,

[3]) *Appello conscientiam tuam*, Henrice, *an tu*, MIRACVLVM SECVLI, GROTIVM, *an, alios, quos nomi-*

1) Ep. xv, Part. I, p. 27. 2) Ep. xxi, P. I, ad Henr. Frisium.
3) Ep. xxv, P. I.

Digitized by Google

nominare non attinet, quibus haec aetas tamen gloriatur in primis, aliter profeciſſe cenſes.

Idem, alibi, ſic pronuntiat.

1) *Ac poſſis dicere, τῷ πάνυ,* GROTIO, *non niſi medium locum debuiſſe attribui. Ne alio, quam honoratiſſimo conſpiceretur, qui dignitate non modo praecelleret reliquis, ſed, iam tranſgreſſus propemodum ingenii ac eruditionis humanae terminos, ſic emineret pleriſque, ut, contra antiquitatis fiduciam, aut unus, aut cum pauciſſimis, ſeculum noſtrum abſoluat.*

Repetit hoc ille breuioribus uerbis.

2) *Neque enim ſcio, qui* AMPLITVDINEM GROTIANI INGENII AC DIVINITATEM *hodie excedat.*

Quamdiu poſteritas ſtetit, certe nemo quis gratior uixit orbi, uiuitque et uiuet inpoſterum perpetuo in hominum memoria, admiratione, cultu, donec erunt, qui ſolidae eruditioni iuſtum ſtatuere pretium didicerunt.

Durante LEGATIONE, iam *ſupra* memoraui, Eccleſiaſtas *Charentonenſes* IPSVM ad Synaxin ſacram admittere noluiſſe. Interim hi Miniſtri, id ſibi ſingulari fore honori, credentes, ſi, poſtquam LEGATVS tam inclyti Regni, nempe *Sueciae*, factus fuerat, congregationibus eorum intereſ-

1) Ep. XLVIII, Part. III. 2) Ep. LXXXIII, Part. I.

Digitized by Google

set, quendam coetus sui Sacerdotem, una cum Senioribus Synedrii, ad IPSVM allegabant, petentes, ut conciones PRAESENTIA SVA decoraret. Affirmabant, ipsos *Lutheranos*, breui ante tempore, per Decretum ultimae Synodi *Charentonensis*, ad Sacra sua fuisse admissos. Verum satis aperte eis respondebat, Quoniam SE, cum esset PRIVATVS et EXVL, deseruissent, neque admisissent, sese nunc, cum sit LEGATVS, eos esse deserturum. Ac profecto concionibus eorum interesse nunquam uolebat, sacra sua domi peragendo. Die solis, ante meridiem, concionabatur Sacerdos quidam Suecus *Lutheranus*, nomine Doctor *Ambreus*, a meridie, *Reformatus*, nomine *Dor*. Praeceps iudicium hoc Clericorum, qui IPSVM pro fidei socio admittere nolebant, eo, quod religioni *Arminianae* addictus erat, postea uero EVM pro tali agnoscebant, famosum de NOSTRO excitauit rumorem, prout *infra* pluribus audiemus.

Emisit, durante diuturna LEGATIONE sua, uaria scripta, in his *Dissertationem Latinam*, contra *Isaaci Peyrerii* scriptum de *Praeadamitis*, inscriptam, *de Origine Gentium Americanarum*, in qua demonstrabat, gentes *Americanas* non esse adeo antiquas, et ex *Europa* eo peruenisse, uel, per coniunctionem Regionum, uel, quod per tempestatem

Digitized by Google

peſtatem eo fuerint pulſae. *Niſi quis*, inquit, *Praeudamitas eſſe, dixerit, ut nuper quidam in Gallia ſomniauit.* Aduerſus EVM Doctor *Belgicus*, nomine *Laetius*, inſurgebat, quae cauſa erat, cur alteram ſcriberet Diſſertationem, *de Origine Gentium Americanarum*, in qua hunc *Laetium* pluribus refutat, et, cum hic *Laetius* ſpiſſam longamque barbam, more *Capucinorum*, aleret, ad autoritatem ſibi conciliandam, in frontiſpicio ſuae *Diſſertationis*, eundem, cum decumana eius barba, figura aenea expreſſum, ſiſtebat, praepoſita inſcriptione,

Aduerſus Obtrectatorem, opaca bonum quem facit barba.

Aliquot poſt diebus, pangebat, delectationis gratia, *Diſtichon* in eum, innuens, male ipſum ſcribere Latine, quod *Epigramma*, prout is *Maurerio* illud recitauit, ita ſe habet,

Latius haud Latius ſatis eſt, nec ſcribere ceſſat Latius. Vt ſileas Latius, eſt ſatius.

Scribebat praeterea *Hiſtoriam Gothicam* et *Vandalicam*, in honorem gentis, cui SE in adoptionem dederat, ubi multum hauſit ex *Procopio*, ut IPSE teſtatur.

[1]) *Procopii Graecae editioni Hoeſchelianae quae deerant, me Roma* Puteanorum, *apud fratrem ſuum,*

1) Ep. CLXXXIII, ad Nicol. Peireſcium.

Digitized by Google

ſuum, commendatione, accepiſſe, gaudeo. Verti in Latinum ſermonem Gothica *et* Vandalica, *in honorem gentis, cui* ME *in adoptionem dedi, a patria ter uenundatus.*

Bergeronis item Hiſtoriae *Scythicae* Compendium uſui fuiſſe SIBI, fatetur.

[1]) *Librum de* Scythis Bergeronis *quanto cum ſtudio lecturus ſim, ſatis intelligis, qui noris, quanti* EGO *illius Viri et diligentiam, et iudicium, faciam.*

[2])Scythicae *Hiſtoriae Compendium ubi a* Bergerone *habebimus*, (nihil autem ab illo proficiſci poteſt, quod non limatiſſimi ſit iudicii) *multum nos* IPSI *debebimus, nec minus tibi ipſi, quo excitante, ueternum excuſſit.*

Peculiarem habemus Orationem, ſcriptam a D. *Merula*, ſeorſim editam, adiuncto *Boxhornii* eiuſdem fere argumenti libello. Meretur ea de re legi *Laetius*, in libello, de *Confoederatis Prouinciis*. Omnes uero ſuperat GROTIVS, in libro, de *Antiquitate Reipublicae Batauae*, quem Libellum ſcripſit, cum animaduerteret, Rempublicam intus * concuti a quibuſdam, res nouas periculoſe molientibus, boni ciuis eſſe, ratus, pro uirili occurrere, et ſtatum praeſentem omnibus com-

1) Ep. CLXVI, ad Ioann. Cordeſium.
2) Ep. CXLI, ad Guilielmum Luſſonium.
* ſupra, pag. 21.

Digitized by Google

commendare. Confirmat hoc ipſe GROTIVS, ad *Thuanum*,* his verbis.

Sic forſan tener auſus eſt Catullus,
Magno mittere paſſerem Maroni.

Vt ego nunc tibi, Virorum illuſtriſſime, Libellum hunc mitto, de Republica noſtra, tibi, qui non Gallica *tantum, ſed orbis totius hiſtoriam, ita complexus es, ut talem nemo, uel ab otioſiſſimo homine, unquam expectauerit, tanta rerum copia, tantus uerborum nitor.* EGO *uero quid mitto? Opuſculum tenue, ſi materiam ſpectes, non res totius generis humani, ac ne magni quidem Regni alicuius, ſed unius gentis, anguſtis incluſae finibus. Quid, quod nec huius res omnes, ſed breue Compendium eorum duntaxat, quae ad ſummam Reipublicae adminiſtrationem pertinent, Plane nihil, quod ames, nihil, quod laudes, praeter animum tui ſimilem, hoc eſt, amantem patriae ſuae, et minime* νεωτερίζοντα. *Exoſculor illud Thucydidis,* ὅπερ ἐδέξατό τις σχῆμα τῆς πόλεως, τοῦτο δίκαιον, εὐδιασώζειν. *Hoc tu in magno illo Aegeo praeſtas, nos conamur in ſympluuio noſtro.*

Sed,** elegantiore poſtea ſtylo geſta *Batauorum*, in monumentis *Annalium* commendata poſteris et tradita, omnium mortalium fama celebrantur. In hiſce enim ſcribendis perficiendiſque,

* Ep. xi. ** Petr. Grotii Praef. ad Patris Annales.

Digitized by Google

disque, omnes coelestis atque immortalis ingenii sui thesauros aperuisse uidetur; tanta in iis, rerum actionumque arcana penetrans, elucet sapientia, tam naturalis semper, et ubique SIBI aequalis sermonis pulchritudo, tanta rerum pondera et uerborum maiestas, ut pronuntiare haud uerear, omnium non modo laudibus, qui *Res Belgicas* scribere sunt aggressi, eximii huius Operis splendore tenebras obduci, sed ipsos etiam antiquorum grauissimos disertissimosque superari. Illam porro horum *Annalium Historiarumque* admirabilem dignitatem uehementer exornat AVTORIS perpetua in narrando fides, quem neque patriae, * neque religionis suae, amor, neque, tot Scriptores transuersos agens, partium studium, non spes, non metus, non odium, aut gratia, flectere unquam a uero potuit, neque efficere, quo minus sociis, hostibus, amicis, inimicis, nullo discrimine habitis, unicuique pro meritis, candide sua praemia persoluerentur. In his *Annalibus* historiam omnesque motus, ad pactas usque Inducias, peregregie et accuratissime, ea prudentia et neruosa breuitate, scripsit, ut cum *Tacito* optime mereatur comparari. Attentum ergo lectorem requirit. Dum enim *Tacitum* imitatur, propter styli breuita-

* supra, p. 16, 21, 23, in primis p. 198, et p. 217.

Digitized by Google

uitatem, difficilis fit. Obseruandum tamen, in libris primis difficiliorem, in reliquis satis esse perspicuum.

Instigatum fuisse EVM ad Historiam scribendum a *Iacobo Augusto Thuano*,* uidere licet ex Epistolis.

Cumque deinceps SESE ad scribendam *Historiam* suorum temporum compararet, communicasse cum ILLO *Peireſcium* tum monumenta uaria, tam priuata, quam publica, quae fuerunt ipsi prae manibus, tum complura, quae, ex *Italia* repetita, nominatim uero ab *Antonio Quaerengo*, docto et magni nominis uiro, obtinuit. Praeterea, cum ipse natus sit in *Hollandia*, et in aliqua Reipublicae parte aliquandiu uersatus, partim ex Actis publicis, partim ex relatu eorum, qui coram pleraque uiderant, de praecipuis huiusce belli successibus potuit cognoscere.

Multo ei labore constitit *Historia* haec in scribendo, nec minore in recognoscendo, et corrigendo, ut ipse, ad *Iac. Aug. Thuanum* ** scribens, testatur.

Historiam belli nostri ad finem, hoc est, ad Inducias usque, pextexui. Supereſt nunc recognoſcendi et corrigendi labor, ipſa prope ſcriptione moleſtior. Video, me tum, cum uacauit paulo attentius ſcribere, non ſatis ſolida rerum cognitione fuiſſe inſtructum.

*Ep. XVII. **Ep. eadem.

Digitized by Google

ſtructum. Nunc, cum res ipſas diſcendi paulo melior eſt copia, occupationes, multae magis, quam magnae, non ſatis permittunt, reſpondentia hiſtoriae uerba ſeligere. Multumque uereor, ne hiet opus, diuerſique temporis ſcriptio non ſatis unius autoris ſpiritum praeferat.

Anceps initio erat, ſcriberet ne Hiſtoriam hanc, ob tot inimicos ſuos, neque ante obitum exire in lucem paſſus eſt.

* *Ceterum, cum hoc tam diligenter agat tua Epiſtola, ut me ad Hiſtoriam ſcribendam excitet, inueni tamen in ea aliquid, quod me ab eo labore uehementer abſterreret. Nam, ſi tu, in tam excelſo faſtigio collocatus, tot undique ſeptus praeſidiis,* XL *Libros, humano generi utiliſſimos, pateris, inutiles iacere, iniquitatem ſeculi ueritus, quid me facere aequum eſt, tanto ad omnes fortunae ictus apertiorem? Niſi forte exiſtimas, ingratos, inuidos, calumniatores,** ueſtri eſſe coeli homines, neque apud nos prouenire eiusmodi meſſem. Sed minime ita ſe res habet,* Thuane ampliſſime, *iidem fluctus in ſympluuio noſtro ſe mouent, qui in ueſtro mari Aegeo. Dabo tamen operam, te tanto autore, ut, quae ſcripſi hactenus, ea, quam fieri poteſt emendatiſſima, apud me extent, extra huius aetatis commercium, cum quo contrahere, periculoſum eſt.*

* Ep. XVII, ad Thuan. ** ſupra, p. 431.

Digitized by Google

eſt. Poſteritati rectius creditur, non, quod illa futura ſit melior, ſed, quod æquior defunctis, quippe alios habitura, quos exerceat. Vale Vir illuſtris, et me tui gregis ſcribe.

Viduae quidem GROTIANAE librarum Gall. duo millia perſoluere, pro *Annalibus*, uolebat *Sarrauius*, neque tamen compos fieri poterat eorum. In his, editis poſt, *Annalibus*, ſolidum rerum pondus, et uiua tam actionum, quam perſonarum, ſimulacra, cum ſingulari ſermonis caſtitate, narrationiſque eximia perſpicuitate, coniuncta, poſteri omnes admirantur. Etſi enim terreſtrium ratio proeliorum aliunde forſitan luculentius diſcatur, pugnarum tamen naualium, obſidionum oppidanarum, tutandarum item urbium, praecepta, Annales haud ulli, aut ullae Hiſtoriae, meliora tibi dabunt, aut plura. Horum praeſtantiam *Annalium* agnouerunt etiam alii, quos inter *Guido Patinus*, ita ſcribens.

1) *Mon relieur me rendit dernierement mes annales de* GROTIVS. *I'ai commencé a la parcourir. Il eſt en beaux termes et tout plein de fort bonnes choſes, ſi ce liure la uient iamais a etre traduit en Francois, comme il eſt fort curieux, ie penſe, qu'il ſe uendra bien. Il eſt fort bien, il n'eſt pas ſi particulier, que le* Famianus Strada, *mais il eſt plus ſcauant et aproche bien plus de* Corneille Tacite.

1) Ep. LXVI.

Digitized by Google

Et *VVicquefortius* * scribit,

Nicol. Machiauelli *Historia Florentina incomparabile perfectumque est opus.* Vberti Folietae *Historia Genuensis*, Ge. Buchanani *Historia Rer. Scoticarum*, Ioann. Sleidani *Commentarii de Statu Religionis et Reipublicae sub Carolo* v, Pauli Sarpii *Historia Concilii Tridentini*, HVGONIS *item* GROTII *et* Reidani *Annales Belgici*, *in suo genere, ceteris omnibus facile antecellunt.*

Sub *Neuuillii* quidem cuiusdam nomine, sermone *Gallico*, GROTIANI continuatio operis exiit, uerum de ista Continuatione uerba possent usurpari, quae *I. L. Viues*, de Continuatione *Caesaris* Commentariorum *Hirtiana*, habet.

Commentarii, ** *ab* Hirtio *additi, uel* Oppio, *plane sunt alii, quam* Caesaris. *Minus et puritatis habent, et maiestatis, ut, Caesareanos a Principe scriptos, appareat, alteros a priuato.*

Memorabile est, quod *Iacobus Perizonius*, in Commentariis suis, *Lugduni Batauorum*, A. CIↃIↃCCX, emissis, in dedicatione, de *Batauorum* insequenti tempore *gestis*, scribit,

Fatendum est, magno sane gentis nostrae dedecore, rem eo hic deuenisse tandem, ut, post VIRVM MAXIMVM, HVGONEM GROTIVM, *per integrum iam seculum*

* Liur. 1. de l'Ambass. ** de Trad. Discipl. libr. IIII.

Digitized by Google

culum, apud exteros deficiat ferme Reipublicae noſtrae Hiſtoria, atque ideo ſuccurrere ei uoluerint Galli, *partim ex ipſa uſque* Gallia, *unde* GROTIANI *habemus operis* Continuationem, *ſed Gallica lingua, et falſo* Neuuillii *nomine, uulgatam, partim in haſce terras profugi, qui, noſtra cum* Gallis *bella, et Regis* VVilhelmi *uitam, ſuo itidem ſermone, enarrare nobis nuper ſtuduerunt. At* Batauos *qui, de rebus ſuae gentis, quicquam, poſt* GROTIVM, *Latino certe ediderint ſtylo, habemus uix ullos.*

Vt autem in omnibus ſuis Lucubrationibus MAGNVS fuit GROTIVS, ſic etiam in *Carminibus* INCOMPARABILIS fuit et DIVINVS. *Lucanum* elegerat, Poetam SIBI maxime adamatum, quem etiam cum notis emiſit. Multi crediderunt, GROTIVM guſtum habere deprauatum, cum praeſertim in hoc *Poeta* nec materia, nec forma, nec eſſentia, poematis inueniatur. Sed nihil hoc mouebat IPSVM, quanquam haud ignorabat, quid iudicii uterque *Scaliger* *, Pater et Filius, ** de *Lucano* tuliſſent, quidque de ipſius Poeſi ſparſiſſent in orbem. Certe hunc *Poetam* adeo aeſtimauit GROTIVS, ut eum nunquam non geſtaret ſecum, immo, non raro exoſcularetur, licet haud credam, EVM certo ſtatuiſſe, omnes in uno *Poeta* eſſe dotes. *Maurerius* enim, in *Memoriis*

* in Critic. ſ. Poetices L. v, c. xv.
** in *Scaligeran.* primis, p. 103, ſq.

Digitized by Google

moriis ſuis, non minus affirmat, magni feciſſe etiam Poeſin Lyricam *Matthiae Caſimiri Sarbieuii*, Ieſuitae *Poloni*, de quo GROTIVS dicebat, *Non ſolum aequaſſe, ſed etiam interdum ſuperaſſe, Flaccum.* De hoc *Sarbieuio* hi extant Verſus.

Matthiae Caſimiro Sarbieuio, aetatis noſtrae Flacco.

Cernis Hymettaeae plenum, puer, aluear Ennae?
Cernis Hyblaearum nobile murmur apum?
Mella bibis, nam uerba legis, quibus iſta papyrus,
Humet, ut ebriolae rore cadente loti.
Queis mihi deliciis auidas pluit undique fauces,
O, Caſimire, meri ros genitiue faui!
Linque, Meliſſa, roſas, thyma linque, Meliſſa, uenique,
Os tibi flos mellis quilibet iſtud erit.

Sic ipſe GROTIVS, in ſuorum Prooemio Poematum, fatetur, SESE *in ſtylo uarium eſſe.*

Singula * enim Carminum GROTII genera, ut ingenioſa ſint, ſingulis dotibus gaudent. His omnibus obſervatis, NOSTER omne punctum fert, et omni genere ſatisfacit, in faciendis verſibus Heroicis, Elegiacis, Iambicis, Lyricis, Pindaricis, Epigrammaticis, aeque felix atque idoneus.

* Vid. Anonymus.

Digitized by Google

neus. Iam, ab EO exprimitur *Virgilii* grauitas et pondus, iam adeſt *Ouidii* facilitas et lepor, iam aſſurgit *Statii* excelſitas numerorum et in fingendo alacritas, iam effunditur *Claudiani* florida quaedam luxuries, iam detonat *Lucani* alta et neruoſa ſententiis maieſtas, iam *Horatii* promicat acumen et ſenſuum reconditorum ſubtilitas. Id omne uerius longe ſibi noſter GROTIVS uendicat, quo myſteria diuina nemo canit religioſius, nemo efficacius diuinis homines inſtitutis inſtruit. Naturali quodam ingenii bono, penetrat facile, quid cuilibet loco, tempori, perſonae, conueniat. Quantam hilaritatem ſpirat in argumentis laetis et ad iucunditatem inuitantibus? Sed, occaſione data flendi, quantum triſtitiae refert et moeroris? Quo ſpiritu, quo amore affectuque, rem agit, et quam prudentiam adhibet, in ſeriis? Quam penſi habet inuentionem, fictionem, poeſis animam illam? Et, ſicut ex unguibus leonem, ſic ex oblatis carminibus, *Philologum*, Antiquarium, Polyhiſtorem, Philoſophum, et in primis Theologum, cognoſcere licet. Tanta eſt ubiuis ubertas, et dulcedo, et uarietas et dexteritas, ut certe non ſecus habendus ſit, quam ex Muſis natus, et in gremio educatus Muſarum. Ideo *Wilhelmus Grotius*, ut *Poemata* FRATRIS AMANTISSIMI uenerabundus

Digitized by Google

ſemper exoſculabatur, ita ſtudioſiſſime cauit, ne uel minimum ex iis intercideret culpa ſua. Antea enim pleraque, inſcripta plagulis, circumuolabant, ſparſaque in omnes angulos ac diſſipata, non ſecus, ac *Sibyllae* folia, oberrabant. Hanc ob cauſam uno is uolumine edidit mature, ut ne *Poemata*, tantopere a multis deſiderata, ſqualore corrumperentur ac ſitu, ſed, ut, bene digeſta et bono publico exhibita, INSTAR TVBAE ESSENT, IMMORTALEM POETAE GLORIAM EBVCCINATVRAE. Vnum alterumue Diſtichon poſt editionem demum confecit, ex quibus ſequens, ut IMAGINI ſubiiceretur *B. Maurerii*, *Roterodamum* EI tranſmiſſum, qua in urbe *Penſionarius* olim GROTIVS erat.

Docta tabella, refers HOMINEM, *qui rectius ipſe*
Magnanimum Regem, CVIVS IMAGO *loquens.*

In *Balſaci* Epiſtolis notari merentur, quae is habet de lite inter *Guyetum* et GROTIVM, ſuper praeſtantia uini et cereuiſiae, * *Franciſci Guyeti* Epigramma pro uino, aduerſus *Batauos*, cereuiſiae potatores, illic legitur, GROTII uero Phaleucus, pro Cereuiſia, inter Poemata eius reperitur, licet inuenuſtus ille, hic elegans, dici poſſit. Inter Poemata moralia aeſtimabat maxime *Euripidis* Tragoedias ſelectiores, et in primis

* pag. 313.

Digitized by Google

mis Comoedias *Terentii*, quas non ceſſabat, etiam in maximis ſuis negotiis, legere, Sermones item *Horatii*.

In quibus ſcriptis, inquit ipſe, *aliud notant adoleſcentes, aliud uiri mirantur. Illis placet linguae puritas ac nitor, hi uitam moreſque hominum ibi, uelut in ſpeculo, intuentur.*

Sicut autem in oratione numeris uincta, ita etiam in proſa, uariauit. In hiſtoria feliciter exprimit *Tacitum*, in Epiſtolis *Plinium*. Animaduertit *Morhofius*, [1] in libris Philoſophicis interdum barbariſmos EVM admittere, et philoſophorum lingua loqui. Helleniſmo interdum applauſiſſe, miratur et improbat *Schurzfleiſchius*, in Epiſtolis ſuis. Verum haec ſunt eiusmodi, ut aliis quoque ſummis Viris, haud raro, uelut aliud agentibus excidere conſueuerint.

Priuſquam GROTIVS imitari coepit *Tacitum*, autore *Ioſepho Iuſto Scaligero*, *C. Iulii Caeſaris* Commentarios legit diligenter, atque inde ſermonis Latini rationem regulamque ſumpſit.

Quos potiſſimum *Libros* ſuſpexerit GROTIVS, aliiſque commendauerit, eos in Epiſtolis ad *Gallos* reperire licet, nominatim in Epiſtola ad *B. Maurerium*, cuius initium eſt tale.

1) Polyh. T. I, p. 279.

Digitized by Google

[1]) *Illustrissime Domine, dum tempus aucupor, quo ad uos transcurram, praestiturus &c.*

In *Graecis* etiam laudatur GROTIVS, QVI, pro diuino, quo praeditus fuit, ingenio, in intimos *Pythagoricae* doctrinae recessus penetrasse, QVIQVE et *Hieroclem* fere integrum memoriter recitare potuisse, et omnium feliciſſime hoc Autore usus esse fertur, quemadmodum, cum reliqua eius scripta, tum in primis *Commentarii*, quos in *V.* et *N. Testamentum* composuit, et, in quibus multos passim *Sacri Codicis* locos, ex *Hierocle* aliisque Graecis, perleganter illustrauit, abunde testantur.

[2]) *Erit* HVGO GROTIVS *magnus et omnibus aemulis maior*, inquit Schurzfleischius, *et mihi hoc ipse admirabilis, quod* Demosthenem, Lysiam *et ceteros Graecos, in succum et sanguinem conuertit.*

Verum, ad EIVS scripta ut redeamus, *Annotationes* potissimum suas in *V.* et *N. T. Libros* perficere annitebatur, eamque ob causam in suam SESE bibliothecam penitus abdebat. Sunt uero *Commentaria* haec *critica* nouissime edita Amstelodami, CIↃIↃCLXXXXVIII ex off. *Boomii, Waesbergii aliorumque*, cum absolutissimis Indicibus Autorum,

1) Ep. XVI, ad Beni. Maurer.
2) Ep. CLXXXI.

Digitized by Google

rum, Rerum, Locorum Scripturae, quorum maximus in Exegeſi uſus eſſe poteſt. De his *Commentariis* notandum eſt, in *Rabbinorum* locis citandis et explicandis non raro eos fallere, cum ſecutus plerunque ſit GROTIVS in iis fidem aliorum. Plurima horum ſpecimina errorum dedit olim harum literarum peritiſſimus Vir, *Eſdras Edzardi*, quae ipſe *Morhofio* * aliquando oſtendit.

Submittebat etiam *Dion. Petauii* iudicio ſuas *Obſeruationes* in *V.* et *N. Teſtamentum*, prout uidere eſt ex eius ad *Gallos* Epiſtolis, ſpeciatim ex iis, quas ad hunc *Petauium, inſignem*, ut eum IPSE in literis uocat, *Theologum*, miſit, cui cum, quae ſua ſcripſerat manu, ad percipiendam melius ſententiam ſuam, traderet, his uſus eſt uerbis.

Liceat mihi, lumen de lumine accendere.

Graui operae Operis huius Sacri continenter inuigilabat, omniumque SESE conſuetudini hominum ſubducebat, ac, moroſior ſuſpicaciorque factus, optimis etiam fideliſſimiſque amicis non nullis diffidere coepit, nominatim fratribus *Puteanis*, quos, ſpeculandi tantum gratia, uentitare ad ſe, opinabatur, expiſcaturos, quid ſentiret de *Richelio*, aut loqueretur, et ad eum relatu-

 ros,

* Polyh. p. 537.

Digitized by Google

ros, cui non parum infensus erat GROTIVS, ob contemptum, quem ab hoc *Purpurato* fuerat expertus. Atque, hac ipsa ex re, *Osiandro*, in Prolegg. ad Ius B. et P., enatum est illud.

Neminem, sibi contradicentem, aequo animo ferre potuisse, Id nobilium Puteanorum (*uirorum ut genere, sic eruditione, clarissimorum, in quos Gratiae et Musae, liberali plane manu exquisitissitissime sua munera effuderunt,*) *testabitur frater alter, quem, aiunt, Virum illustrem, immemorem etiam beneficiorum acceptorum, in suis aedibus parum moderate excepisse, et cum iurgiis a se dimisisse, quod, in uerba sua iurare, recusaret, et eius dictaturis obloqui ausus esset.*

Inde postea figmentum istud magis magisque *Osiander*, in contumeliam VIRI TAM ILLVSTRIS, auxit.

Ceteris omnibus, pergit Osiander, *uellet esse, quod discipulis suis* Pythagoras, *aut, alter* Palaemon *haberi, qui, secum natas, secum morituras, literas, clamitabat.*

Cum tamen ex Epistolis GROTII et alii EIVS scriptis, publice extantibus, de uirorum eruditorum ad EVM confluxu, iam * memorato, alia omnia constent. Eodem fere tempore, *Mauerius*

* supra, pag. 431, 444, 445, 446.

Digitized by Google

rerius in ſuſpicionem eiuſmodi ſiniſtram ueniſſe uidetur GROTIO, qui *Maurerium*, modis omnibus pro IPSO, in cauſa quadam difficili, laborantem, paulo inclementius excipere non dubitauit, ut ex ipſius Narratione *Maurerii* patebit.

Cum Princeps *Palatinus*, *Rothomago* in *Sueciam* reuerſurus, pernoctaret *Boiſſitii*, die *Ioanni*, *praecurſori*, ſacra, qua ueſperi ignes, ſolenni more, accendebantur, tunc, inter incolas et El. *Palatini* comites, in quibus erant non nulli Dynaſtae externi, Comites, ni fallor, *Valdeccenſes*, contentio oriebatur. Ciues illi, uel per ebrietatem, uel per imprudentiam, plus ſemel bombardas diſplodentes, uulnerabant pediſſequum, ſclopo maiori, itemque *Polhemium*, Landgrauii *Haſſiae*, Reſidentem, ſclopo minori. Quemadmodum uero de hoc inſultu in Aula nihil mouebatur querelae, ſic neque ius ipſis reddebatur. GROTIVS percipiebat, laeſis conſtitutum eſſe, uim hanc illatam uindicare. Ea tempeſtate, homines externi honoratioris conditionis, ingenti numero, ad IPSVM aduenerant, quibus praeſentibus, minabatur GROTIVS Baronibus *d' Auaugours* et *de Rorte*, Regis rebus tum inuigilantibus, cauendum eſſe, eo, quod Comitem *Palatinum* doloſe interimere tentaſſent, neque is ullam accepiſſet

Digitized by Google

cepisset satisfactionem. Asseuerabat quidem *Maurerius*, Aulae nihil omnino hac de re compertum esse, seque, si GROTIVS ita uellet, rem ad *Cardinalem* delaturum, qui tunc in finibus *Picardiae*, propter obsidionem *Hesdini*, morabatur. Annuente GROTIO, id fecit. Aliquot diebus praeterlapsis, ingentem literarum uim, ad Cancellarium *Seguierium* scriptarum, accipiebat *Maurerius*. Ad haec *Cardinalis*, per Archiatrum suum, *Citoyum*, quem aggressus idem *Maurerius* fuerat, ei dabat in mandatis, ut eas Domino traderet, quibus literis Cancellario iniungebatur, ut exemplum iustitiae statueret, simul uero GROTIVM redderet certiorem, si haberet, de quo conquereretur, ut statim illos accederet, quibus externarum rerum cura esset commissa. *Maurerius*, suarum sese rerum mirifice sategisse, magnamque iniisse gratiam, sibi persuadebat, re tam bene gesta, cum uero fascem GROTIO tradere uellet, perplexo ILLE animo dicebat, quo tum perpetuo laborabat, fronteque seuera, posse iustitiam, si liberet, obseruare, sed fasce SE onerari, istumque recipere, SE in animo non habere. Tentabat amice ILLI persuadere *Maurerius*, Mandatum ostendendo, ut IPSI in manus traderet, at ILLE perseuerabat in pertinacia sua. Nemo unquam hominum fuit in eiusmodi angustia, in

qua

qua *Maurerius* hac occasione erat. Si fascem ad Aulam remisisset, hallucinatus incusatusque esset, futiles eum excitasse turbas, etiamsi rei ueritatem et insolentiam hominum exposuisset. Ad haec, fascem Cancellario tradere, in mandatis non habebat. Re tamen accuratius pensitata, ex duobus malis minimum eligendi consilium arripiebat, fascem, id quod factum maxime consultum et minus periculosum foret, Cancellario tandem tradendi. Hoc eo die fiebat, quo foras equitare constituerat. Cum ipsi *Maurerius* nuntiasset, fascem esse ex Aula, quem ipsi tradere in mandatis haberet, domum reuertebatur Cancellarius, sine mora, Praesidem Vicarium Criminalium, *Tardeum*, ad se accersebat, qui factum insolens adeo sibi commendatum habebat, in idque tam accurate inquirebat, ut incolas *Poissitii* ad misericordiam moueret. Ipse GROTIVS statim agnoscebat, *Maurerium* ab SE iniuria fuisse affectum, quoniam hoc EVM modo tractasset. Inuitabat ergo ipsum ad prandium, dicebatque ad eum aperte, in diuersorum praesentia hominum, ad prandium una inuitatorum, *Maurerium* esse optimum, ueracissimum et officiosissimum, amicorum suorum * omnium, addens, fascem recipere SE noluisse, ignarum quippe, quid in

SE

* supra, pag. 431, sq.

se contineret, hominesque suae conditionis nunquam recipere debere fasces clausos, et aliis inscriptos, nisi prius cognouissent, quid in se contineant, de qua tamen re, *Maurerio*, sarcinam ipsi tradenti, ne uerbum quidem dixerat. Interim spatium habuit callidam hanc rationem excogitandi, et hac leui excusatione utendi, ne non obumbraret difficilem istum ingenii morem, quem eo tempore tenebat, inter eivs uitia connumerandum. Scilicet nullum unquam ingenium magnum sine aliqua intemperie fuit natum.

Post mortem *Richelii*, retinere grotivm diutius noluerat *Oxenstirna*, qui tamen laudi sibi duxerat, retinere evm ac defendere, *Richelio* uiuente, non obstante, quod sine intermissione solicitauerat *Richelius*, ut evm reuocaret. Cancellarius quoque Regni, qui sero nimis animaduertebat, legatvm svvm uiuentium commercio sese subtraxisse, integrosque dies, et maximam quoque partem noctium, uersari cum mortuis, ad opera sua Theologica conficienda, et nihil, nisi noua, in ponte nouo *Parisiis* gesta, eleganterque Latine expressa, ad se perscribere posse, pertaesus tandem est legati. Quanquam hoc continuo credere uix licet, cum e sequentibus

bus longe res *, aliter eluceat, quam hic *Maurerius* prodit, et alioquin EVM ſtatim ab officio remouere, EVMque in *Sueciam* reuocare, potuiſſet, niſi *Oxenſtirna*, IPSVM in *Gallia* remanere, maluiſſet, cum praeſertim culpa eſſet nulla GROTII, niſi, quod nimium ſtudiis incumberet, quam imbecillitatem, uerbis ſequentibus 1) indicauit *Anonymus* quidam.

Monſ. de GROOT *le pere etoit la probité meme, d'un rare merite et incomparable en ces ecrits, mais ſes amis iugoient pourtant, qu'il auroit encore mieux reuſſi s' il eut donné un peu plus de tems a ſon ambaſſade, et moins a ſes etudes. Comme ſi c'etoit un defaut* inquit porro ſcriptor iſte *de donner les heures a la lecture, que les autres donnent a une galanterie inutile, au ieu, a la promenade et a des amuſements inſipides, ou creux. Mais Mr. de* GROOT *etoit ſans reproche.*

Quem GROTII morem his uerbis *Solmaſius* excuſat.

GROTIVS *in negotiis tractandis non adeo magnus fuit,* NON, QVOD INGENIVM EI, SED APPLICATIO, deeſſet.

GRO-

* infra, p. 472.

1) Reflexions ſur les Memoires pour les Ambaſſadeurs a Ville Franſche, CIↃIↃCLXXVII, 12, p. 76.

Digitized by Google

GROTIVS ipſe fatetur, Aulae SESE natum factumque haud eſſe.

1) *Ego, qui iam aliquoties,* HOMO MINIME AD AVLAM FACTVS, *aulam coactus ſum accedere, &c.* Et alibi,

2) Oxenſtirna ME, *in umbra literaria delitescentem, in lucem reſque magnas uult protrudere.* EGO VERO NIHIL MAGIS METVO, QVAM, NE OPERA MEA TANTI VIRI, CONCEPTAE DE ME, SPEI MINVS RESPONDEAT.

Aulicam EI uitam et impietatem nequaquam arriſiſſe, clare patet ex alterius Epiſtolae uerbis.

DE AVLA 3) COGITANDVM FILIO TVO, NON ARBITROR. *Si tamen pertendit, nullus eſt dignior, ad quem ſe applicet,* Sueciae *Rege, apud quem multum ualere poterit* Camerarii *commendatio.*

Licet, ſi res EIVS in *Gallia,* quas, ut ſupra narrauimus, in LEGATIONE ſua ibi confecit, conſiderem, parum, aut nihil, offendam, in quo minus uſui fuerit *Sueonum* Regno, quippe quorum ILLE res minime neglexit, iura potius eorum, omni data occaſione, probe obſeruauit, memor utique perſonae, quam agere in SE ſuſcepiſſet. Contrarium igitur, an ab aliis demonſtrari queat, uix, ac ne uix quidem, mihi poſſum perſuadere, nec multos iſti habebunt aſſenſuros. *Oxen-*

1) Ep. LXXVII, ad Beni. Aub. Maurer.
2) Ep. CLXI, ad Guil. Luſſon. 3) Ep. CXXXVI, ad B. A. Maur.

Digitized by Google

Oxenſtirna ergo, extra ordinem, *Ceriſantem* in *Galliam* mittebat, qui omnia, in Aula expedienda, in humeros ſuos ſuſcipiebat, ne minimum quidem cum GROTIO communicans, ſiue iuſſus, ſiue elatione permotus animi, oſtenſurus in *Gallia*, *Sueciam* ſua ipſi ſecreta commiſiſſe, id quod tamen difficulter credi poſſe uidetur, cum, ex ſequentibus, longe aliud conſtet. Si enim nihil conferre cum IPSO debuiſſet, ut LEGATVM remanere ibi GROTIVM paſſi haud fuiſſent. Cauſa igitur *Ceriſanti* non ſuppetebat, cur ita inſolentem erga GROTIVM ſe praeberet, qui ſane, petente *Maurerio*, commendationem *Ceriſanti* ad omnes amicos dederat, quos in *Suecia* habebat, ad eum ibi ornandum. Apertum hunc contemptum GROTIVS perferre amplius non poterat. Quamobrem ſuam expetebat dimiſſionem, quam etiam obtinebat.

In hac EMINENTI DIGNITATE GROTIVS, Sereniſſ. Reginae *Chriſtinae* LEGATVS ORDINARIVS, per totos decem annos, vixit, cum *Chriſtina*, *Guſtaui Magni* filia iam maiorennis, finita EIVS LEGATIONE, EUM in *Sueciam*, tum, ut alibi EIVS opera uteretur, tum, ut rationem adminiſtrationis EIVS poſtularet, ex *Gallia* reuocaret,

TANTA *) QVIDEM CLEMENTIA, VT NON MODO IN LITERIS SVIS IPSVM TOLLERET LAVDIBVS, SED MAGNIS QVOQVE PROMISSIONIBVS ALLICERET, SESE OFFICIORVM, IN ANNIS MINORENNITATIS PRAESTITORVM, MINIME OBLITVRAM ESSE, SED CLEMENTISSIME MEMOREM FVTVRAM. Insuper, in literis ad Reginam *Galliae*, actu regnantem, INSIGNE TESTIMONIVM DE EIVS, IN ADMINISTRANDA LEGATIONE, PRAESTITA SIBI FIDELITATE ATQVE PRVDENTIA, EIDEM IMPERTIEBATVR. Idem ILLE, cum teſtificatione Regiae planeque ſingularis benevolentiae, dimiſſionem ſuam, aegre licet ferente Regina, obtinebat. In *Sueciam* ** proficiſcens GROTIVS, per *Hollandiam* iter fecit, iamque *Roterodamum*, ueterem habitationis ſuae ſedem, peruenerat, ingenti ciuium ibi applauſu et beneuolentia exceptus, cum inimici, non contenti iis, quibus eum tam diu perſecuti erant, opprobriis et iniuriis, obire ſuarum partium domos, ſi quos poſſent ad ſe trahere, omnem mouere lapidem, ne *Ordines Hollandiae*, tunc forte congregati, per terras et urbes ſuas tranſire GROTIVM impune paterentur. Sed, mutata rerum facies erat. Plurimi eorum, qui, A. CIↃ IↃ C XVIII, ſtatum Reipublicae concuſſerant, iam e uiuis deceſ-

* infra, p. 474, 478.

** vid. Anonymi Vita GROTII.

decesserant, non nulli eorum, qui, Anno eodem, a dignitatibus suis dimoti fuerant, moderatione Principis *Friderici Henrici*, ad pristina erant ministeria reuocati, quique novi ad rempublicam accesserant, ut factionibus non interfuerant, discernendae ueritati magis idonei erant. Ita factum est, ut referenti in Conuentu Procerum Hollandiae *Jacobo Catso*, eorum tunc *Assessori*, quid sibi super ea re dictitatum esset, responsum a *Proceribus* sit, Vano timore liberaret homines, nimium meticulosos, Curae sibi fore, ne quid Respublica detrimenti caperet. *Amstelodamum* interea peruenerat GROTIVS, inde *Hamburgum* petiturus. Neque enim affectabat, ullis SE Ciuitatibus uidendum praebere, nisi per quas necessitas EVM cogeret transire.

Consulatum *Amstelodami* tum temporis obtinebant Viri sapientes et moderati, *Petrus Hasselarius*, *Andreas Bikerus*, *Gerbrandus Pancratius*, *Guilelmus Bakerus*, qui, de aduentu in urbem suam GROTII, certiores facti, neque dissimulare cupientes, quanti facerent VIRVM TAM SOLIDE ERVDITVM, TAM BENE DE PATRIA MERITVM, TAMQVE ILLVSTRI, PER TOTVM TERRARVM ORBEM, FAMA CELEBREM, sine cunctatione EVM adire, optima

quaeque officia EI offerre, publico conuiuio excipere, et nauem, itineri IPSIVS aptandam, curare. Ita rursum patria, nunquam SIBI postea uidenda, excessit VIR SVMMVS, *Hamburgo*, terrestri maritimo itinere, *Lubecam* petens, honorificeque a magistratibus utriusque ciuitatis exceptus. Inde *Vismariam*, Ducis *Pomerani* oppidum, *Suecicis* praesidiis occupatum, peruenit, Erat eo tempore non longe ab eius portu, cum classe ingenti, *VVrangelius*, Comes, Regni *Suedici Archithalassus*, qui, de aduentu tendentis in *Sueciam* GROTII certior factus, continuo nauem bellicam, promouendo IPSIVS itineri, ad EVM misit, qua *Calmariam* GROTIVS uenit, inde *Holmiam* petiturus. Quo comperto, *Regina*, quae tum forte erat *Vpsaliae*, magnoque iam pridem uidendi GROTII desiderio tenebatur, reditum suum in eandem urbem, imperii sui sedem, accelerauit. Postero die, ad alloquium *Reginae* admissus GROTIVS, postquam multa, rebus ac tempori conuenientia, disseruisset, LEGATIONIS SVAE partes exposuit, actionum suarum rationem reddidit, pro gratia, tam diu percepta, gratias egit, dimissionemque a ministerio suo petiuit. At *Christina*, ut erat omnium rerum, cognitione liberali dignarum, callentissima, literarumque et literatorum amantissima, IPSIVS etiam GROTII, editorum-

torumque ab EO Scriptorum, perſpicaciſſima exiſtimatrix, ſicut *inferius*, ex eius ad Viduam GROTII datis, literis, clarius patebit, ad reliquae orationis IPSIVS capita perbenigne reſpondit, et, quae promiſerat EI, de officiis, ſibi praeſtitis, bene remunerandis, diſerte repetiuit, ad ultimum, ubi de dimiſſione ſua locutus erat, tantum per ambages reſpondit. Adeo, ut non obſcure pateret circumſtantibus, mentem eſſe *Reginae*, GROTIVM apud ſe detinere, propiuſque ſuis EVM conſiliis admouere. Senſit hoc etiam ipſe GROTIVS, neque dubitauit, hoc unum ſufficere ad irritandam inuidiam illam, quam, a principio aduentus ſui, in non nullis Regni Proceribus animaduerterat. Quare, nihil minus propoſitum EI erat, quam in ea terrarum parte habitationis ſuae ſedem figere, ubi non minus cum ingeniis hominum, tam male SIBI uolentium, quam cum aeris inclementia, luctandum quotidie foret.

[1]) *Diſcemus*, inquit, *ex te, ubi redieris, qualis ſit illa mundi pars*, quam ſibi rigidus Septentrio ſepoſuit. *Etiamſi nihil ibi uideris, praeter magnum Cancellarium, ſatis erit cauſae, cur in illas mundi partes, ſicum antiquitate loquamur, ultimas, excurreres.* EIVS ME AMICITIA SPECIOSIOREM, QVAM IPSA LEGATIONE, CENSEO.

1) Ep. CLXXXVI. I, ad Ludou. Maurer. Beni. Filium.

Non deſtitit ergo, coram Regina, quoties ad eam accederet, dimiſſionem ſuam et ueniam ad ſuos reuertendi efflagitare. Ac *Maurerius** quidem dicit, GROTIVM inſalutata Regina diſcedere, iamque in loco iſto, quem *Daeler* uocant, nauem conſcendere, uoluiſſe, uerum ea mihi *narratio* non parum dubia uidetur et incerta. Etſi enim facere hoc iure potuiſſet, cum praeſertim plus ſemel diſcedendi ueniam flagitaſſet, ſuiſque apud Reginam officiis nuntium miſiſſet, neque inuitus retineri diutius poſſet, ex inſequentibus tamen mox uerbis, *Domina, permaneo tuae Maieſtatis ſubiectiſſimus ſeruus*, liquet res omnis, nec minus e *literis* ipſius Reginae, *infra* reperiendis, ex *Anonymi* Vita item *huius Reginae*, uideturque originem aliunde hic rumor traxiſſe. Cum enim ad Reginam, e *Suecia* diſceſſurus, orationem haberet, et Regina uerbis quibuſdam, quod nullo modo remanere uellet, EVM pungeret, nihil is repoſuit, praeter uerba modo relata,

DOMINA, PERMANEO TVAE MAIESTATIS SVBIECTISSIMVS SERVVS,

et ita diſceſſit. Haec uerba Regina male ferre coeperat, ſed, cum *Gallus* quidam, nomine *Marigny*, GROTIO non parum fauens, diceret, eiuſmodi diſceſſum *Gallici* quoque moris eſſe, Regina

* Memoires pour ſeruir a l'Hiſtoire d' Hollande, p. 430.

Digitized by Google

na id credebat. *Maurerius* quidem, Vir alias fidei minime subleſtae, uel ideo meretur excuſationem, quoniam hic relata ab aliis refert. Ex his ea per ſe concidunt, quae de GROTIO fabulatur *Ludouicus*[1] *Crocius*, multos tunc temporis credidiſſe, GROTIVM, quaſi Pontificiorum dogmatibus fauentem, e gratia Reginae *Chriſtinae* excidiſſe. Regina,[2] quae neque diuerſas terrarum regiones, neque diſcrepantes hominum mores, ignorabat, eoque minus dubitare poterat, quam difficile eſſet, ANIMVM VIRI NON AVARITIA, NON AMBITIONE DISTRACTVM, SED SOLIS STVDIIS ET VIRORVM ERVDITORVM COLLOQVIIS CONTENTVM, ex eo, ſub quo tam diu reſpirauerat, coelo, in eam mundi plagam trahere, quae uix ipſi, ibi natae, educatae ibi et regnanti, immo, ne uix quidem, placeret, ſtatuit, tandem deſiderio IPSIVS morem gerere, EVMQVE SINGVLARIS[3] AFFECTVS DEMONSTRA-

1) Ep. ad Gerard. Ioann. Voſſium ſcripta.

2) Anonymi Vita GROTII.

3) Et generatim apud Reges et Principes magni aeſtimatus eſt GROTIVS, apud *Henricum* IV, Regem *Galliae*, a quo etiam torque aureo eſt donatus, pag. 18, apud eius regni Succeſſorem, *Ludouicum* XIII, p. 286, 353, 399, apud *Iacobum*, R. *Angliae*, p. 23, apud *Chriſtinam* Reginam *Gothorum* p. 475. apud Principem *Condaeum*, pag. 16, apud Principem Auriacum, *Mauritium*, ante ortam *Arminianorum* litem, pag. 19, apud eius Fratrem *Fridericum Henricum*, pag. 284, et infra pluribus, apud Card. *Richelium*, quamuis propter ſubmiſſionem inuidentem, p. 397, immo, GROTIO iniuriam illatam deprecantem, p. 399, in medio, apud Senatum *Amſtelodamenſem*, p. 473, apud *Axelium Oxenſtirnam*, p. 475.

Digitized by Google

STRATIONIBVS CVMVLATVM DIMITTERE. Regina enim SVMMVM HVNC VIRVM, per tempus bene longum, partibus ſuis in Regno *Sueciae* perfunctum, NON MODO IMPENSE COLLAVDAVIT, SED ETIAM, NE SINE MVNERE ABIRET, DVODECIM MILLE IMPERIALIBVS, ut narrat *Maurerius*, uel, ut *Anonymus* Vitae Reginae *Chriſtinae* ſcriptor habet, TREDECIM, IISQVE EX CVPRO CONFLATIS, DONABAT. Quanquam hoc munificentiae genus Reginae iam olim erat ſolenne. Conſtat enim, unicam *Freinshemii* Orationem, qua natalem ipſius alterum et uiceſimum celebrauit, mille imperialium praemio remuneraſſe, quale quid nihil ante unquam, aut uſquam, facile accidiſſe, conſtat.

Ita, quamuis aegre conſentiente Regina, *Holmia* diſceſſit GROTIVS, corpore iam minus ualidus, contractaque, uti credebatur, infirmiore ualetudine, partim ex taedio retardati tam diu itineris, partim ex rigore aeris, naturae ſuae minus conuenientis. Sed ſperabant, qui EI aderant, tam ualidam in EO futuram ſpem reuiſendae propediem coniugis et familiae ſuae, ut praecipuam partem doloris, quam ex utriuſque abſentia contraxerat, diſſipare poſſet. Mox nauim conſcendebat, ut *Lubeca Oſnabrugam*, ad Pacem ibi cum aliis conciliandam, iret, prout *Vondelius*, Poeta *Batauorum* celebris, et Scriptor, in uita GROTII Ger-

Germanica, referunt, uel, ut *Anonymus* Belgicus, in uita GROTII, Latine scripta, uult, ex magno desiderio familiae suae uisendae, uel, sicut malunt alii, quanquam fide minus digni, in *Galliam* reuertendi, cupiditate inductum, ut LEGATIONEM ibi denuo susciperet ad *Poloniae* Regem. Proficiscens GROTIVS, ac reditum in Patriam, suasu Coniugis et Amicorum, parans, coelo sereno, uentisque satis fauentibus, e portu *Dalerensi* soluit nauis, quae transuehendum *Lubecam* GROTIVM susceperat, sed breuis fuit illa aeris serenitas, quoniam, insequenti die, uehemens tempestas, contrahere uela, iussit, et ingraueſcens magis magisque sub uesperam, maiorem malum discidit, eiusque pondere submersum paene naufragium, adeo contrariis undique uentis concussit, VT, FRACTO ALTERO QVOQVE MALO, PERCVLSVS GROTIVS, tandem in *Pomeraniam* ulteriorem, ad oram *Cassubiae*, quassatam perfluamque nauem littori impegerit. Notatu dignum est, quod, in Prolegomenis ad *Procopii* Historiam Belli *Gothici* ac *Vandalici*, * GROTIVS ipse commemorat, Mare *Balticum* generatim *turbulentum* quid notare.

Est autem, id nomen non proprium, sed commune. Nam, maris irruptionem *eo significari*, *norunt Frisii*. VVellen *significat*, cum impetu fluere.

* pag. 4.

Octauo, postquam e portu soluerat, die, descendit in arenam cum comitatu suo GROTIVS, non longe a uico *Lyba*, decem et quatuor milliaribus *Germanicis* ab urbe *Dantiscana* dissito, non minus animo, quam corpore, AEGER, cumque ne unum quidem diem, curando ac reficiendo corpori, ab animo, redire ad suos festinante, posset obtinere, rustico, quod aegre ibi nactus erat, uehiculo, iter, per medios uentos et imbres, qui uelut in lacrymas, ob miseram conditionem, instantemque VIRI HVIVS IMMORTALITATE DIGNISSIMI mortem, solui uidebantur, continuauit per aliud octiduum, donec, consumptis, per nimias agitationes et lassitudinem, uiribus, tandem *Rostochium* peruenit, et lecto, *non resurrecturus*, se commisit. Hic enim gradum sistere cogebatur. Defatigati ac fracti quippe Spiritus suadebant IPSI, ut Medicum *Stocmannum*, eodem die XVII Augusti, ad se uocaret. Qui, accersitus, pulsu uenae obseruato, magnamque lassitudinem ac uires prostratas, immo, sudorem deprehendens lethalem, de uita EIVS actum esse, pronuntiabat. Licet *Anonymus* vitae GROTII Belgicus referat, die XVII Aug. Medicinae Doctorem, *Stocmannum* fuisse accersitum, qui, pulsu uenae obseruato, eiusque debilitatem soli lassitudini ascribens, iudicarit, requie et nutrientibus cibis

Digitized by Google

cibis reficiendum esse CORPVS. Verum, eundem illum uirum, die sequenti XVIII Aug., A.CIↃIↃCXLV, reuersum, cum animaduerteret, infirmitatem creuisse, sudoremque prorupisse lethalem, alia item signa deficientis naturae sese exeruisse, tandem confirmasse, finem adesse uitae, IPSVMque iam uersari in agone mortis. Interim *Quistorpio* magis credendum, quippe, QVI, TESTIS OCVLATVS, OMNIBVS VEL INTERFVIT, VEL MELIOREM PERCIPERE NOTITIAM EX STOCMANNO, BALEMANNIA, ALIISQVE, POTVIT, neque uideo, cur a ueritate recedere, aut aliquid circa mortem eius memorabile uoluerit reticere. Illis igitur Medici uerbis GROTIVS permotus, praesentiam *Ioannis Quistorpii*, Doctoris ac Professoris Theologi, Verbique Diuini ibidem Ministri celeberrimi, expetebat, qui etiam, circa nonam uespertinam, ad GROTIVM accedebat, postque habitos cum EO sermones, super fragilitate humana, multifariis item mortalium peccatis, necessaria ob haec poenitentia, iisdemque ab DEO, propter merita CHRISTI, condonandis, de immensa DEI clementia, quaeque his similia morientibus proponi solent, ad preces se conuertit, quarum uerba, complicatis manibus, uoce submissa, secutus GROTIVS, paulatim deficere, auditumque primo, mox et uisum, amittere, coepit, nec multo post, nocte

nocte media, anno AETATIS SVAE LXII, placide exſpirauit. MEMORIA tamen EIVS et EIVS meritorum, expirabit nunquam, uerum, uti floruit iam diu et uiguit, ita florebit longius, et longius uigebit, uigebit, inquam, donec circumfuſus ille orbi terrarum Oceani curſus perennabit.

Quiſtorpii ad *Calouium* literas hic ſubiungemus, GROTII MORTEM, accurata ſatis deſcriptione, complexas.

Contendis a me, ut perſcribam, quo modo, mundo huic VALEDICTVRVS, LITERATORVM PHOENIX, HVGO GROTIVS, SE *geſſerit. En, paucis id habe. Conſcenderat* ILLE Stockholmiae *nauim, qua* Lubecam *ferretur, uehementibus per triduum in mari iactatus procellis, naufragium patitur, et* AEGER *ad* Caſſubiae *littora appellit. Inde, perquam incommodo curru, pluuia tempeſtate, per* LX *et plura milliaria,* Roſtochium *noſtrum deuehitur. Diuertit ad* Balemanniam, *D.* Stocmannum *Medicum aduocari, curat, qui, aetate, naufragio, incommodis itineris, fractas uires aduertens, uitae terminum imminere, praeſagit. Secundo, ab ingreſſu in hanc urbem, die, qui ſtyli ueteris erat* XVIII Auguſti, *me hora nona ueſpertina ad* SE *uocat. Acceſſi, propemodum in agone* VIRVM *conſtitutum offendi, compellaui, et, me nihil maluiſſe, affirmaui, quam,*

Digitized by Google

quam, ut mihi cum IPSO *incolumi sermones sociare licuisset. Regerit* ILLE, ITA DEO VISVM EST. *Pergo, ut ad beatam emigrationem* SE *componat, peccatorem* SE *agnoscat, super commissa doleat, moneo. Cumque, inter loquendum, publicani, peccatorem se fatentis, et, ut* DEVS SVI *misereretur, precantis, meminissem, respondit,* EGO ILLE SVM PVBLICANVS! *Progredior, ad* CHRISTVM, *extra quem nulla est salus,* IPSVM *remitto, subiicit* ILLE, IN SOLO CHRISTO OMNIS SPES MEA EST REPOSITA. *Ego, clara uoce, Precationem illam* Germanicam *Germanice recitabam, quae incipit,* HERR IESV CHRIST, VVAHR MENSCH VND GOTT *etc.* ILLE, *complicatis manibus, submissa uoce,* ME *insequebatur. Quum finiissem, quaesiui, an me intellexisset? Respondet,* PROBE INTELLEXI. *Pergo illa recitare ex uerbo* DEI, *quae iam morituris in memoriam reuocari solent, quaero, an me intelligat? Respondet,* VOCEM TVAM AVDIO, SED, QVAE SINGVLA DICAS, DIFFICVLTER INTELLIGO. *Cum haec dixisset plane conticuit, et, breui post,* SPIRITVM *exhalauit, in puncto* XII *nocturnae. Habes catastrophen uitae, a* GROTIO, SVMMO VIRO, *actae.* CADAVER *medicis post commissum est.* INTESTINA, *lebeti aheneo imposita, ut, in templi apud nos primarii,* Virgini Mariae *sacri, locum honoratissimum reponerentur, a templi praefectis facile impetraui. Molliter*

CINERES

CINERES *cubent! Vale. Dabam* Roſtochii, *pridie* Michaelis, A. CIↃIↃCXLV.

CORPVS MORTVVM, aromatibus conditum *Delphoſque Batauorum*, urbem EIVS natalem, tranſlatum, ibidem, magna exequiarum pompa, proauorum ſepulcro, in choro aedis nouae, ad dexterum latus inclytae illius areae ſepulcrorum *Principum Auriacorum*, eſt illatum, ADEOQVE EIVS PATRIA, QVAE VIVO EI QVIETEM INVIDERAT, MORTVVM, EXTINCTO IAM LIVORE, TANDEM RECEPIT. Epitaphium IPSE, iam aliquot ante mortem ſuam annis, SIBI compoſuit, ut ex Epiſtola ad fratrem, *Guilielmum Grotium*, data, * liquet. Eſt autem Epigramma ſequens.

GROTIVS HIC HVGO EST, BATAVVM CAPTIVVS ET EXVL,
LEGATVS REGNI, SVEDIA MAGNA, TVI.

Ab EIVS morte, duo quoque Nummi ſunt conſpecti, quorum *unus*, facie priori, effigiem GROTII et NOMEN, poſteriori facie, *Arcam*, duabus inſignem Coronis, *Galliae* et *Sueciae*, prae ſe fert. Vnum praeterea latus Arcae ſolem oſtendit *orientem*, latus alterum *Arcem* exhibet *Lupenſteiniana*m. Superne haec uiſuntur uerba, MELIOR. POST. ASPERA. FATA. RESVRGO. Inferne, Annus

* Tom. II, Epiſtolarum, p. 915.

Digitized by Google

IIIIS indicatur tum NATALIS EIVS, tum EMORTVALIS, NATVS. CIↃ IↃ LXXXIII. OBIIT. CIↃ IↃC XLV.

Nummorum *alter* exhibet, facie priori, GROTIANAM effigiem, cum his uerbis, HVGO. GROTIVS. NATVS. CIↃ. IↃ. LXXXIII. DECIMO. APRILIS. OBIIT. CIↃ.IↃC. XLV. VIGESIMO. OCTAVO. AVGVSTI. Posteriori facie hi leguntur Versus,

DE FENIX VAN HET VATERLANDT,
HET DELFSCH' ORAKEL T'GROOT VERSTANDT,
HET LICHT, DAT D'AARDE ALOM BESCHEEN,
DE GROOT VERTOONT ZICH HIER IN T'KLEEN.

Tali modo MAXIMVS HIC et INCOMPARABILIS VIR, eo tempore, VITAE HVIVS finem facere, et CORPVS SVVM corruptioni tradere, coactus fuit. VIVIT TAMEN, ET VIVET ILLE IDEM, ETIAM NVNC, IN SCRIPTIS SVIS AVREIS, PER SVVM EXCELLENS INGENIVM, QVOD IN EA INTVLIT, ET PER EA, VSQVE AD NOSTRA TEMPORA, ADHVC SVPERSTES EST, AC NOBISCVM ERIT, DONEC ERIT TERRARVM ILLE ORBIS. Non possum, quin hic addam Naenias ad Magnos Tumulos GROTIANOS.

VIATOR

Digitized by Google

VIATOR ET APOLLO.

V. MAGNVS HVGO PARVA NVM TVMBA CLAVDITVR ISTA?

A. NOMEN TAM MAGNVM CLAVDERE TVMBA NEQVIT.

V. NVNC DELPHIS, PATER, AT, CVR NON ORACVLA REDDIS?

A. ME, MEVS INTERPRES, MORTE, TACERE, IVBET.

Adiungam hic partim *impias calumnias*, quibus MAGNI HVIVS VIRI pium obitum inquinare et infamem reddere quidam conati sunt, quarum non nullae tam aperte sunt falsae, ut tantum non manibus palpari queant. At uero, HVIVS VIRI MERITIS ATQVE CINERIBVS, qui hoc ipsum, iure quodam suo, poscere uidentur, ut tandem satisfiat, pietas ipsa, et ipsa aequitas, uelut imperare uidentur. Perperam igitur ait * *Patinus*,

Audiuimus, mortuum esse GROTIVM, *ex febri quadam continua, in reditu ex* Suecia, *non sine ueneni suspicione. A parte Lutheranorum,* dicitur *sublatus, ex hac ratione, quod de* Antichristo *scripserit in fauorem Papae.*

Verum

* Tom. I, Ep. VII, p. 19.

Digitized by Google

Verum enim uero, nec ullus Scriptor alius hoc confirmat, nec confirmabit unquam, aut probabit. Ad haec nemo Medicorum, qui sectioni et unctioni interfuerunt, mentionem facit huius rei. Venenum enim si recepissset, in *Suecia*, oporteret, hoc esse factum, nec Medici *Rostochienses* singularis huius rei, nec *Quistorpius*, in epistola sua, mentionem eius facere, obliti fuissent. Ipse quoque *Patinus*, in Epist. eadem, hac de re dubitat, sicut ex ea uidere licet. *Sed, non credo*, inquit, *ueneno ibi quenquam facile tolli.* Quod si haec fama ueritate fuisset fundata, sequenti [a]) Epistola quam maxime rem hanc repetiisset, ita loquens.

DEFVNCTVS GROTIVS *etiam ex amicis meis unus erat. Effuse gaudebam, quoties colloquerer cum* IPSO, *sed praematuro, tum mihi, tum reipublicae, decessit. Audita* EIVS *morte*, Rostochii, *urbe Anseatica, facta, reuertendo ex* Suecia, *ultimo die Mens. Augusti,* A. CIↃIↃCXLV, *natali meo, adeo afflictus fui, ut in morbum caderem, et, per octo dies, moestus permanerem.*

Idem alibi, sequentem in modum, loquitur.

[a]) GROTIVS *mortuus est* Rostochii, A. CIↃIↃCXLV, *reuer-*

1) Tom. I, Ep. XXX, p. 78.
2) Tom. II, Ep. IↃXLV, p. 580.

reuertendo ex Suecia, *ubi* LEGATVS *fuit Reginae* Chriſtinae, *apud Regem noſtrum.*

Qui porro *circumſtantias* conſiderat EIVS dimiſſionis, quam aegerrime impetrauit, clare perſpiciet, quam falſo haec ſint dicta.

Rumorem longe etiam incertiorem refert *Maurerius*, eo captus ipſe, quando, in ſuis, alioquin fide haud indignis, *Memoriis*, ita narrat.

MORIBVNDVM GROTIVM *uariarum religionum miniſtri, ut*, Lutherani, Reformati, Pontificii, Sociniani *et* Anabaptiſtae, *conuenerunt, ac eorum quilibet in ſuas* EVM *partes trahere laborarunt. At, his controuertentibus, et unoquoque, Religionis ſuae principia ceteris eſſe firmiora, demonſtrare modis omnibus conantibus,* GROTIVM *aliud reſpondiſſe nihil, quam*, Non intelligo. *Conticentibus deinceps omnibus, illud unum addebat*, Hortare me, ut Chriſtianum morientem decet.

Quod ſi haec omnia, hunc ad modum, ut *Maurerius* retulit, geſta eſſent, unde, quaeſo, *Sociniani, Anabaptiſtae aliique*, in aduentu GROTII tam improuiſo, tempore tam exiguo, morte tam repentina, acceſſiſſent. Prius enim, quam aduentus GROTII percrebuiſſet, aderat iam extremus ille GROTII actus. Immo, narrante *Anonymo* Vitae GROTIANAE Belgico Scriptore,

Digitized by Google

ptore, et Epistola *Quistorpii* confirmante, *Quistorpium* ipse accersendum curauit GROTIVS, ut adeo ne ille quidem, *Rostochii* licet habitans, aduentum GROTII prius, quam accerseretur ab IPSO, cognouisse uideatur. Neque uero tanti momenti circumstantiam, de GROTII morte, *Calouio* referre, oblaturus fuisset *Quistorpius*, multo minus *Calouius*, de salute GROTII dubitans, tanquam rem, demonstrationi suae uel maxime inseruiturum, repetere intermisisset. Ad haec *Maurerii* uerba nequaquam cohaerent. Allocutionem enim GROTII tribuit pluribus, dicens, *conticentibus deinceps omnibus*, contra, eius Responsionem collocat in numero singulari, *Hortare me, ut Christianum morientem decet.* GROTIVM ergo unam ex iis Religionibus elegisse, postea uero cum uno earum Religionum socio fuisse collocutum, necesse esset, alioqui dixisset, *Hortamini me, ut Christianum morientem decet.* Quo multitudinis numero *Maurerius* cum usus non sit, (id enim si fecisset, utique constaret, eius generis homines affuisse,) suae ipse fidei non parum detraxit. Quis autem non clare satis uidet, ex ipso *Quistorpii* extremo, ad GROTIVM MORITVRVM, sermone hoc omne fuisse natum, *Quistorpii* literis de obitu GROTII nondum extantibus, e quibus eiusmodi calumniae refutari potuissent,

auariarum ſociis Religionum deinceps ſparſae, quaſi nulli certae Religioni SVMMVS ILLE VIR addictus fuiſſet. Ex quo haud obſcure perſpici poteſt, etiamſi, in memoriis ſuis, *Maurerius*, quid cum GROTIO, in *Gallia Batauiaque* geſtum ſit, fidem haud uulgarem promereatur, tantundem tamen fidei, in rebus *Suecicis*, ad GROTIVM ſpectantibus, uſquequaque non mereri, uti iam ſupra* eſt oſtenſum. Stat igitur *Quiſtorpii* EPISTOLA, LOCO TESTIS OCVLATI, PRO MILLE TESTIBVS.

Verum plures proferamus, Chriſtianis minime conuenientes, eorum obtrectationes, qui, ſe regni coelorum claues habere, iactant. Scribebat perpetuus eius Aduerſarius, *Andreas Riuetus*, ** IPSVM ad plures abiiſſe, neque ullum poenitentiae ſignum, quod notum ſit, edidiſſe, multo minus ſatiſfactionem de conuiciis et calumniis praeſtitiſſe. Attamen ille, ſine dubio conſcientia motus, addit, *Seruum alienum ſe iudicare nolle.* At eum tamen re iam ipſa iudicarat. Alius in hac uerſabatur opinione, ſub EIVS Confeſſione *Arminianum, Pontificium, Sociniaanum* et *Arianum*, latere poſſe, cum nimirum fidem ſuam in CHRISTVM tantum teſtatus fuerit, et metuendum, ne, ſicut in *Suecia* dignitatis, in *Caſſu-*

* ſupra, p. 394, et ſupra, 477 paſſim.
** in Διελύσει p. 596.

Digitized by Google

Cassubia bonorum et uitae, ita in morte salutis suae aeternae, naufragium fecerit. At uero, MORIENTIS GROTII Confessio Fidei, breuis et neruosa, IN SOLO CHRISTO SPES MEA REPOSITA, has omnes diluit incusationes. SI ENIM VT SOCINIANVS * ESSET MORTVVS, AD SATISFACTIONEM ILLAM MERITI CHRISTI PROVOCARE HAVD POTVISSET, QVIPPE QVAM SOCINIANI NEGANT. *Vittembergensis* uero *Calouius* ille uitio uertebat D. *Quistorpio*, quod cum GROTIO non statim de rebus fidei collocutus fuisset, sed, aliis sermonibus proletariis EVM morando, saluti EIVS animae fortasse obstitisset. Doleo, uiro, ceteroqui uenerando, excidisse uerba haec inhumaniora paulo et asperiora, quam moratiorum leges gentium admittunt. Nempe, iam tum, quo quisque GROTIO infensior esset ac maledicentior, eo diligentius studiosiusque suo munere perfungi uidebatur. Quod ea tamen cautione dico, ut moneam, non deesse inter diuersarum Doctores Religionum, qui modeste, qui reuerenter grauiterque, et loquantur de HOC INCOMPARABILI VIRO, et scribant, quos inter Vener. *Iaegerus* est, qui scribit, *In extremo agone constitutum* GROTIVM, SOLA IN VNICVM SALVATORIS NOSTRI MERITVM FIDVCIA NIXVM, EMISISSE SPIRITVM, *testis est* Rostochiensium *Theologus, qui* MORIBVNDVM *inuisit, et, depromptis*

* infra, p. 493.

ex uerbo diuino solatiis, non defuit. Accedit, ut *alios* omittam, optimo *Tubingensium* Cancellario, Doctor et Prof. Theol. Ienensium Cel., *Ioann. Franc. Buddeus*, in Lexico illo magno Hist., sub nomine GROTII.

At uero,

- - *Praesens male iudicet aetas,*
Iudicium melius posteritatis erit.

Sententia igitur *Calouiana* aliorum iudicio relicta, de MORTVO NOSTRO sperare malumus ea, quae ipsi nobis exoptamus. Praeterquam enim, quod ista, quam hodie uocant, *haeretificatio* uulgo nimis dominatur, et in homines saepe etiam innocentes exercetur, ego saltem in extremo illo GROTII actu offendere eiusmodi nihil possum, quod me offendat, aut, quod a morte hominis Christiani abhorrere mihi uideatur. *Re enim*, non nomine, Christianum discerni, reor, atque illud praestruo, hominem abiturum e uita, cum mors et immortalitas in conspectu sint, uera dicere, eo quippe momento, quo mentiri neminem iuuat. Vicinus aeternitati, quasi aeternus, loquatur. Audi, Posteritas, si libet, uerba paene ultra uitam prolata et uera. Lege *Quistorpii* Epistolam, de GROTII obitu, ab obitu GROTII scriptam, ne fallat, ad aeternitatem, ne pereat.

Hora nona, Quistorpius inquit, *uespertina*,

ME AD SE VOCAVIT. *Accessi, propemodum* IN AGONE VIRVM CONSTITVTVM *offendi. -- Perge, ut ad beatam emigrationem* SE *componat, peccatorem agnoscat, super commissa doleat, moneo, cumque, inter loquendum, publicani, peccatorem se fatemis, et, ut* DEVS *sui misereretur, precantis, meminisse, respondet,* EGO ILLE SVM PVBLICANVS. *Progredior, et ad* CHRISTVM, *extra quem nulla est Salus,* IPSVM *remitto. Subiicit ille,* IN SOLO CHRISTO OMNIS SPES MEA EST REPOSITA. *Ego, clara uoce, Precationem illam Germanicam Germanice recitabam, quae incipit,* HERR IESV CHRIST, VVAHR MENSCH VND GOTT *etc. Ille,* COMPLICATIS MANIBVS, SVMMISSA VOCE, ME INSEQVEBATVR. *Cum finissem, quaesiui, An me intellexisset? Respondet,* PROBE INTELLEXI.

Si ergo, apud omnes gentes, sanctae sunt Defunctorum uoluntates, neque tantum, quae nuncupantur, aut, tabulis praescriptae, extant, sed etiam, si quas probabilibus argumentis assequitur coniectura, quid habes, quod profers, si non uis eas uiolare? Quod si has etiam rationes admittere detrectas, uirtutes inspice hominis Christiani, in primis confidentiam erga DEVM, de qua iam [1] *supra* dictum, uexationem istam,[2] quam

1) supra p. 258, 259, 260. 2) supra p. 193, et p. 232, et p. 246.

Digitized by Google

quam, ob *Arminianiſmum*, DEO permittente, eſt perpeſſus, conſtantiam patientiamque [1]) prope ſingularem, quam in his afflictionibus oſtendit, amorem et officia, fidei plena, quae Patriae [2]) ſuae, quantumuis omni contumeliarum genere affectus, praeſtare non dubitauit, charitatem, qua tantum non omnes, etiam SIBI [3]) infenſiſſimos, eſt proſecutus, gratias, quas DEO, [4]) pro tot tantiſque beneficiis, ad miraculum uſque, uti paſſim in *Epiſtolis* praedicat, ſibi praeſtitis, laetus agit, et ingenue fateri cogeris, Chriſtianum fuiſſe GROTIVM, nihilque rei Chriſtianae ab IPSO alienum fuiſſe. Sed, cur diutius circa ſaxum hoc haeremus, neque potius ingentem illam [5]) tempeſtatem, naufragiumque [6]) illud, conſideramus, et obuerſantem ob EIVS oculos perpetuam mortis imaginem, octiduumque [7]) illud ac permoleſtum, uerſus *Roſtochium*, iter, *Librum* item aureolum, de *Veritate Religionis Chriſtianae*, et alia IPSIVS praeſtantiſſima ſcripta? Hoc enim facto, eiuſmodi calumniae per ſe expirabunt, et opiniones parum Chriſtianae amittent fidem, bonique omnes Chriſtiani, pro conſcientiae religione, confitebuntur, minime imparatum ex itinere

1) ſupra p. 195, et paſſim. 2) ſupra p. 16, 22, 23, in primis p. 198, 217, p. 247. in primis 245, p. 419. 3) ſupra p. 245, 80. 4) ſupra p. 240, et paſſim. 5) ſupra 479, 482. 6) eadem pag. 7) ibidem ſeq.

itinere hoc terrestri ad coeleste illud SESE accinxisse. Qua religione uero, quo item profectu, et quam seria mortis meditatione, VITAE SVAE tempus quotidie transegerit GROTIVS noster, illud sane tum EIVS Symbolum, * HORA RVIT, quo IPSO, cupiebat, admoneri, prout *Maurerius* ** docet, ut tempus, quod tanta celeritate effluere consueuit, quam optime, et in rebus quam optimis, identidem collocare anniteretur, tum etiam multo magis *Epitaphium* illud, quod, *Disticho* inclusum, paucis ante obitum annis, IPSE SIBI adornauerat, iam *supra* 1) relatum a nobis, testatur.

Vnde uero eiusmodi *Censurae* prouenerint, operae pretium fuerit, perquirere accurate.

Causae igitur notiores fuerunt sequentes. GROTIVM, ex arce *Lupesteniana* 2) elapsum, *Lutetiamque Parisiorum* ingressum, Ministri Ecclesiastici, *Arminianorum* religioni, in Synodo *Dordracena* damnatae, addictiorem, admittere nolebant, sortem EIVS miseram, tali ratione, adaugentes. At, cum GROTIVS postea, ut Regni *Sueonum* LEGATVS, in *Galliam* reuertisset, Sacerdotesque *Charentonenses*, de *Arminianae* doctri-

* Symbolum illud GROTIANVM admirator quidam VIRI SVMMI hoc inclusit monosticho,

HORA RVIT, RVIT HORA, HORAM DA, CHRISTE, BEATAM.

** Memoires pour seruir a l'histoire d'Hollande, p. 434.

1) supra, p. 484. 2) supra, p. 260.

Digitized by Google

nae fundamentis melius fuiſſent edocti, ſatiſque iam perſpexiſſent, iniuriam ſeſe GROTIO feciſſe, miſſis ad EVM Senioribus, una cum Eccleſiaſte quodam, petierunt ab IPSO, uti Sacris intereſſe ſuis ne dedignaretur, confirmantes, *Lutheranos* ipſos, breui ante tempore, per Decretum ultimae Synodi *Charentonenſis*, ad Sacra ſua fuiſſe admiſſos. Verum GROTIVS eis reſpondebat, QVONIAM SE, CVM ESSET PRIVATVS ET EXVL, DESERVISSENT, NEQVE ADMISISSENT, SESE NVNC, CVM SIT LEGATVS, EOS ESSE DESERTVRVM. Ac profecto, concionibus eorum nunquam uolebat intereſſe, ſed domi Sacra ſua ante Legationem peragebat, LEGATIONIS autem tempore, Eccleſiaſtis duobus ibidem utebatur. Praeceps igitur iudicium hoc Clericorum, qui IPSVM pro fidei ſocio admittere nolebant, eo, quod religioni *Arminianae* addictus eſſet, famoſum hunc excitauit rumorem, id quod etiam *Guido Patinus*,* ubi de GROTII cum *Riueto* certamine ſcribit, bene ſatis obſeruauit, dicens, *Non bene conſtare poteſt de ipſius Religione per xx annos.* Vnicuique penſitandum relinquemus, an non huius rei cauſa fuerint ipſi *Sacerdotes*, qui huic ſeparationi facile medelam potuiſſent parare, ſi Chriſtiana charitate, pietate et moderata prudentia, uti uoluiſſent.

* Ep. VII.

Dein-

Digitized by Google

Deinde ad has *censuras* non parum faciebat, quod *Arminianos*, qui Christianam concordiam mutuamque Religionum tolerantiam concedebant, eiusmodi homines esse, iudicarent, qui, nullo earum habito discrimine, Religiones tantum non omnes susque deque habere uiderentur. De quo tamen ipsa, *Arminianorum* uerba longe aliud testabantur. Scribebant enim ita non nulli.

Optandum esse, ut, qui publicis ecclesiis et officiis praesunt, in confessione doctrinae suae, in ceremoniis et similibus, intra limites ueteris illius ac primae Ecclesiae Christianorum et Apostolorum, eorumque simplicitate et communitate, sese continerent, quippe qui, unica saepe concione, aliquot hominum millia ad Christianam Religionem conuertebant, uel,* VT SOLIS ARTICVLIS SYMBOLI APOSTOLICI INHAERERENT, *nec aliorum dominari conscientiae auderent, sed potius in omnibus communitatibus sine offensione uersarentur, ibique S. Coenam administrarent.* HOC PACTO IN COMMVNIONE CONSERVARI PAX, VEL ETIAM INSTAVRARI, POSSET, LICET DOCTORES IN OPINIONIBVS SVIS DISSENTIRENT, SI QVILIBET LIBERTATEM INTERPRETANDI SCRIPTVRAM RETINERET, SINE DISSIDII METV.

Recen-

* Barthol. Praeuostus, ap. Calou. consid. Armin. p. 30. Benthem. Hollandischer School- et Kercken-Staet cap. XIIX, pag. 650.

Digitized by Google

Recentior quidam *Doctor*, idemque celebris inter eos, hac de re sic scribit.

NOS * REMONSTRANTES OMNIBVS COETIBVS CHRISTIANORVM, IN FVNDAMENTO FIDEI VNANIMIS, MVTVAM OFFERIMVS TOLERANTIAM, EOQVE TANQVAM CHARACTERE SOCIETATIS NOSTRAE, AB ALIIS SECTIS PECVLIARIBVS, QVAE CONFESSIONES NOSTRAS, VT SIGNA FRATERNITATIS, POSTVLANT, AGNOSCI VOLVMVS AC DISTINGVI, VT, HAC RATIONE, PER NOS HAVD QVAQVAM STET, NON OMNES, IESVM EX ANIMO SINCERO INVOCANTES, IN VNICVM COETVM COALESCERE, *nec omnium, cum amore non fucato, mentem animumque esse unum, cui dissensus* IN REBVS EXIGVI MOMENTI NON DEBERET ESSE IMPEDIMENTO. *Quod si alii hanc conditionem, a nobis oblatam, reiiciant,* NOSTRVM EST, AVXILIA, QVAE HVIVSMODI SCISSIONIBVS MEDEANTVR, INDICARE, ET FRATERNVM ILLIS AMOREM OFFERRE, VT HOC PACTO MODERATIO NOSTRA VNICVIQVE INNOTESCAT.

Habes GROTIVM ipsum, iis assentientem, Epistola XXXVIII, ad *Guil. Vairium*, infra allegata.

Ipsi quoque, proposito suo et officio Christiano conueniens esse, ducebant, lenitatem suam uni-

* Philipp. Limborch in Theol. Christ., ad praxin pietatis et promotionem pacis Christianae unice directa, L. VII, cap. XXIII, §. XIII. Add. Curcellaei uerba apud Hornbeck. p. 579, et Episcopius, L. IV Inst. Theol. Sect. I, C. XII, et XIII.

Digitized by Google

unicuique probare, unde etiam cum multis hominibus diuersarum religionum commercium habuerunt literarum. Sic, A. CIↃIↃCXXXI, GROTIVS ad *Ioannem Crellium*, notum Socinianum, scribebat.

Se non ex numero esse illorum, qui, propter aliquas opiniones, fundamentum fidei nequaquam subruentes, alios infestent, aut amicitiam auersentur uiri pii. Gaudere se potius, iam reperiri homines, qui non tam Controuersiarum subtilitatibus studeant, quam ueram uitae quaerant emendationem quotidianumque sanctimoniae incrementum. Neque uero suis sese scriptis spectare aliud, quam, ut eiusmodi studium** in mentibus animisque plurium excitetur.*

Plures Epistolae, huc facientes, ad alios Religionum socios perscriptae, suo deinceps loco inferentur.

Verum *inuidia* quoque, *obtrectatio* et ambitio, communes illae, in omnibus Religionis controuersiis, pestes, ad has censuras conferebant non parum, compluribus quippe summas GROTII uirtutes, ex inuidia et ambitione, commaculare ausis. Plus satis hoc ex ipsis Theologorum

* supra. 32, 39, 40.

** supra, p. 436, p. 37, p. 51, p. 91, p. 97. multis seqq. p. 113, p. 115, in fine, et p. 116, p. 131 in primis p. 139, multis seqq. p. 159, 160, p. 167, 168, in primis p. 196.

Digitized by Google

rum uerbis conſtat, indignationem diſſenſionemque ſuam aperte ſatis teſtantium de eo, quod hic Vir, cum nec Doctor, nec Profeſſor, eſſet Theologiae, nihilo minus Theologiae ſeſe immiſcuiſſet, poſteaquam contra ius, ueris omnibus Chriſtianis commune, ſic dicti Laici a diſquiſitione rerum ſacrarum excluſi fuerunt. Sic enim, inter alios, de hoc uiro loquitur *A. Riuetus.*

Neſcio, an tolerandum ſit, eum, in rebus fidei et religionis, pro iudice ſe gerere, turbas excitare, mixtamque hanc Theologiam, in Eraſmo, Caſſandro *et* VVicelio, *iam olim damnatam, denuo nobis obtrudere conari.*

A regimine ſeculari ſtatim in res Eccleſiaſticas irruit, ex Iure Conſulto et Politico, praeter ſpem, in Theologum, immo, arbitrum religionis, conciliare annitentem, in Interpretem totius Scripturae, transformatus, quia per eam difficilimas quaeſtiones ac dubia ſoluere, et defendere omnes religiones, conatur.

Ac *Lubbertus* quidem, cum aſſeclis ſuis, a GROTIO, prouti ſupra indicaui, retuſus, ita de ipſo ſcribit.

EVM * *omnem Eccleſiaſticam Ordinationem, Con-*

* in praef. reſp. ad Pietatem GROTII, p. 5, et 6.

Digitized by Google

Congregationes, Miniſtros uerbi, eorumque uocationem, item Poteſtatem Eccleſiaſticam et Conſiſtoria Eccleſiaſtica, malitioſe perſtrinxiſſe, immo, totam Eccleſiam Belgicam aggreſſum eſſe. Voluiſſe etiam omnia in manus Magiſtratus ſecularis tradere, ac defendiſſe, hic etiam, ſine ulla Synodo, de Articulis fidei diiudicari poſſe.

Maior, inquit Anonymus quidam, *apud poſteros futurus fuiſſet, niſi Theologiae ſe immiſcuiſſet. At uero, poſtquam Theologum agere uoluit, ingenio fiſus, nimium ſibi arrogauit, et, in tractandis ſacris literis, audacem nimis cenſorem ſe praebuit.*

Ergo fortaſſe, Fratres Ignorantiae ad ſtudium Theologicum eſſe aptiſſimos, putat, quae ſane multorum, omni tempore, fuit opinio, in primis tamen illorum, qui, accuratioris Philoſophiae et Critices ope, receptos firmiterque inueteratos errores ex theologia profligari, quam aegerrime ferunt. Quo autem iure obiecerit GROTIO, quaſi in ſacris literis cenſorem nimis audacem SE praebuerit, ego quidem neſcio, qui ſciam, EIVS *Annotationes in V. et N. Teſtamentum*, ut nunc alia ſcripta EIVS theologica ſilentio praetermittam, ſummo orbis eruditi exceptas eſſe applauſu. Confirmant idem *Acta Eruditorum Germanica*.

**Minime enim negandum eſt*, GROTIVM PRAEFERENDVM

*pag. 930.

Digitized by Google

DVM ESSE OMNIBVS LITERATIS ET SVI, ET, *si uerum fateri uolumus*, NOSTRI QVOQVE, TEMPORIS, *quippe qui*, QVICQVID EST AGGRESSVS, SINGVLARI QVADAM MENTIS ANIMIQVE PRAESENTIA EST AGGRESSVS. *Aliorum scripta*, IPSO TEMPORIS SVCCESSV, VELVT EXOLEVERVNT, GROTIANA VERO ETIAM NVNC VIGENT, ET IN OMNI SECVLORVM MEMORIA VIGEBVNT. *Reperiuntur adhuc, qui, in explicandis Codicis S. Libris parum, aut nihil, dicere possunt, quod* IPSE *iam non dixerit. Loquimur hic de sola eius* Philologia *in Codicem S., quatenus hic diuersae religionis hominibus est communis,* IN QVA PAVCI SANE EX ADVERSARIIS EIVS IPSI PARES SVNT, MVLTI ETIAM EVM AGGRESSI, VALDE INFELICES FVERVNT. *Singularia, quae habet, dogmata, non quidem omnibus placent, sed, ne hoc quidem eius gloriae caliginem inducit.* IDEO INIQVIORI SENTENTIAE ILLORVM, QVI, GROTIVM IVDAEVM SOCINIANVMQVE, FVISSE, CLAMANT, VTIQVE RECLAMAMVS.

Ibidem uerba haec occurrunt,

Sequentibus cunctis Scriptoribus Iuris Naturae et Gentium fundamenta ieciſſe GROTIVM. SCRIPTA EIVS PHILOLOGICA ITA ESSE COMPARATA, VT FELICISSIME TVTISSIMEQVE VESTIGIA EIVS PREMI POSSINT.

Ioannem Clericum hactenus recte ſcribere arbitrantur Obſeruatores *Hallenſes*, QVOD HIERONYMO PRAETVLERIT GROTIVM.

Vt

Digitized by Google

Vt autem adhuc dictis maioribus, pondusque maius, concilietur, in medium producam Polyhistorem illum celebrem, *Schurzfleischium*, ita scribentem.

Quandoquidem, * IN OMNI GENERE ERVDITIONIS, VIR PERFECTISSIMVS FVIT GROTIVS, NVLLO THEOLOGO MINOR, SI APPARATVM ANTIQVITATIS LINGVARVMQVE SPECTO, PRAETEREA OMNIBVS SVBSIDIIS INSTRVCTVS, QVAE VIX IN HOMINEM CADVNT, *in profanis item et Christianis Scriptoribus exercitatus, ut*, VI IVDICII, OMNES POPVLARES SVOS SVPERAVERIT, ET, SVAE GENTIS THEOLOGOS GALLICIS NE QVIDEM AEQVANDOS, *putauerit, cum rationes eruditionis per se iniret, ceteraque omnia pari felicitate exequeretur. Ita enim, quae ab interpretatione recepta abeunt, quaeque mysteriorum sanctitati aduersantur, uel leuiter eruditus facile intelligat, animoque assequatur.*

Tota uero conuiciorum plaustra in EVM exonerant hostes eius, dicentes, *Pontificium* fuisse, *Socinianum*, *Caluinianum*, *Syncretistam*, *Atheum*, et quid non? Ordine progrediamur, et *locos*, *aduersariis fauentes*, proferamus. Sic *Patinus*,

In litibus, ** inquit, *quas contra* Riuetum, *exercuit*, fauere dicitur partibus Romano Catholicorum.

* Ep. CCCCLXVI, p. 755. ** Ep. VII, ad A. CIↃIↃCXLV.

Digitized by Google

rum. *Erat* Hollandus, *et fuerat* Arminianus. *Erat* LEGATVS Lutheranae *Reginae, mortuus est in ciuitate* Lutherana, *inter brachia ministri* Lutherani, *ille, qui tum* Lutherum, *tum* Caluinum, *odio habebat fortissimo. Quidam perhibent,* EVM, Socinianismo infectum, e uita migrasse, *talemque in animo fuisse, quicquid extrinsecus simularet.*

Et, paulo post,

Depuis que Mr. GROTIVS *sortit de* Paris *on auoit imprimé de lui a Amsterdam un nouueau liure, contre Mr.* Riuet, *dans le quel il* se range fort du party du Pape.

Et alibi idem scribit,

1) *Car Monsieur* GROTIVS *etoit* catolique en son ame *et s'alloit declarer des qu'il eut eté arriué.*

Submittebat etiam *Dion. Petauii* iudicio suas *Obseruationes in Vetus et Nouum Testamentum,* prout uidere est ex eius ad *Gallos* Epistolis, speciatim ex iis, quas ad eundem *Petauium*, insignem, ut eum IPSE in literis uocat, Theologum, misit, cui cum, quae sua manu scripserat, ad percipiendam melius sententiam suam, traderet, his usus est uerbis.

2) *In eo scripto, si quid est, aut* catholicis sententiis.

1) T. II, Ep. CXLV, p. 580, 581.
2) Osiandr. Proleg.

Digitized by Google

tiis discongruens, *aut ceteroquin a ueritate alienum, aut minus idoneum ad pacem, de eo abs te, Viro eruditissimo, et cuius iudicium plurimi facio,* moneri, cupio. *Rogo, permittas mihi, lumen de lumine accendere, etc.*

Plura his addit *Osiander*, *Prolegg. ad* GROT. *Lib. de I. B. et P.*

Afferuntur etiam *Henrici Valesii* sequentia uerba, ex eius Oratione in obitum *Dion. Petauii*, Iesuitae, *Parisiis*, A. CIↃIↃCLIII, habita.

Quid non praestitit Petauius, *ut* CLARISSIMVM VIRVM, HVGONEM GROTIVM, *ad Catholicam communionem adduceret?* Erat ille quidem minime a nobis alienus, ac paene noster, *quippe qui, doctrinam Tridentini Concilii in omnibus sese amplecti, palam profitetur.* Id unum supererat, *ut, Ecclesiae Sacrarium ingressus, communioni nostrae sociaretur*, quod ille, nescio, quas ob causas, dum ad Catholicae fidei unitatem plurimos secum sperat adducere, consulto differebat. *Possem hoc loco sermones illos uobis commemorare, quibus* Petauius EVM *adortus est tunc, cum* ILLE, Lutetia *excedens, post* LEGATIONIS SVECICAE *munus*, Petauium, *ualedicturus, inuisit. Verum in aliud tempus haec seponere, satius fuerit.*

Digitized by Google

Testamenti quidem GROTIANI *Osiander* meminit his uerbis

Vnde etiam* Iesuitae *Libellum, Belgica lingua, quem Testamentum inscripserunt* GROTII, *passim in uulgus disseminarunt, ut ostenderent*, partibus Pontificiorum accedere, paratum fuisse, *et, professionis luculentae speciminibus, inscriptis praelusisse.*

Tandem Pontificiorum opinionibus, inquit Osiander, in Prolegomenis iam dictis, *subseruire uoluit, quo animo, exprocaturus ne non leue auctoramentum, purpuram scil. et galerum, ut quidam existimant, an alia de causa*, non definire licet.

Videtis hic non minimam congeriem uariorum Testimoniorum, Epistolarum et Argumentorum, sed, ut arbitror, leuium inaniumque. Quid enim habent, quo GROTII NOSTRI infament MANES? Si uacat, legite, examinate, singula, uerborum strepitus accipietis, argumenta et testimonia nulla. Ostendam particulatim haec, quam potero, simplicissime. Assumam *Patini* Epistolam A. CIↃIↃCXLV, amici illius GROTIANI intimi, ex eaque sequentia uerba.

*Depuis** que Mr.* GROTIVS *sortit de Paris on a uoit imprime de lui a Amsterdam un nouueau liure contre*

* Osiandr. Proleg. ** Ep. VII, ad A. CIↃIↃCXLV.

Digitized by Google

contre Mr. Riuet, *dans quel* il se range fort, du party du Pape.

In eadem Epist. Anni eiusdem, quo mortuus est GROTIVS, negat *Patinus*, Catholicum fuisse GROTIVM, dicens,

Quidam perhibent, eum Socinianismo infectum euita migrasse, *talemque in animo fuisse, quicquid extrinsecus simularet.*

Addit, in eadem Epist. particulam dubiam, DICITVR.

In litibus, quas contra Riuetum, *exercuit, fauere* DICITVR *partibus Romano Catholicorum.*

Immo, *alibi EVM ipse A SVSPICIONE LIBERAT PAPISMI, remque ipsius GROTII confessione confirmat, dicens.

Feu Mr. GROTIVS *m'a souuent dit, que pour reformer la France il y auoit III choses.*

I. DE RETRANCHER L'AVTORITE DV PAPE, LA QVELLE S'ACCROISSOIT TROP EN FRANCE.

II. DE NE DONNER D'ECHEVECHES QV'A DES CAPABLES DE PRECHER ET D'ENSEIGNER ET NON PAS A DES COVRTISANS ET A DE GENS DE MAVVAISE VIE, COMME ON FAIT AVIOVRDHVI.

III. D'OTER TOVT VN COVP TANT DE MOINES, QVI SONT ICY SVPERFLVS *et il disoit ordinairement*, CIRCVMCIDENDVS ILLE MONACHORVM NVMERVS.

*Ep. XIV.

Digitized by Google

Cum qua Confessione conferri merentur *Epistolae* GROTII sequentes, plane conformes, ex quibus haec *Papismi* calumnia clarius etiam ipsa se refutat. Quas quidem *Epistolas* ideo maxime subiungimus, ne forsan obiicias, GROTIVM, in memorata *Patini* Epistola, politice ac de sola *Gallia* loqui. Paulo ante relatis *Patini* uerbis conformis Epistola est ad *Gallos*, A. CIↃIↃCXXXI, ad *Claud. Salmasium*, qua de *Pontificis Romani* illegitima successione, sequentem in modum, loquitur.

Nunc palam est, eo haec tendere,* VT, SVBLATA EPISCOPORVM *necessitate*, *unus uere sit Episcopus*, ROMANVS PONTIFEX, QVI, CETERIS OMNIBVS, ETIAM NON EPISCOPIS, TANTVM LARGIATVR, QVANTVM IPSI PLACET, QVAE HAVD DVBIE EVERSIO EST CANONVM ET REGIMINIS ECCLESIASTICI, CVI IN MEMBRIS SINGVLIS PRAEEST EPISCOPVS, VNIVERSITATI EPISCOPORVM CONVENTVS. *Sed homines ἀκανόνιστοι ista non curant, ne ii quidem, qui se speciali nomine,* Canonicos *uocant.*

Et alibi,

*De ** Ecclesia Catholica quod tibi obiecerunt, nullius est pretii.* TAM ENIM ABSVRDVM EST, ROMANORVM ECCLESIAM CATHOLICAM DICI, QVAM HOLLANDICAM. ET HAEC, ET ILLAE, PARTES SVNT VNIVERSI CORPORIS, CVIVS CAPVT EST CHRI-

* Ep. CXIII, Op. mai. et inter Ep. ad Gallos CXX.

** Ep. XV, ad Fratrem Guil. Grot. Op. mai. epist. p. 758, 759.

Digitized by Google

CHRISTVS. EIVSDEM CORPORIS PARTES SVNT *Ecclesia* Graeca, Syriaca, Aegyptiaca, Aethiopica, Moscouitica, Armenia *et tot aliae, quae Romano Pontifici nihil debent.* HAS ILLI SCHISMATICAS VOCANT, QVIA NON AGNOSCVNT NOVVM ILLVM DOMINATVM EPISCOPATVS VNIVERSALIS, QVEM GREGORIVS, PONTIFEX ROMANVS, IAM PRIDEM NOTAM DIXIT VENTVRI ANTICHRISTI. *Plane certum est, latius patere Christianum nomen inter eas gentes, quae regnum illud Papale ignorant, quam, quae tam iniquum iugum subierunt. Quod si Romanus Pontifex ueteribus se teneret finibus, et satis haberet, primum Patriarcham, simulque Filium, non Dominum, Ecclesiae agere, spes aliqua esset restituendae unitatis, quae, tam manifeste oppressa libertate, sperari non potest.*

Quid *Monachis* denique et *Iesuitis* tribuat, et ex *Maurerii* Memoriis, et IPSIVS Epistolis GROTII, patebit.

GROTIVS IESVITAS NON AMABAT, SED PER TOTAM VITAM IN EOS INVEHEBATVR, inquit *Maurerius* in Memor. suis.

De iisdem Iesuitis, scribit, A. CIↃIↃCXXXIII, ad *Ioannem Cordesium.*

*Interim,** Iesuitarum *artes,* sub iactatione paupertatis, diuitias captantium, *sub nomine Pontificiae*

* Ep. CXLVI.

Digitized by Google

ficiae autoritatis, suae Societatis laxam libertatem, *uiuis coloribus depingi, forte non abs re fuit.*

Et, in eadem Epist.

Sicut autem immanis est Iesuitarum, *in illis scriptis*, irreuerentia *in Galliae Episcopos, in Theologos Sorbonicos etc.*

Et, in alia,[1] A. CIↃICCXXXIII, ad *Ioann. Cordes.*

Sed, heus, mi Senex, cur ego, de defenso Episcoporum Iure contra Loioliticas molitiones, *nihil ex te?*

[2] *Monachorum ad hoc nullus usus antiquitus, quod, solitudinis promissores, coetus omnes, quantum fieri posset, defugere deberent, ut uitam agerent, nomini suo respondentem, quod esset plangentium, non docentium, docemur ab* Hieronymo.

Neque uero minus GROTIO datum est uitio, quod cum *Dion. Petauio*, S. I., ob eruditissima scripta, per orbem celeberrimo, commercium habuerit literarum, quem *Petauium Patinus*,* ubi de *Salmasio* aliisque praestantissimis loquitur Viris, statim subiungit.

Absit, ut obliuioni tradam duos Iesuitas *eruditissimos, ac ex suis primos*, Iacobum Sirmondum et

1) Ep. CXLIV. ad Ioann. Cordes. 2) Ep. CLIV, ad eund.
* Ep. CCXVI, p. 250.

Digitized by Google

et Dionyſium Petauium, *omni laude mea maiores.*

Eundem, in alia Epiſtola, confirmat,

Graecae linguae probe gnarum fuiſſe, accurataſque, in ſuis Dogmatibus Theologicis, ubique Verſiones inſeruiſſe.

Eidem quidem *Petauio* laudem GROTIVS tribuit inſignis Theologi, uerum, GROTIANAM NEQVE HOC GLORIAM VLLA RATIONE OBSCVRABIT. Verba GROTII ipſius, ad *Petauium* perſcripta, inſpiciamus. *Si quid eſt, aut catholicis ſententiis diſcongruens etc.* Innuit ne his uerbis Romano Pontificiorum ſententias, an uero communes Fidei ſententias? Priores iſtas nequaquam. *Eccleſiam ſane Pontificiam,* alibi dicit, * *nullius eſſe pretii,* addens, TAM ENIM ABSVRDVM ESSE, ROMANORVM ** ECCLESIAM CATHOLICAM DICI, QVAM HOLLANDICAM. *Et haec, et illa, partes eſſe uniuerſi corporis, cuius caput eſt Chriſtus. Eiuſdem corporis partes Eccleſiam eſſe* Graecam, Syriacam, Aegyptiacam, Aethiopicam, Moſcouiticam, Armeniam, *et tot alias, quae* Romano Pontifici *nihil debent.*

Romano Catholicas ſi innuiſſet ſententias, ROMANO CATHOLICAS QVOQVE HAS APPELLASSET. *Veteris* enim *et Noui Teſtamenti Libros*

* Ep. XV. ** ſupra, 508.

Digitized by Google

cum interpretaretur, mentemque una *Spiritus ſancti* et communis fidei Chriſtianae res explanaret, uerba haec ad *Petauium* ſcribebat, *Aut ceteroquin a ueritate alienum*, id eſt, cum Verbo DEI et COMMVNIBVS EIVS REGVLIS FVNDAMENTALIBVS HAVD CONVENIENS, non, cum *Petauii* religione, quippe in qua ueritatem reperire non licebat, id quod minime GROTIVS ignorabat, et *Guido Patinus*, de *Petauio*, ipſius adhibitis GROTII uerbis, haud obſcure indicat,

GROTIVM *de eius Dogmatibus Theologicis, a* Petauio *donatis, cum perlegeret, ita cenſuiſſe,* EN INDIGESTAM RERVM VILIVM CONGERIEM! FRVSTRA HIC THEOLOGIAM QVAERES. (*id tamen habet praeclari liber, quod autor, Graecae linguae probe gnarus, accuratas ubique uerſiones inſeruit.*) *His tamen Latinis uerbis noſter ſubiicit, Sed, dic, ſodes, ſi moroſus aliquis cenſor mearum Epiſtolarum interueniret, et quaereret, cui bono et quorſum tam multa a* Petauio, *ſtatim illi reſponderem, nec aliter poſſem, Adeo mihi ſuaue eſt et iucundum, colloqui cum amico, ut, quoniam mihi deeſt, quod ſcribam, ad eiuſmodi nugas confugiam, quibus impleam paginam.*

Verba ſequentia multo etiam apertius hoc declarant,

De

Digitized by Google

De eo abs te, Viro eruditissimo, et cuius iudicium plurimi facio, MONERI, *percupio.*

Non dicit GROTIVS, *doceri,* sed *moneri,* si communes illas sententias minus recte expositisset, aut aberrasset. *Petauius* enim Graecarum literarum longe peritissimus erat, a *Petauio* igitur, uiro et Romanae religioni, et *Iesuitarum* sectae, addicto, quae utraque GROTIO erat exosa, *doceri* nolebat, sed, *moneri*, GROTIVS, DECISIONEM SIBI IPSI RESERVANS.

Dispiciamus uero, num locus ille, quem *Henricus Valesius*, in Oratione sua, honori supremo *Petauii* habita, ad imminuendam GROTIANAE religionis fidem, augendamque una *Petauii* gloriam, habet, eiusmodi sit, ut ex eo, GROTIVM *fuisse Pontificium*, probari queat. En igitur sesquipedalia *Valesii* uerba.

Quid non praestitit Petauius, *ut* CLARISSIMVM VIRVM, HVGONEM GROTIVM, *ad Catholicam communionem adduceret? Erat ille quidem minime a nobis alienus, ac paene noster, quippe qui, doctrinam Tridentini Concilii in omnibus sese amplecti, palam profiteretur.*

Verum, unde haec probantur? An ex istis uerbis, dubii plenis, *Erat ille quidem minime a nobis*

nobis alienus, ac paene noſter, quibus uerbis inſequens firmum, ſcilicet, fundamentum, *Quippe qui, doctrinam Tridentini Concilii in omnibus ſeſe amplecti, palam profiteretur,* inniti debet.

Sed infirmiſſimam Orationis *Valeſianae* baſin porro dimetiamur.

Id unum ſupererat, ut, Eccleſiae Sacrarium ingreſſus, communioni noſtrae ſociaretur, quod ille, neſcio, quas ob cauſas, dum ad Catholicae fidei Veritatem plurimos ſecum ſperat adducere, conſulto differebat. Poſſem hoc loco ſermones illos uobis commemorare, quibus Petauius *eum adortus eſt tunc, cum ille,* Lutetia *excedens; poſt* LEGATIONIS SVECICAE *munus,* Petauium, *ualedicturus, inuiſit, uerum, in aliud tempus hac ſeponere, ſatius fuerit.*

In hiſce uerbis, quot lineae, tot dubia, latent. ID VNVM SVPERERAT, *ut, Eccleſiae ſacrarium ingreſſus, communioni noſtrae ſociaretur.* Age uero, SI HAEC VNICA OBSTITIT CAVSA, cur ipſorum SESE coetui GROTIVS aſſociare noluerit, MAXIMI CAVSA MOMENTI FVERIT, NECESSE EST, QVA GROTIVS EST RETENTVS, eamque cauſam *Valeſius* nequaquam reticere debuiſſet, qui mox addit, *Quod ille, neſcio, quas ob cauſas, conſulto differebat.* Probationem expectabam, in qua cauſae conſiſtant, non inania uerba. Profitetur, *ſe neſcire, quat*

Digitized by Google

quas ob causas consulto distulerit. Ridicula sane ratio, qua probare nititur, *Pontificium fuisse* GROTIVM. Mox enim addit eiusmodi uerba, quae ipsius Orationi fidem tantum non adimunt omnem, *Dum, ad Catholicae fidei unitatem, plurimos secum, sperat, adducere.* Fortasse *plurimos* istos, post Suecicae munus LEGATIONIS, adducere debuit Ecclesiae Romanae ex ipsa *Suecia,* in itinere uero, prope *Cassubiensia* littora, naufragio abreptos. An uero, in extremo illo e *Gallia* ad Reformatos suos *Batauos* reditu, adducendi erant?

Possem hoc loco, pergit Valesius, *sermones illos uobis commemorare, quibus* Petauius EVM *adortus est tunc, cum ille,* Lutetia *excedens, post* LEGATIONIS SVECICAE MVNVS, Petauium, *ualedicturus, inuisit.*

Quae uerba quo perpenduntur accuratius, hoc maior suboritur dubitandi causa, cum *Valesius,* neque in hac Oratione, neque alibi, commemoret, quaenam summa illorum fuerit sermonum. Quorum si recordari non amplius potuit, dubiam reddit orationem suam, sin consulto reticuit eos, ut ipse fatetur, non parum profecto subiectam ipse suam reddidit fidem. Eos enim ipsos si retulisset sermones, fidem facere

Digitized by Google

cere potuiſſet, ſi minus aliis, at credulis tamen fortaſſe orationis ſuae auditoribus, uerum germanumque coetus Romani GROTIVM fuiſſe membrum. Addit porro,

Eo illud tempore factum eſſe, quo, rebus LEGATIONIS *ſuae confectis, Lutetia Pariſiorum diſceſſurus, Suecicumque iter ingreſſurus, ultimo Petauium ſalutauerit* GROTIVS, *etc.*

Superſedere tamen his ambagibus facile potuiſſet. Satis eſt, quo tempore *Petauio Valeſius* parentauit, uiuere iam deſiiſſe GROTIVM, adeoque ſe defendere non potuiſſe.

Verum in aliud, finit Valeſius, *tempus haec* (GROTII dicta) *ſeponere, ſatius erit.* Quicunque uerba, ſuperius relata, *Erat ille minime a nobis alienus, ac paene noſter, etc.* illa item, *Id unum ſupererat, etc.* memoria recolet, is uero ſtatim animaduertet, quo pertinuerint ea, quantumue ad probandum ponderis in iiſdem fuerit ſitum.

Iam a *Papiſmi* crimine GROTIVM ſatis uindicatum eſſe, credebam, ſed bonus ille *Oſiander*, denuo me in arenam deſcendere cogit, ab ipſis etiam uenerandis, quos IPSE tamen minime* omnium uenerari conſueuit, e *Soc. Ieſ. Patribus*, cum ſuo, in uulgus diſperſo, GROTII *Teſtamento*, teſtimonii teſtiumque loco, inductus.

Vnde

* ſupra, pag. 443.

Digitized by Google

Vnde etiam, inquit, *Ieſuitae Libellum, Belgica lingua, quem Teſtamentum* GROTII *inſcripſerunt, paſſim in uulgus diſſeminarunt, ut oſtenderent, Partibus Pontificiorum accedere paratum fuiſſe, et profeſſionis luculentae ſpeciminibus in Scriptis praeluſiſſe.*

Verebar non parum, quam periculoſa GROTIANAE memoriae macula inureretur, ſed res omnis conſimilibus plane, quam priores illae reprehenſiones, id eſt, mendacibus, nititur coniecturis. Neque minus miror, ab *Oſiandro* laudatum modo *Teſtamentum*, argumenti teſtimoniique inſtar, produci, dicente, *Vnde etiam Ieſuitae Libellum, lingua Belgica, quem Teſtamentum* GROTII *inſcripſerunt, paſſim in uulgus diſſeminarunt*. Minime uero demonſtrauit *Oſiander*, conditorne *Teſtamenti* fuerit GROTIVS, item, Belgicane illud lingua IPSE confecerit, quod utrumque ſi probaſſet *Oſiander*, utramque ſane hac in re paginam feciſſet. Quis uero fraudem non ſtatim animaduertat Patrum s. I., uel ex his uerbis, *Paſſim in uulgus diſſeminarunt*. Scilicet, quia fraudem uulgus minime omnium curabat, Patribuſque, modo laudatis, nequaquam reſiſtebat, de *Teſtamento* autem ſuppoſito minus dubitabat.

Pergit

Digitized by Google

Pergit *Osiander*,

Vt ostenderent, partibus Pontificiorum accedere paratum fuisse etc.

Si *Testamentum* istud, ab ipsis prolatum, uerum germanumque GROTII *Testamentum* est, cur ad illud neque priores, neque posteriores, *Pontificii* prouocant, cur ue in scriptis suis, *Socinianum* fuisse GROTIVM, confirmant, in his, Episcopus *Meldicensis*, qua de re *infra* pluribus agetur.

Sed, iam tempus est, absurdam ridiculamque referre causam, compendium uidelicet priuatum ac temporarium GROTII, iam tum senescentis, quam inter alias ipsi causam fuisse, cur ad *Pontificiam* religionem sese conuerterit, cum aliis coniicit *Osiander*, uerbis usus sqq.

Tandem, Pontificiorum opinionibus subseruire uoluit, quo animo, exprocaturus *ne non leue auctoramentum*, purpuram *scilicet et* galerum, *ut quidam existimant*, an alia de causa, non definire licet.

Quis uero cordatus homo credat, GROTIVM, deserta uxore tam fida, id quod faciendum utique IPSI fuisset, *Purpuram* et *Galerum* uoluisse prensare. Certe, quisquis supra * legerit GROTII, e *Suecia* discessuri, expetitam ab Regina tam anxie ueniam, molestum item mortisque plenum

* supra, p. 475.

Digitized by Google

num iter, pago *Lyba Roſtochium* uerſus, perpenderit, cuius anxii diſceſſus periculoſique itineris cauſa, VNVM ILLVD TENERRIMVM GROTII CONIVGIS LIBERORVMQVE DESIDERIVM, fuit, quiſquis porro aliarum locos epiſtolarum [1]) perluſtrauerit, QVANTIS VXOREM IBI [2]) LAVDIBVS EXTVLERIT, QVANTAM IPSA, IN MARITI CVSTODIA, FIDEM IPSI, QVANTVM, IN AERVMNIS EIVS ET MORBIS, LEVAMENTVM, NON SINE SVAE DETRIMENTO PERICVLOQVE VITAE, PRAESTITERIT, ILLE VERO IIIS TALIBVS NVGIS ET OBTRECTATIONIBVS FIDEM NVNQVAM ADHIBEBIT. Quis credat, GROTIVM, qui, iam antea, una cum *Oldenbarneueldio*, fuerat incuſatus, quaſi Pontificiam Religionem in *Batauiam* introducere cogitaſſet, EAQVE DE CAVSA ILLVSTRI [3]) CVIDAM RELIGIONIS EIVSDEM VIRO, MVNIA, IN AVLA HISPANIARVM REGIS OBEVNDA, OFFERENTIS, REPVLSAM DEDERAT, HOSTIBVS SVIS NOVAM SVSPICANDI, CALVMNIANDI ACCVSANDIQVE, MATERIEM PRAEBERE, ADEOQVE IPSVM SE REVM FACERE, VOLVISSE? Putas ne, GROTIVM, uirum tam prudentem, patrem familias, tam de ſuis ſolicitum, ſibi ſuiſque liberis uiam ad omnem fortunam, atque ad munia in *Batauis*, uel conſequenda noua, uel priſtina, de quibus fortaſſe ei in itinere ultimo, perinde, ac de exoptatiſſimo in

1) ſupra, p. 241, et Ep. XLIV, XLVI ad Gallos. 2) ſupra, p. 255, 256, et Ep. L, ad Beni. Aub. Maurer., in primis Ep. LXXXIV, ad B. A. Maur. 3) ſupra, pag. 299.

Digitized by Google

patriam reditu suo, spes perampla erat facta, propediem recuperanda, temere fuisse praeclusurum.

An alia de causa, pergit Osiander, *definire non licet.*

Illud tamen ipsum erat in quaestione, et omnino tale, de quo certa ponderosaque argumenta *Osiander* afferre debebat, quibus probaret, GROTIVM hac Religionis calumnia grauatum iure meritoque fuisse.

Verum, *Socinianismi* quoque labe aspersa, uel maxime GROTIVM premere sunt moliti, sectae quippe ante alias omnes exosae. Dispiciamus, fuerit ne *Socinianae* addictus religioni, prout *Osiander* copiose satis, tum in Prolegg. suis GROTIANIS, tum alibi passim, criminatur.

Defecisse autem, inquit, *ad* Photinianismum, *et, per sinceriora grassatum uestigia, ad maioris impietatis et licentiae circum, docent cum omnia, tum Commentarii in V. et N. Testamentum, in quibus quoties arat* Socini *uitula? Quoties loligine huius haereseos textum sacrum conspergit, et deuenustare studet? Familiaritas cum istiusmodi furfuris hominibus, partim per Epistolas, partim per conuersationem, ut etiam,* Martinum Ruarum *hospitio* Lutetiae *excepisse illum, ferant, ipse denique liber*

ber prae manibus, in quo aliquoties plumae Socinianae conſpiciuntur, quibus ſua uel ueſtire, uel colorare, uoluit, nec ueritus eſt ſcribere ad Voſſium, Non me pudeat, conſentire Socino, ſi quando is in ueram ueteremque incidit ſententiam, ut ſane fecit in controuerſia de Iuſtitia per fidem, et aliis non nullis. Luculentum autem indicium Symbolicae Religionis exhibet Epiſtola ad Crellium, *in qua haec leguntur.

Conſtitui et legere, et perlegere diligenter, quaecunque a te proficiſcuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipſo tempore, quo literas tuas accepi, uerſabar in lectione tuae interpretationis in epiſtolam ad Galatas. Quantum iudicare poſſum, et ſcripti occaſionem, et propoſitum, et totam ſeriem dictionis, ut magna cum cura indagaſti, ita feliciter admodum aſſecutus. Quare DEVM precor, ut et tibi, et tui ſimilibus, uitam det, et quae alia adiſtiuſmodi labores neceſſaria. Mihi adiuuandam communem Chriſtianiſmi cauſam utinam tam adeſſent uires, quam promptus eſt animus. Quippe, me, a prima aetate, per uaria diſciplinarum genera iactatum, nulla res magis oblectauit, quam rerum ſacrarum meditatio. Id in rebus proſperis moderamen, id in aduerſis ſolatium, ſenſi. Pacis conſilia et amaui ſemper, et amo

*Epiſt. ſingul. ap. Coloneſ. p. 217.

„amo nunc quoque, eoque doleo, cum uideo, tam „pertinacibus iris committi inter se eos, qui, CHRI„STI se esse, dicunt, si recte rem putamus, quantillis „de causis?

In alia Epistola, *Eidem quoque* (Crellio) *gratias egisse fertur, quod se melius de omnibus eruditiuerit.* Vbi, qui haec refert, ait, *Ipsum imitatum esse Paracelsum, qui uel Diabolo gratias egisset.*

Immo, *Patinus* diserte * ait,

Quidam perhibent, eum, Socinianismo *infectum, e uita migrasse, talemque in animo fuisse, quicquid extrinsecus simularet.*

Antea uero, quam, GROTIVM non fuisse *Socinianum,* demonstremus, haud alienum erit, quis, quantaque uir doctrina, *Martinus* ille *Ruarus* fuerit, an item GROTIVS noster indiguerit *Ruaro,* docere. Natione *Ruarus* fuit *Ditmarsus,* uir doctus, Graecae linguae scientissimus, ac propterea omnium illarum Controuersiarum, quae *Socinianis* intercedunt cum Orthodoxis, prae aliis gnarus, disputator acutus, cui accedebat notitia antiquitatum sacrarum, uir alioquin, exceptis sectae suae, quae fuit *Socini,* erroribus, sic satis probus, qui, ob summam eruditionem et maximas ingenii dotes, non modo inter suos, illustre obtinuit nomen, sed magnis ubique uiris,

* Ep. VII, ad A. CIↃIↃCXLV.

Digitized by Google

ris, a religione eius alioquin alienis, gratissimus uixit. Prostat Epistolarum *Centuria* prior Theologicarum Viri huius doctissimi, *Amstelod.* ACIↃIↃCLXXVII, in qua multa habentur, quae ad historiam *Socinianismi* pertinent. Multae quoque sunt illic ad GROTIVM Epistolae, multae ad alios Theologos, quas illi forte, abesse inde, malint. Altera *Centuria* ab aliis illustribus doctisque uiris ad *Ruarum*, uel, eius causa, scriptarum Epistolarum selectarum, a *Dauide filio, Amstelod.* A. CIↃIↃCLXXXI, edita fuit, ex quibus Epistolis et ingenium huius uiri, et apud alios existimationem, coniicere licet.

Cum uero GROTIVS, *Annotationes* suas, in Vniuersum Codicem Sacrum, elaboraret, eamque ad operam et libris, et doctorum consilio uirorum, indigeret, etiam cum hoc erudito Viro, in Hebraicis, Graecis Latinisque, tum literis, tum antiquitatibus, longe uersatissimo, eamque ob peritiam non apud suos modo, uerum apud alios quoque, percelebri, commercium instituit literarum. Eum autem hoc literarum commercium ex ullo cum *Socinianis* consensu habuisse, ex eius scriptis et actionibus haudquaquam patet.

Immo, in principio Libri, de *Pietate Ordinum*

Digitized by Google

Hollandiae, [1]) disertis uerbis GROTIVS confirmat,

Neminem Arminianorum fuisse, qui defenderit Socinum. Absit, ait, *nos rebus indulgere Socinianorum. Status* (Ordines) *non euertunt fidem ueterem, neque tollunt uniuersalium doctrinas Synodorum, monstro Polonico et Sociniano haud conniuent.*

Confitetur ipse *Martinus Ruarus*, ubi de GROTII Scripto, de Satisfactione Christi, aduersus *Socinum*, agit. *Neminem* [2]) *hactenus eruditius contra Socinum scripsisse.* Neque Epistola *Patini* VII hic aliquid probat. Si enim animo fuit *Socinianus*, [3]) si mortuus fuit *Socinianus* cur, in extremo agone suo, IN CHRISTO SOLO SPEM SIBI SVAM OMNEM ESSE REPOSITAM, CONFIRMAVIT, *Socinianis* quippe alteram in DEITATE negantibus personam.

Quam facile *Sociniani*smus eo tempore hominibus fuerit aspersus, e sub sequentibus patet. Cum Professor Lugduno Batauus, *Caspar Barlaeus*, hunc GROTII Librum, *de Pietate OO.* inscriptum, contra *Nicolaum Vedelium* defenderet, Librumque, de Controuersiis Ecclesiasticis, (*Kerkelyken Verschillen*) ederet, in quo Clerum haud leuiter perstringebat, partes alioqui *Remonstrantium* tenens, iisdem quoque annumeraba-

1) pag. 12. 2) Cent. I, p. 59. 3) supra, p. 417.

Digitized by Google

merabatur, qua de causa, paucis tantum eius hoc loco faciam mentionem. In primis uero, notari de eo, meretur, *Barlaeum* aperte et serio contra *Socinianos* egisse, doctrinam eorum *pestem* appellans et interitum fidei Christianae.

Plerunque autem his accusationibus nihil, nisi apparens quid et in coniectura positum, protulerunt. Sic, in Articulo de Satisfactione Christi, *Socinianis* ipsum aequipararunt, quod scripsit,

Christum esse nostram iustitiam, eadem ratione, qua est nostra sanctificatio, id est, causam in nobis tam iustitiae, quam sanctitatis.

Item, *Verum dogma et catholicum hoc esse, Christum satisfeciisse pro omnium hominum peccatis, sed, a Gomaristis magnopere corrumpi, adeo, ut error Gomaristarum in hac re periculosior sit, quam Socini ipsius.*

Plures possem addere defendendi rationes, GROTIVM *Socinianum* non fuisse, nisi occupasset hanc operam Vir Summus, *Stellingfletius*, Episcopus *V Vorchestrienſis*, ac *Britanniae* suae, immo, totius literati orbis hodierni, ingens et immortale decus, in Libro, * de *Defensione doctrinae Trinitatis*. Maior quidem uis, maiusque pon-

 dus,

* in Libro, Defense de la Doctrine de la Trinité, c. VIII.

Digitized by Google

dus, et memoriae, et defensioni, * GROTIANAE, ut concilietur, memorat laudatum hunc *Stellingfletium*, praeter alios, *Ioannes Clericus*, in Bibliotheca sua Vniuersali, Artic. III, cuius uerba Gallica hic referemus.

L'autre chose, qui est bon de remarquer, c'est que l'on trouuera l'apologie de GROTIVS, *concernant, les sentiments dangereux qu'on lui attribue dans la lettre* XVII, *des sentimens de quelques theologiens d'Hollande sur l'histoire critique du uieux testament. Aioutes encore a cela que Monsieur* Stillingfleet, *Eueque de VVorchester, qui a ecrit auec beaucoup de uehemence contre les Sociniens,* A DEFENDV GROTIVS, CONTRE CEVX QVI L'ACCVSENT D'ETRE DE L'OPINION DE CE GENS LA au chap. VIII *de son liure intitule,* Defense de la doctrine de la Trinité. *On ne peut pas accuser ce scauant Eueque, d'auoir fauorisé en aucune maniere le Socinianisme. De sorte, que l'on peut etre persuade,* QVE SON IVGEMENT EST FONDE SVR L'OPINION, QV'IL AVOIT DE L'ORTHODOXIE DE GROTIVS, DONT IL APPORTE EN EFFECTS DE RAISONS SOLIDES.

Pergit, in eodem Artic. III.

Cependant un autre Eueque, mais de l'eglise Romaine a taché de puis peu de diffamer GROTIVS *autant, qu'il a eté possible. Ie ueux dire Mr. Eueque* de

* supra allegata Acta Eruditorum Germanorum. p. 417.

Digitized by Google

de Meaux, *dans ſa premiere defenſe imprimée a Paris, CIↃIↃCCIII, contre Mr.* Simon, *ou il ſemble meme promettre un ouurage, ou il entreprendra de detruire l'autorité de* GROTIVS *dans l'eſprit de ceux, qui etudient l'ecriture ſainte. Comme les gouts ne ſe reſſemblement pas, a l'egard des uiandes. Les iugemens de l'eſprit ne ſont pas les memes a l'egard des liures et des ſentiments.* I'AVOVE QVE IE NE CONNOIS AVCVN INTERPRETE CE L'ECRITVRE, QVE L'ON PVISSE EGALER A GROTIVS. *Mais, ſi Mr.* Eueque de Meaux *ueut nous faire, qu'en nous montrant, perdre la haute eſtime que nous auons concue de ce grand homme, il ne ſcauroit mieux le faire, qu'en nous montrant, quelque autre interprete, qui uaille mieux que lui, et qui a ſuiui une route differente, ou plus tot en produiſant lui meme, quelque choſe de meilleur.* Car en diſant ſeulement, que GROTIVS etoit Socinien, tout ce qu'on auancera c'eſt, que le public aura de meilleurs ſentimens des Sociniens, ſ'il eſt un fois perſuadé, que le plus habile de tous les interpretes de l'ecriture ſainte, a eté de leur coté. *Il y a des gens qui ennemis de doute raiſon, appellent Socinien tout ce qui paroit plus raiſonnable, que ce que l'on dit uulgairement.* On fait par la beaucoup d'honneur aux Sociniens, et un tres grand tort a la uerité. *Puiſque cette conduite ſuppoſe, que ceux, qui*

Digitized by Google

la defendent, ne font aucun uſage de leur raiſon. Si l'on dit, que les Sociniens ont decouert pluſieurs de ces choſes que l'on trouue raiſonables, il ne ſ'en ſuit pas, que l'on doiue traiter ces penſees de Sociniens, puiſque le bon ſens doit etre, ce me ſemble, autant du coté de la uerité, que de celui de ceux, qui l'attaquent. Ce qui eſt de bon ſens appartient a touts les hommes et en particulier a touts les Chretiens, qui le doiuent embraſſer auec plaiſir dans quelque auteur, qu'il ſe trouue. Mais ce n'eſt pas la un ſuit, que l'on puiſſe traiter en paſſant.

Quod ſi uero *Meldicenſis* Epiſcopus, *Socinianum fuiſſe* GROTIVM, contendit, ubi, quaeſo, *Valeſii, Patini, Oſiandri,* firmis, ſcilicet, teſtimoniis, *Catholicum fuiſſe,* locus relinquetur? Vbi manebit *ſupra* * allegatus Pontificius, qui, illum in religione *Caluino* affixum et immortuum eſſe, praedicat, ubi manebunt *Ieſuitae,* cum ſuo, Belgice confecto a GROTIO confictoque, *Teſtamento,* cum profeſſione Fidei Pontificiae coniuncto?

Ex his ergo ſatis abunde patebit, *primo,* GROTIVM neque *Papiſmo,* neque *Socinianiſmo,* fuiſſe addictum, ringentibus licet non nullis hominibus, qui pugnantia inter ſe dogmata, *Socinianiſmum* et *Papiſmum,* LONGE DOCTISSIMO RELIGIO-

* pag. 281, in medio.

Digitized by Google

GIOSISSIMOQVE VIRO obiiciunt, *secundo loco*, quam bellua immanis *inuidia* sit, et quam bene ab *Ouidio*,* sit descripta. Hoc enim monstrum tot malorum iam et calamitatum Iliades myriadesque in homines deriuauit, ut, cum *Constantino Manasse*, merito exclamare liceat, *O, inuidia*,** *bellua nocens, latrocinatrix, caedibus, persecutionibus et haeresibus, gaudens, scorpio, stimulis infinitis praedite, tigris, homines deuorans, dracaena uenefica, lethalis herba, telum, ferri expers, cuspis acutissima, qualia designas et improbe committis? Quas calamitates, et quae mala, struis? Quas haereses, quae nomina, fingis?*

Videamus ergo, qualis demum in Religione GROTIVS fuerit. VIR fuit religioso utique praeditus ingenio, nulli SE religionis Sectae associans, satius esse, ratus, si, secundum normam uerbi diuini, sicut id uerum Christianum esse uult, ita SE gereret in fide et uita. Atque haec, si perpendamus, e principiis dimanabant *Remonstrantium*, ut ab aduersariis nominabantur. Sententiam suam, quam de recto ueroque ueri DEI cultu habebat, iam in Libris suis, de *Religionis Christianae Veritate*, satis declarauit, speciatim in Epistolis quibusdam, ex quibus potiora tantum hic proferemus.

Addu-

* L. II Metamorph. ** Annal. p. 126.

Digitized by Google

Adducere [1]) *me non potuerunt, quanquam et promissis, et minis, tentatum, ut* RECTE ET EX VETERE FORMVLA DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO SENTIENTIVM OPPRESSIONI ACCEDEREM. * *Seruabit mihi, ut spero, hunc animum* DEVS, *ut, neque spe, neque metu ullo, abductus, factis dictisque seorsum eam ab eo, quod animus sentit.*

[2]) *Nihil autem odiosius, non dicam, Ecclesiis nostris, sed celeberrimis Ecclesiarum nostrarum Doctoribus, obiicitur, quam, quod,* RIGIDA QVAEDAM DOGMATA, ET ZENONIS MAGIS, QVAM SALOMONIS, PORTICVM, REDOLENTIA, NIMIVM VRGENDO, DEO ASSIGNENT PECCANDI CAVSAS, ET τῷ τῆ ἀεργῆ λόγῳ CVRAM PIETATIS EVERTANT.

[3]) *Semper autor illis fui,* VT DOGMA, DE CVIVS VERITATE AC VTILITATE PERSVASI IN ANIMO SVO ESSENT, SVPER PRAEDESTINATIONE ET REBVS COHAERENTIBVS, AD FRVGEM BONAM, ET SEMOTA ACERBITATE, PROPONERENT, *atque ulteriores controuersias declinarent, quo pax Ecclesiae ubi superarat, ubi luxari aliquatenus coeperat, hoc facilius restitui posset.*

In primis PLACIDISSIMI VIR FVIT INGENII, a litibus

1) Ep. XXXVIII, ad Guil. Vairium. * supra, p. 195.
2) Ep. XVII, ad Iacob. Aug. Thuan.
3) GROTII Apologia.

Digitized by Google

tibus * maximopere abhorrens, quique contentiones et rixas, in DEI coetu uel maxime noxias, modis omnibus fugit, et, quamuis IPSI non raro ab aliis causae essent allatae altercandi, semper tamen, omni studio, est annisus, ut in tempore lites componerentur. Hanc rem ipsam optime confirmant, praeter alia, haec ipsius uerba.

1) *Scis, quam ab ingenio meo abhorreat rixa.*

2) *Dolendum est, magis magisque animos intumescere, ut media suadentium uocibus aures non pateant.*

3) *Immo uero, ad Pastorale munus commendaui homines modestos, monuique Pastores, ut, quantum eius fieri posset, in publicis allocutionibus, harum controuersiarum tractationem defugerent, cuius rei multos Roterodami testes habeo.*

Conf. Locus, paulo ante iam memoratus, *Semper autor etc. pag. 530.*

Huius principium rei, neque id momenti leuis, spectemus, potiorem defensionis inde rationem una repetentes.

I. Ex Lumine Naturæ.

Cum genus mortalium, in illa sibi innata libertate naturali, delectationem qui-

* supra, p. 436, et pag. 378.

1) Ep. XXXVII, ad Beni. Aub. Maur. 2) Ep. XLV, ad eund.

3) GROTII Apologia, cap. XIX, p. 271.

Digitized by Google

quidem ſuam reperiret, ſimul tamen animadueterteret, ſine ſocietate cum aliis, uitae humanae difficultates caſuſque aduerſos ſuperari nullo modo poſſe, ex omnibus primum eſſe uidebatur, imperfectae huic felicitati, AMICA HVMANAQVE COLLOQVENDI RATIONE SVBVENIRE. His colloquiis, atque hac conſtanti conſuetudine, ea inibantur conſilia, quibus conſociarentur homines et perpetuo continerentur. Eiuſmodi ſocietates re nulla perinde, quam lingua prudentique ſermone, colligantur. Data enim ſoli homini eſt *Oratio*, tanquam *munus maxime neceſſarium* ac multo praeſtantiſſimum, ſi praeſertim eum, ab quo donum illud profluxit, ſpectemus. Vinculum ea et firmamentum eſt humanae ſocietatis, mentis animique dextera manus, qua conſilia pariter, et auxilia, tum flagitat, tum communicat, omnium interpres actionum, ſine qua neque pax fieri neque confici negotia, neque artes animique dotes diſpenſari, poſſunt. AMICAM HANC ET HVMANAM CONFABVLATIONEM, GROTIVS animam ducebat eſſe uniuerſae ſocietatis, ratus, hanc, ſine illa, conſiſtere nequaquam tranquille poſſe. Qui lucem ipſam non neceſſariis rationum momentis oſtendere conantur, iniuriam haud leuem et lectoribus faciunt, et cauſae, et ſibi quoque ipſis, *Lectoribus*, tanquam caecis, *cauſae*, tan-

Digitized by Google

tanquam ancipiti dubiaeque, *sibi* denique, uelut exinstituto ineptis. Eadem ergo ratio me prohibet, allatae rei fundamentum anxie conquirere, cum illius ueritas melius pro se loquatur, et natiuo quodam fulgore omnium aciem oculorum praestringat. Sane, cum nos homines ab natura ad societatem facti simus ciuilem, ut *Aristoteles* passim demonstrat, et ab hominibus illa, quam extollimus, uirtus, humanitas, * nomen sibi repetat, euidenter et necessario sequitur, HOC BEATIVS IN CONSVETVDINE QVOTIDIANA VIVERE NOS, QVO ENIXIVS AMICIS ET HVMANIS HIS CONFABVLATIONIBVS, ET COMMODIS MORIBVS, ET AMABILI ILLA OFFICIORVM INCVMBIMVS FACILITATI.

II. Ex Theologia Naturali.

IDEM, homini iniunctum hoc esse cuiuis, perspiciebat, ex Theologia naturali, cum egregium opus suum, *de Veritate Religionis Christianae*, elaboraret, ubi recondita quaeque, ad naturalem societatem, ad religiosam fraternitatem et eius uinculum, facientia, perquirit, docens, quantum in ea re sit momenti situm, ubi, tam diuersa ac dispari opinionum ratione, uariantes sententiae sint de DEO, et, ubi non sit procliue cuilibet, accurate DEVM cognoscere, concludens, omnem religiosae uim coniunctionis, omnem autoritatem,

* Cicero L. 1 offic. Liberalitate ac humanitate nihil est humanae naturae accomodatius. Ineptum est, probare res manifestas laborioſe.

Digitized by Google

tem, lenitate consilii, suasionis, * doctrinae, terminari, eamque, si inanis sit, nec demat animo labem, discedere ab societate, contumacia non audientis praecepta rationis. Illam solam esse potestatem, illam iustam et probabilem coercitionem, uidebat, ultra excedi non posse, huc posse peruenire. Iudicabat, quamuis essent uariantes de DEO sententiae, DEVM tamen, tam diuersa ac dispari opinionum ratione, suam uelle gloriam illustrare, quo singuli DIVINAM MAIESTATEM magis reuereantur. Non enim difficile fuisset DIVINAE MAIESTATI, ** si ei placuisset, omnem humani generis Religionem sub unam coarctare formulam, unam omnibus de religione inspirare opinionem, sicut omnibus parem boni malique dedit sensum, sitis et famis, frigoris atque aestus. Quod si mauis cum re Arithmetica conferre, non ne conuincimur, uel eius autoritate exempli, DEVM, circa sui cultum, potuisse, quod in Numeris effecit, in quibus, quia eundem omnibus formauit ueri intellectum, ea est gloria pulcherrimae artis, et humanis usibus necessariae, ut, si, ad certi regulas, omnes exigantur scientiae, una omnes superet et omnibus locis,

* *Dolendum est*, inquit, *magis magisque animos intumescere, ut media suadentium uocibus aures non pateant.* Ep. XLV, ad Beni. Aub. Maurer.

** ut cum ipso quodam Belgarum ipsorum magno ciue loquar.

Digitized by Google

locis, omnibus temporibus, apud omnes perae-
que homines, sine discrimine conditionis,
fortunae, sectae, si ad digitos descendant, duo
ettria, uerbi gratia, faciant quinque, eamque
ueritatem nulla lis, siue odio, siue superstitione,
siue auaritia, siue ambitione, siue alia quadam
animi libidine, moueatur, confundere possit.
Sed, o immensam, o admirabilem, DEI sapientiam!
Bone DEVS, quam parum est nostrarum uirium,
tua inuestigare consilia! Quam certo ea reuere-
ri debemus, etiam, cum ignoramus causam! Ali-
ud tibi in Numeris, aliud placuit in Religione.
Proinde, quantae est dementiae, aut arrogantiae,
illud, quod DEVS, cuius summum in animos im-
perium est, materiem esse uoluit suae benignita-
tis, sui occasionem odii, suaeque improbitatis, fa-
cere uelle, dum imperium et potestatem regendi
conscientias, odio et improbitate interuenien-
te, sibi arrogat, contra, DEO, summum ius in con-
scientias hominum habenti, derogat, et aduersa-
tur foederi immensae diuinae gratiae, cuius uin-
cula amoris et consensus in agnitione DEI sum-
ma, honestatis item, uirtutisque, in consuetudi-
ne uitae, homines peramanter copularunt arcte-
que constrinxerunt. Quid uero iniustius dici
potest, quam, defendere fidei discrepantiam, ex-
cludere humanitatis consortia, et, quae pietas

Digitized by Google

naturam debebat perficere, contra eiusdem iura allegare. Alia paranda defensio est, non indigemus odio, nec improbitate, sed ratione, sapientia, intellectu, firmatur religio, quae uera est. robe inspiciamus intellectum, exploremus rationis in animo uim ac proprietatem, summa semper huc redit, non esse humani arbitrii intellectum. Tantum is patitur, se doctrina duci et consilio regi, conuictusque, assensum necessariae praebet demonstrationi, diris imprecationibus, iurgiis, contentionibus rixosis, effici nihil potest. Qui enim homines ad uerae Religionis rigorem contentionibus anxiis, rixosisque disceptationibus, inflectere conatur, is profecto humanae imbecillitatem conditionis non intelligit, sed ferus est, aut crudelis, si hac non mouetur. Qua enim ratione, aut spe, iubeat, aut uetet, quod a luxuria, auaritia, rusticitate, socordia, uanitate, superstitione, ineptia, libidine, temeritate, tam late regnante, ne suppliciorum quidem comminatione, impetret. Nec tantum frustra, sed etiam iniuste, argueret non obseruantes illud, quod eorum egreditur uires. Quid, si praeterea metui possit, ne, quod optime iubetur, sine periculo maioris mali, sperari nequeat? Cur de illo desperas, etiam, cum nihil speras? Quin saepe cogita, quod nunc non sit, post fore,

resque

Digitized by Google

reſque ſuper nos agere DEVM. An non quotidianis diſcimus experimentis, qnam parum, immo, quam nihil, per nos ſtet, quid animo uoluamus? Dic, ſi potes, an quis cogitationes, quas uelit, aut optet, inueniat ſibi? An quis eas ſuo formet arbitrio? Nonne ſingulis mutantur momentis, non ſponte, homini? Nonne incidunt eae unicuique continenter, et inuito et ignoranti? Iam, ſi exciderint, an reuocari a fuga, ullius diligentia, aut arte, poſſunt? Nempe, hoc non alio pertinere, arbitramur, niſi, ut intelligas, neminem natum hominem, qualiſcunque ſit dignitatis, loci, aut fortunae, mentis, non dicam, alienae, ſed ſuae, poteſtatem habere, ſed unum eius Rectorem, Dominum atque Arbitrum, eſſe immortalem DEVM. Non luſus hic eſt uerborum, res ipſa loquitur ſatis. Quis nouit animum, quis uidet? Nonne DEVS? Quis flectit, quis regit? Nonne DEVS? Qui illum iure ſuo fingit atque formar, cerae more, nec quicquam relinquitur homini, praeter obſequium erga DEVM. Ad redarguendos enim et conuertendos errantes, ad conuincendos item refellendoſque haereticos, prout Spiritus S. immenſa gratia ſua, diuinoque influxu et inſtinctu, omnia dirigit, ita in hiſce concurrit et cooperatur ratio, ſuo modo, non, quod idonei ſimus, ex nobis ipſis cogitare quic-

Digitized by Google

quam, tanquam ex nobis ipsis, sed, quod idonei sumus, id ex DEO est, ut ipse gentium Doctor, in tertio haec edoctus coelo, diuus *Paulus*, fatetur. Certe, si Theologi attendere uellent ad hoc discrimen ingeniorum, rixarum multo minus foret in Ecclesiis, et, sanando uulneri sarciendaeque paci, remedia haud longe afutura.

III. Ex Scriptura Sacra. Nihil aliud reperiebat, immo, multo plus, in conficiendis *Commentariis ad V. et N. Testamentum*, ubi haec omnia longe arctius, maiorique cum pondere, reuelata esse et inculcata, animaduertebat, hancque tanquam partem Christianismi, uel maxime necessariam, fructum exinde decerpens insignem, intuebatur. Quid enim Christianos onerare grauius potest, quam, propter diuersas et uariantes Religionum sententias, lenitatem, humanitatem, amorem fraternum, tollere, et eum odio persequi, quem ipse DEVS non odit, et cum quo continenter usum solis atque imbris DEVS communicat, licet eum posset statim ac mille modis, si uellet, affligere, cruciare, perdere. Quod si DEVS non est infestus, sed parcit et prodest ei, ab quo sit laesus, cur homo odit eum, qui ei non obfuit? Si Magister noster summus, in praeceptis, Amorem sanctissime praecipit, nec ullam professionis externae, aut Religionis, habet rationem, nec ullum unquam odium

Digitized by Google

odium ulli mortalium commendauit, quem ad modum parabola de Samaritano, uberrimam homini isti semimortuo misericordiam praestante, abunde satis docere potest, Luc.X,30.sqq. quid assectis Christianis, nomenque Christi libere professis, non erit faciendum? Quis crederet, Christianismum, Christianae uitae sanctitatem, morumque Christianorum integritatem, Christianam charitatem fraternitatemque, ab illis toties iactatam, inter Christianos regnare, cum in Ecclesia Christiana, nihil, nisi dirae imprecationes, contentiones rixosae, stentorei controuersiarum clamores, stomachosi opinionum conflictus, accusationes, damnationes, excommunicationes, fori disceptationes, Synodi, Concilia, toties audiantur. Facessant igitur haec omnia et singula, facessant et exulent penitus ab coetibus illis diuinis Christianorum. Longe alia sunt arma Christianorum, alia Christianismi sunt fundamenta, aliud Christianos uox docet, ab ipso inculcata Christo.

IV. Ex Consensu Hominum.

Hanc mutuo se ferendi aequitatem amicamque hanc et humanam confabulationem adhiberi non posse tantum, sed etiam debere, docent, ex Theologis ueteribus, praeter alios, *Athanasius*, *Arnobius*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Vincentius Lerinensis*, ex recentioribus

Digitized by Google

bus *I. Caluinus*, in opere Instit. Christ. Rel. 1) *Guil. Perkinsius*, in Comment. ad Galatas, 2) *I. A. Thuanus*, Praefat. illa plane aurea, Historiae suae praemissa, *Hieron. Osorius*, in Hist. Emanuelis, Regis Portugalliae, 3) *P. D. Huetius*, in suis passim scriptis. conf. de hac re la *Bibl. Vniuerselle*. 4)

Ex Regibus et Imperatoribus tum Christianis, tum non Christianis, huc pertinent, *Constantinus* ille *M.*, *Valentinianus*, *Valens*, *Gratianus*, etiam *Midas* ap. *Iustin.* 5) *Pompeius M.*, *Iulianus*, ap. *Ammian. Marcell.* 6) et, patrum nostrorum memoria, *Maximilianus II*, in Epist. ad *Lazarum Suendium*, quae est in editione Operum Mureti, *Iacobus I*, Rex Angliae, aliique plures.

Ex integris nationibus non Christianis, habemus hic *Arabes*, qui tolerant omnes religiones, immo, gloriantur, sese nullas unquam religiones persecutos esse, *Mahumetanos* item, apud quos tuto licet omnes profiteri religiones.

Ex Philosophis ueri DEI ignaris, addendi sunt, *Socrates*, *Anacharsis*, *Themistius*, *Plinius*, quos inter in primis digna sunt uerba *Themistii*, oratoris non quidem Christiani, sed digni, qui sa-

pe

1) Lib. IV, sect. 12. 2) Cap. I, comm. 2, et cap. III, comm. 15. 3) fol. 14, 15. 4) T. XIIX, p. 292. 5) L. VII. 6) XXII, 5.

Digitized by Google

pe multumque ab hominibus etiam Christianis euoluatur, cuius *Themistii* uerba, saeuituro in Orthodoxos *Valenti*, Ariano, oppositа, ex interpr. Gallica, eaque pereleganti, Abbatis *Flechieri*, dare licebit.

Le Philosophe Themistius, *allé trouuer l'Empereur, pour lui dire: Qu'il persecutoit sans suiet des gens bien. Que ce ne doit pas un crime, que de croire et penser autrement, que lui, qu'il ne falloit pas s' etonner de cette diuersité d'opinions, que les gentiles etoint beaucoup plus diuisés entre eux, que les Chretiens, que chacun en uisagerit la Verité par quelque endroit, et, qu'il auoit plu a Dieu de confondre l'orgueil des hommes, et de se rendre plus uenerable par la difficulté.*

Immo, animaduertebat noster ille GROTIVS, VNIONEM TRIVM RELIGIONVM INTER DISSIDENTES FIDEI SOCIOS, A GRAVISSIMI SVMMIQVE INGENII VIRIS, NON EX NVMERO NOSTRO, SED EX IPSO PONTIFICIORVM, COETV, INCVLCATAM SERIO FVISSE ET COMMENDATAM, VELVT VNIVERSALEM QVANDAM ET CONIVNCTIONE INSVPER CONFIRMATAM, VRGENTIBVS FIDEI BASIN. Memoratu digna sunt uerba, quibus, in illo cum *Hugonottis*, A. CIↃIↃ LXI, *Boissitii* habito, Colloquio, usus fuit Cancellarius Galliae, *Mich. Hospitalius*.

Digitized by Google

Non tam infensos Protestantibus esse debere Pontificios, fratres quippe fratribus, VNO EODEMQVE SACRI FONTIS LAVACRO REGENITOS, VNVM EVNDEMQVE ADORANTES CHRISTVM. ut relatum legitur a *Thuano.* *

Perspexerat haec sane, si quis alius, *Iosephus Hallus*, prudentissimus ille Exceſtrensis in *Britannia* Antistes, qui, in Synodo *Dordracensi*, his, amore uere Christiano plenis, utebatur uerbis.

Sumus omnino Fratres et Collegae. Quid nobis cum titulo Remonstrantium, Contraremonstrantium, Caluinianorum et Arminianorum? Simus Christiani et Concordantes. SVMVS VNVM CORPVS, SIMVS ERGO ETIAM VNANIMI, OPORTET.

In Academia *Lugdunensi Batauorum*, cum aliquoties de *Praedestinatione* Colloquia essent instituta, testati sunt, *Gomarus*, *Trelcatius*, *Arminius*, *Cuchlinus*, INTER SE NVLLAS ESSE CONTROVERSIAS, AD FVNDAMENTVM PERTINENTES.

Sic, in Symbolo suó, *Heluetii*, eandem in sententiam, loquuntur.

Abunde piae uetustati mutuus ille erat, in praecipuis Fidei dogmatibus, inque sensu orthodoxo et charitate fraterna, consensus.

Docet

* Hist. L. LXXIIX, p. 572.

Digitized by Google

Docet id ipsum *Benthemius*, et in primis *Pareus*, locis pluribus, nominatim in Comm. 1 Corinth. III, et copiosius in Libro, de Vnione Euangelicorum, ubi his utitur uerbis.

Qui in fundamento conueniunt, ait, *in bona conscientia coitionem facere possunt et debent. Quamuis in minus principalibus aliqui, nimium curiosi, ab illis rudioribus differenter sentiant. Si enim omnes per omnia consentire possent, quorsum hortaretur Apostolus, ut alii alios tolerent, ut firmi, fide infirmos suscipiant, ut alii aliorum onera portent, ut, si quis quid aliter sentit, a* DEO *reuelationem petat et expectet? Si Reformati in uno alteroque antehac disceptato articulo primario, salua conscientia Ecclesiae Lutheranae*, inquit Benthemius, *sese iungere possunt, cur Reformatis, in aliis capitibus, idem facere non licuisset? Si Lutherani, ope suae doctrinae, saluari possunt, et, in fundamento Fidei cum Reformatis, sicut ipsi fatentur et docent, conueniunt, ui etiam conscientiae obligati erunt, in reliquis capitibus, minus grauibus, remittere, et coniungere se cum iis, eosdemque tolerare.*

Considerabat porro GROTIVS CELEBREM ILLAM GEORG. CASSANDRI, *de Articulis, Catholicos inter et Protestantes, controuersis*, CONSVLTATIONEM, A. CIↃIↃCXLII, *Helmstadii*, CVRANTE HERM. CONRINGIO, RECVSAM, ET A COMPLVRIBVS APPROBATAM.

Digitized by Google

Hanc *Annotatis* ille suis, in gratiam Vnionis amantium, illustrabat, quibus suas post *Animaduersiones* opponebat *Andr. Riuetus*, qui tamen, omnium, Pacis amantium, iudicio uirorum, sapientius utique feciſſet, ſi, operi huic promouendo potius, quam impediendo, uias et rationes uel inire, uel oſtendere, maluiſſet.

Videbat idem GROTIVS noſter, CIVEM SVVM, MAGNVM ILLVM ERASMVM, PLANE FACERE CVM PACIS AMANTIBVS, NEQVE MINVS COMPLVRIVM ALIORVM EORVMQVE PACEM SECTANTIVM PASTORVM, PIORVM ITEM PRINCIPVM, INSVMPTVM LABOREM, IN COMPONENDOS CVM LVTHERANIS REFORMATOS ALIOSQVE DISSIDENTES, quos inter ſilentio praetereundus non eſt Potentiſſimus *Poloniarum Suconumque* Rex, *Vladislaus* IV, ob pacis concordiaeque Chriſtianae ſtudium promouendum, et diſſidia atque ſciſſiones tollendas, aeterna recordatione digniſſimus, qui, *Thorunii Pruſſorum*, A. CIↃIↃCXLIV, Colloquium indixit. Celſiſſimus quoque Princeps, Landgrauius *Haſſiae*, *Philippus*, qui Colloquium de Coena Domini, *Marburgi* habitum, ad diſſidia Religionum Euangelicarum tollenda iam A. CIↃ IↃXXV, conuocauit, Sereniſſimus Elector *Palatinus*, *Fridericus III*, Dux VVurtembergicus, *Chriſtophorus*, qui, per Colloquium, A. CIↃIↃXLVI inſti-

Digitized by Google

institutum, dissensiones, in Religione Euangelica uigentes, dissipare, animosque omnium, *Augustanae* Confessioni addictorum, ad concordiam transferre, haud contemnendam suscepe-runt. Nostra aetate, Potentissimus *Prussorum* Rex, *Fridericus*, tam ob ciuilis, quam sacrae Pacis, studium, sedulo promouendum, nauiter fuit solicitus, qua diuina opera aeternam nominis sui gloriam dudum est consecutus, et plures alii, qui, uirulentos controuersiarum clamores et biliosas opinionum altercationes auersati, pio et laudabili instituto, nec minus amplis et Regiis plane sumptibus, Concilia, Synodos, *Colloquia*, quae uocantur, *charitatiua*, coegerunt, conuocarunt, instituerunt. Tantus enim *Principum*, Pacis religiosae studium anhelantium, numerus reperitur, ut cum ipsis *Theologis*, nomen *pacificorum* DEI *filiorum* affectantibus, numero certare, immo, facile numerum superare, posse uideantur, id quod dictu difficile, probatu autem sit facilimum, si lenitatem pietatemque *Principum*, *Theologorum* uero uehementiam, et inconditos saepe mores, cognitos habeas atque perspectos.

Laudabilem ergo sese operam suscipere, noster etiam, Pacis et Concordiae Christianae longe amantissimus, GROTIVS existimauit, ut ad unienda

enda conſopiendaque Religionum diſſidia cogitationes ſuas leniores, ſtudiaque ſua, humanitatis plena, conferret, prout ipſe hoc innuit,[1] ILLAESA TAMEN VERITATE, addens. In primis diſſidium, quod inter Lutheranos, Reformatos et Pontificios, exarſerat, funeſti ominis loco accipiebatur a cordato noſtro GROTIO, qui ſane optabat, uulnera Chriſtiani coetus ſanari, dolens impenſe, cicatrices, ſolo litigantium ſtudio, toties refricari, uniceque optans, ut Eccleſia Chriſtiana tandem aliquando Concordia frueretur, diraque Theologorum bella, ſuum uel tandem nanciſcerentur finem. *Reperti.*[2] *ſane ſunt homines*, inquit GROTIVS, *tam feri, qui dicerent, Eccleſiaſticam Vnitatem retinere uelle cum illis, qui circa dogmata aliqua diſſiderent, id uero eſſe, Chriſtum miſcere Beliali. Sed alia nos omnia docet uox a* DEO *inſpirata.*[4] Eiuſmodi homines, truncos ſtipiteſque repraeſentare, malunt, quam organa DEI in ſancta Eccleſiae Chriſtianae uinea eſſe. Etiam alibi GROTIVS pacificas cogitationes ſuas aperit ſequentem in modum.

[3] *Mihi, ad iuuandam communem Chriſtianiſmi cauſam*, utinam tam adeſſent uires, quam prom-

1) Ep. XXXVIII, ad Guil. Vairium, Franciae Cancellarium et GROTII Apologia cap. IV, p. 36. 2) Apologia l.c.
3) GROTII Epiſt. ad Ioann. Crellium.
4) Rom. XIV, 1. Phil. II, 4, III, 5. 1 Cor. IX, 19, XIII, 14. 2 Tim. II, 22.

Digitized by Google

promptus est animus etc. Pacis consilia et amavi semper, et amo nunc quoque eoque doleo, cum uideo, tam pertinacibus iris committi inter se eos, qui, Christi se esse, dicunt, *si recte putamus, quantillis de causis.*

1) *Semper in uotis habui, nec habere desinam*, ut communiones, *quae a Papa Romano, grauissimis de causis, sese separarunt, in animis suis, per certos testes*, arctius coniungantur.

2) *Vtinam uero* DEVS *Ecclesiae Rectoribus, ipsisque Regibus ac Potestatibus, Spiritum charitatis ac mansuetudinis potenter suppeditet, ut, omnibus difficultatibus superatis, Ecclesiae, quam proxime fieri potest, primaeuam illam pulchritudinem, maxime uero solidam pacem*, ILLAESA VERITATE, *restituant. Multa* hominum millia, quorum gregi accenseri, uolo, sanctum hoc propositum piis uotis prosequentur, et frequentes concurrent ad sublatum uictoriae uexillum.

3) *Nescio, an uideris*, Georgii Calixti *Praefationem, ad editos a se libros Augustini de doctrina Christiana etc. Probo uiri iudicium, et*, cum pacis amore coniunctam, *antiquitatis reuerentiam.*

Ad praeclarum hunc Pacis finem consequendum,

1) Epi[illegible] ad Ioann. Duraeum. 2) Ep. XXXIIX, ad Guil. Vairium. 3) Ep. CLXIV, ad Ioann. Cordesium.

Digitized by Google

dum, *tria* reperiebat GROTIVS *remedia*, remouendis impedimentis idonea,

Primum, VTI SECTAE CERTAE SE NVLLI ADDICERET, GROTIVS consultum ducebat, quoniam inuentio et exulceratio sectarum, cum peculiaribus nominibus, iam Ecclesiae non exiguum damnum intulerat, quippe ab qua membra Christi resciderant et separauerant, satius esse, ratus, si, secundum normam Codicis S., sicut ille uerum [1]) Christianum esse uult, ita se gereret. Atque haec, si perpendamus, e principiis *Remonstrantium*, dimanabant, quorum, ad rem hanc magis illustrandam, uerba, post uerba GROTII sequentia, referamus.

Sibi propositum semper fuisse, inquit, [2]) *non alicui earum seruire partium, in quas, ingenti seculi nostri malo, diuisi sumus Christiani, sed Christianis plane omnibus.*

Aliorum, relata iam *supra*, uerba repetere licebit, quae sic incipiunt.

Nos Remonstrantes omnibus coetibus Christianorum, in fundamento fidei unanimis, mutuam offerimus tolerantiam.

Huc pertinet alter, a me iam indicatus, locus.

Optandum esse, ut, qui publicis ecclesiis etc.

Vnam

1) supra, p. 529, 492, 493 seq. in pr. p. 497. 2) Praef. Eccles.

Digitized by Google

Vnam ergo uel IN PRIMIS AVERSABATVR GROTIVS FOEDAM ILLAM, AC RE CHRISTIANORVM INDIGNISSIMAM, HAERETICOS FACIENDI INSANIAM, ueram et unicam illam cauſam, quae, inde a primis Chriſtianiſmi incunabilis, in coetu DEI, ſciſſiones ac diſſidia fecit, quaeque, ſublato uerae pietatis et amoris fraterni uinculo, in impietatem, odium, tandem in accuſationes, iurgia, fori diſceptationes, ſupplicia, exilia, bella, caedes, et quid non, degenerauit. Hinc *haereſin* [1] *peſtem et uenenum Eccleſiae uocare* ſolebat.

Videbat, durante iſto Religionis diſſidio, *Arminianos* inter et *Gomariſtas*, diſputandi licentia et contumacia inflexibili [2] atque effreni reddita, NIHIL EFFICI, NISI, VT DISSIDIIS, TVRBIS, SEDITIONIBVS, CONCILIABVLIS, PVBLICVM OTIVM, ET QVODAMMODO NATVRAE FOEDVS, VNIO 3) SPIRITVALIS INTER PROTESTANTES ET CHRISTIANOS, INTERPELLARENTVR, quique hanc praetendant famae, irae, temeritati, aliiſque affectibus, eos magnopere nihil agere, niſi, ut, diſciplinae ac religionis imagine, deleant bonitatem, iuſtitiam, pudorem, fidem et cetera, quibus ſalus

1) Oſiandr. Prolegg. p. 24.

2) ſupra, p. 33, in primis p. 34, et multis ſeqq.

3) Videatur Ioann. Laur. Moshemii *gründlicher Beweis, daſs die Authorität des Dortrechtiſchen Synodi der geiſtlichen Vereinigung unter den Proteſtanten das gröſte Hinderniſs ſey*, edit. Hamb. A. CIↃIↃCCXXVI, 8.

Digitized by Google

ſalus humani generis ſuſtinetur. Eoſdem haud minus impios aduerſus DEVM, quam ſceleratos et nefarios aduerſus homines, uideri, quia, conſtitutam naturae lege ac diuina prouidentia, inter homines cognationem, ſine iure, ſine cauſa, euertant.

* *Scit ille,* (DEVS) *quanto dolori mihi pridem fuerit, quoties prima illa Chriſtianiſmi primi, nominis tanti menſuram implentis, tempora cum noſtra hac miſerrima aetate conferrem, qua populi, in ſummis fidei capitibus conſentientes, ex rituum atque opinionum diſſidiis, in factiones aguntur et bella, uel profanis gentibus pudenda. Neque uero dubium eſt, quin multi, horum malorum pertaeſi, charitatem aduerſum Chriſtianos omnes animo retineant, externam quoque unitatis faciem ardenter exoptent, parati tanti boni cauſa, ex Apoſtolico praeſcripto,* aptare ſe alienis infirmitatibus, et ad ultimos uſque diuinae legis terminos patientiam et aequitatem ſuam extendere.

Alterum ergo remedium potius adhibebat, nempe MANSVETVDINEM, TANQVAM PRAECIPVVM CHRISTIANISMI CAPVT. Sentiebat enim, per manſuetudinem et mitiſſimum CHRISTI Spiritum, ſciſſiones et haereſes, a DEO, poenae loco, immiſſas, per hoc maxime ſubſidium eradicari, unde,

* Ep. xxxviii, ad Guil. Vairium, ſupra, p. 498, 499.

Digitized by Google

de, propoſito ſuo Chriſtianoque officio conueniens eſſe, ducebat, ſi lenitatem ſuam notam faceret omnibus, eandemque ob rem, cum uiris diuerſarum religionum haud unis, conſilia ſua communicare non dubitauit, ut hac occaſione eos inuitaret, ad melioremque reduceret mentem, ut ſupra, ex Epiſtola GROTII ad *Ioann. Crellium*, notum iſtum Socinianum, A. CIↃ IↃ C XXXI, patet.[1])

Et, haud dubie, hic ipſe *Crellius* exinde meritum agnouit Chriſti, ut publice confitetur. Ita enim, Comment. in Ep. ad Hebraeos, [2]) ſcribit.

Eo, quod ſub Veteri Teſtam. contigit, nempe, quod et ipſum Teſtamentum ſanguine fuerit ſanctum, et, quod omnia fere ſanguine mundarentur, peccata ſaltem ſine ſanguinis fuſione mundari non poſſent, ex hoc, inquam, per ſimilitudinem (Apoſtolus) *colligit, mortem ſanguiniſque fuſionem Nouo quoque Teſtamento interuenire debuiſſe, ut et ipſum Teſtamentum ſanciretur, et crimina noſtra emundarentur.*

Et, ibidem, [3]) ſic pergit,

Quaſi dicat, (Apoſtolus) *hoc certum eſt, peccata, ſine ſanguinis fuſione, ſub lege non remitti, uel, etſi tandem aliqua, ſine ſanguine, purgantur peccata,*

1) ſupra, p. 499. 2) IX, 18, Tom. II, fol. 160. 3) ad v. 22, fol. 161.

Digitized by Google

sine eo purgari nequeunt. Vnde merito colligitur, debuisse quoque sanguinis fusionem interuenire, ad emundandas nostras conscientias, seu, ad expianda peccata, conscientiam polluentia.

Tertium illud remedium erat, ut, PRVDENTIA SACRA, TANTOPERE NECESSARIA, VTENDVM SIBI ESSE, EXISTIMARET, Aut fallor ego, aut sectarios sectasque hodie paucas haberemus, si olim, quibus, paulo post discipulorum Christi obitum, sacrarum cura rerum credita erat, charitatem prudentiamque Christianam, ab ipso Christo uel maxime inculcatam, diligentius in consilium uocassent et ab ista haeretificatione [1]) crebrius abstinuissent. Qua in re, an non Ethnicos supergressi sint, id uero perquirere iam supersedeo, saltem hoc negandum non est, hos Christianos, qui nodum in scirpo quaerebant, nec aliorum tam mores, aut crimina, quam errores, eosque leuissimos, nec raro malitiose ac pro arbitrio fictos et excogitatos, accusabant, aut, ubi altissimum erat otium, ibi insidias, hostes, bella, conclamabant, non magni tantum ingenii homines et honestos, uerum pietate quoque ac zelo ardentes, habitos fuisse. Per hanc ergo Christianam charitatem, pietatem et moderatam prudentiam theologicam, omnibus hisce

1) supra. pag. 45 et 46.

Digitized by Google

hiſce malis medelam parari poſſe, exiſtimabat, ſi ageret cum hominibus infirmis et a uera Religione Chriſtiana alienis, prout ratio Chriſtianiſmi et Spiritus manſuetudinis illud exigunt, quo omnibus omnia fiamus, ut omnino aliquos ſeruemus, ſecundum Paulum. [1])

Plura hic proferre poſſem, ſed, cum ſupra [2]) pluribus ea res ſit pertractata, remitto ad ea Lectorem.

At, qualem accepiſti mercedem, MAGNE GROTI, pro ſuſceptis tuis Theologicis et Irenicis laboribus, apud *Clerum?* Tuos, pro communi Eccleſiae bono, labores, tam utiles et ſalutares, cum hos laudare debuiſſent, criminari et haereſeos inſimulare publice maluerunt. Hinc enim iſti clamores ſunt Theologorum, dictitantium, *Nouum monſtrum*, quod *Remonſtrantibus*, *Pelagianis*, *Socinianis*, *Pontificiis*, immo, *Iudaeis* ipſis, aſtipulatum ſit, item, totum illum GROTIVM fuiſſe deditum infelici Pacis Eccleſiaſticae ſtudio, idque maxime eſſe dolendum. Quaſi uero id uoti genus, ſtudiumque illud, non eſſet laudandum, ut ueritatis et pacis amore omnes tandem coniungeremur, et in ouile unum, ſub uno [3]) paſtore, Chriſto, congregaremur. At iſtis intem-

1) 1 Cor. IX, 22. 2) pag. 38, ſeq. et in primis p. 46, multis ſeqq.
3) ſupra, pag. 508, et p. 511.

Digitized by Google

peſtiuis clamoribus ſuis popelli gratiam captare hi ſtentores, ſibique ad famam, et, quod fama illis antiquius eſt, ad opima Sacerdotia, uiam munire, conantur. Nam, quo quiſque inſenſior tibi ac maledicentior erat, eo fere diligentius ſtudioſiuſque munere ſuo uidebatur fungi. Apparet ergo, quam male opera GROTII, in conciliandis partibus litigantibus, ex ſerio Pacis deſiderio, impenſa ab ipſo, illi ſit compenſata. Cum enim ita ſe gereret GROTIVS, ut parti neutri eſſet addictus, et, Eccleſiam Chriſti in pace atque concordia, quam haereſibus dilaceratam, uidere mallet, rixoſa pars exoſa fuerit ipſi, oportet.

Pacem fucatam et fallacem Eccleſiaſticam etc. inquit *Riuetus*. Quaſi fallacem Concordiam et Pacem Eccleſiae GROTIVS propoſuerit, nec ueram Pacem, in utilitatem Eccleſiae, optauerit, id quod calumnias et aperta mendacia ſapit. Serio enim contendebat GROTIVS, Chriſtianos in uniuerſum coniunctos uidere. Hinc inter alia, ad *Ioann. Duraeum* ſic ſcribebat.

Semper in uotis habui, nec habere deſinam, ut communiones, qui a Papa Romano, grauiſſimis de cauſis, ſeſe ſeparārunt, in animis ſuis, per certos teſtes, arctius coniungantur.

Alii paulo mitius iudicium ferre maluerunt eique

Digitized by Google

eique Religionem tribuerunt Prudentum, quam inde GROTIANAM dixerunt. Plurimi conquesti sunt, Se nescire, cui Sectae iungendus sit, cum certe unaquaeque, tam prudentem et ILLVSTREM VIRVM sibi vindicare, optet. Ideo eundem *Nouum*, ut paulo ante dixi, uocarunt *Monstrum*, quod *Remonstrantibus*, *Pelagianis*, *Socinianis*, *Pontificiis*, immo, *Iudaeis* ipsis, sit astipulatum.

Atque hi fere sunt usitatiores modi, quibus calumniatores utuntur. Nam omnes quis enumeret. Monstrum est calumnia, cui mille figurae, mille sunt artes nocendi. At illorum quidem plane ferendi mores non sunt, qui *Atheismum* ei, aut, si quod crimen grauius, aspergere non erubescunt. Poterat fortasse ferri, *Iudaizantem*, *Socinianum*, *Arminianumue*, GROTIVM appellari, poterat condonari, *Syncretistam* uocari, Codicis S. *corruptorem* nominari, et si qua alia monstra sunt appellationum, quibus VIRVM HVNC SVMMVM commaculare passim sunt ausi, uerum, inter *Atheos* eundem referri, impium est impiorum crimen, probis omnibus improbandum. Certe, post mortem EIVS, *Atheismi* aperte reus est factus, licet non modo Scripta eius, cum alia, tum speciatim incomparabilis eius Liber, *de Veritate Religionis Christianae*, alia omnia contestentur. Ego sane nulla Atheismi uestigia in

Digitized by Google

GROTII seu Vita, seu scriptis, deprehendere potui, et, nisi fallor, etiam HIC VIR EXIMIVS illorum adaugebit numerum, qui, praeter omnem culpam suam, in *Atheismi* suspicionem apud alios incurrerunt. Sed, neque de his, neque aliis, VIRI SVMMI rebus plura loquar. Quisquis eius dotes, cum primisque incomparabilem eius eruditionem, quam ne ex acerrimis quidem eius aduersariis ipsi denegat ullus, cognoscere cupit, Scripta eius euoluat. Indoctis quoque noti sunt eius, quos modo laudaui, Libri *de Religione*[1] *Christiana*, qui, *Latine* scripti primum, *Germanice* post, *Anglice*, *Belgice*, *Gallice*, immo, etiam *Graece*, *Arabice*, *Malabarice*, redditi, ante oculos uersantur, et a nemine sine fructu leguntur. Quo minor causa fuit *Aegidio Menagio*, cur VIRVM hunc nullius plane esse duceret religionis, *id* quod in subsequentibus ingeniosis potius, quam Christianis, *Versibus*, haud obscure indicauit.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Pylos, Argos, Athenae,
Siderei certant uatis de patria Homeri.
GROTIADAE *certant de relligione, Socinus,*
Arius, Arminius, Caluinus, Roma, Lutherus.

Gisb. Voetius hominem eum uocat, *dubiae, aut uariatae, Religionis.* *Ioannes Mullerus*, in Libro de *Atheismo*, odiose nimis de ipso scribit,

Eum,

1) supra, pag. 199.

Digitized by Google

Eum, in Commentario ſuo ſuper Prophetas,[1] *Iudaizare nimis, et, ſi uixiſſet, Turcam euaſurum.*

Si hoc alicuius artis eſt, noua nomina, nouaſque haereſes affingere, uel quiuis audaculus et ſciolus idem praeſtare poſſet. *Andreas Riuetus,* inhumanius paulo in haec erumpit uerba,

Magnus ille HVGO, *magnus Nugo.*

Immo, malitia et inuidia in EXCELLENTIS VIRI dotes ita ſaeuit, ut, uelut a daemone obſeſſi, exclamarent, *In daemonio iſtius Viri daemoniacum quid latitare.* Quae calumniae partim diabolicum quid prae ſe ferunt, partim, ut opinor, eo tendunt, ne Scripta eius, cedro digna, legantur, quibus tamen inania, quae imputantur ipſi, dogmata funditus euertuntur. Sed fatum illud eſſe ſolet illorum, qui medii eſſe cupiunt, quibus tamen id minime imputandum, ſed furori concertantium, qui ferre non poſſunt, quos non in omnibus ſecum habent conſentientes. Miſeri *igitur* ſunt moderati illi Viri, non per ſuam culpam, ſed per improbitatem iſtorum ac petulantiam, qui, ſub zeli clypeo latitantes, impune in quoſuis, ſiue nocentes ſint, ſiue innocentes, graſſantur. Sed, ignoſcat iis DEVS, quod unum ipſis imprecor, melioreſque cogitationes iniiciat animis eorum, ut ueritas, pacis amor, et multorum improbitate depreſſa uirtus, innocentiaeque

1) ſupra, p. 504.

Digitized by Google

defenſio intercluſa, uel tandem emergant. Maneat ergo MAGNO GROTIO ſua laus illibata, quam nulla unquam uetuſtas delebit, nulla obliuio offuſcabit, neque moroſum illud genus hominum, qui, ambitioni ſuae, crudelitati et odio diriſſimo, feruoris pii ſpeciem obtendentes, in omnes, ab ſe diſſentientes, impotenti quodam animi affectu, in tranſuerſum acti, ſaeuiunt, nihilque omnino rectum putant, niſi, quod conueniens eſt moribus illorum. Qui, cum plerunque ineptiſſimi ſint mortalium, rerumque ignari omnium, foediſſimarumque ſuarum ſerui cupiditatum, magno tamen ſupercilio in quoſcunque uiros doctos cenſuram exercent, haereſeoſque notam iis inurunt, qui illorum non uenerantur placita, eo, quod, ſe diuinitus inſpiratos, credunt. De hiſce igitur pronuntio, eos ne dignos quidem eſſe, qui cum GROTIO comparentur, nedum, qui tribunal in orbe literato conſcendant, ſententiamque, aut in GROTIVM, aut in uiros alios, eodem ingenio, iiſdemque moribus et dotibus, praeditos, fatiſque ſimilibus obrutos, ferant.

A litibus utique abhorruit GROTIVS, cupiens optanſque, controuerſias a ſuggeſto arceri, ut Eccleſiarum Chriſtianarum unitas conſtitueretur.

Digitized by Google

tur. Non male. Moderatum ergo eius pacisque amans ingenium, iure laudatur. Etiam hoc bene recteque. Laudanda enim utique sunt eiusmodi ingenia. Hanc moderationem, a uirtute profectam, credas. Ex indole atque genio haec GROTII fluxit. *Oeconomiam*, formam et disciplinam, Ecclesiarum optime per Episcopos dirigi posse, putabat, Episcoporum, perspiciebat, uitae genus et characteres morum in Codice S. plus satis esse delineatos. Videbat, Episcopos, maximam partem, in orbe Christiano, in *Anglia, Suecia, Dania, Gallia, Bohemia, Hungaria*, in *Graecia* item, in *Russia* et *orientali Ecclesia*, introductos esse, colligebatque, hanc formam Ecclesiae esse perutilem, sic tamen, ut alias Ecclesias, quibus Episcopi praesunt nulli, hanc ob causam non reiiceret, easue unico subiiceret Episcopo. Priori sane sententiae libens subscribebat, id quod Clar. *Ioannes Clericus* hisce confirmat uerbis.

Qu'a l'egard de la discipline ecclesiastique, l'Episcopale sans tyrannie est la plus ancienne, et qu'il seroit a souhaiter qu'elle fut par tout etablié. Mais qu'on ne doit pas causer des seditions et du tumulte, ni damner ceux, qui suiuent une autre forme de gouuernement, parcequ' ils n'ont pas pu mieux faire. Que c'a ete le sentiment de GROTIVS. *Et qu'il*

Digitized by Google

ſeroit dont a ſouhaiter, que l'on impoſat a perſonne, que ce qu'il trouue dans le nouueau teſtament et qui a touiours eté cru puis, qu'il n'y a point d'autre moyen d'etablir la paix, parmy le Chretiens, que celui la.

Epiſcopalem *Oeconomiam*, ipſoſque Epiſcopos, [1]) quo loco numeroque habuerit, ex inſequentibus, iam iterum repetendis, eius Epiſtolis clarius liquet.

[2]) *Ceterum, ni fallor*, longe maioribus ac ualidioribus fundamentis inaedificata eſt Epiſcopalis eminentia, *ut Eccleſiis primum ſingulis ex uno duce unitas conſtaret, deinde et plures ſimul inter ſe, Epiſcoporum conuentu, aut certe conſenſu, colligerentur, ipſum denique illud corpus, per totum terrarum orbem diffuſum, formatarum commercio cohaereret, non alia in re magis admiraculum uſque ſe exerente Chriſtianorum ueterum prudentia, cui poſt* DEVM *immortalem acceptum ferendum eſt, quod Eccleſia adhuc aliquid ſui uultus retinet.*

[3]) *Sed, heus, mi Senex, cur ego* de defenſo Epiſcoporum Iure *contra Loioliticas molitiones nihil ex te? Cur, me, quis Petrus ſit Aurelius, ignorare, pateris? Vtinam et opus ipſum uideam.* Scis enim, fauere me priſcae Eccleſiae gubernationi, *nec amare*

1) ſupra, p. 508. 2) Ep. CXLVIII, ad Ioann. Cordeſium.
3) Ep. CXLIV, ad eund.

Digitized by Google

amare tot laxationes moris antiqui, quas dispensationum, et exemptionum, et, nescio, quibus non, nominibus nouis res nouas appellant.

[1]) *Episcopalis functio* tanti semper priuilegii in Ecclesia *fuit, etc.* Et, paulo ante. *Hac de re, si antiquitatem sequimur res est expedita. Nam, ista facere, est, Episcopi, aut eorum, quibus id Episcopus, conscio, ut mos antiquus habet, Presbyterio, permisit.*

[2]) *Vides, quid sit, Regis aures animumque illis tradidisse, qui gloriae sibi ducunt*, Episcoporum Iura minuere.

[3]) *Sicut autem* immanis est *Iesuitarum, in illis scriptis*, irreuerentia *in Galliae* Episcopos, *in Theologos Sorbonicos etc.*

[4]) *Nunc palam est, eo haec tendere, ut*, sublata Episcoporum necessitate *unus uere sit Episcopus Romanus Pontifex, qui ceteris omnibus, etiam non Episcopis, tantum largiatur, quantum ipsis placet*, quae haud dubie euersio est canonum et regiminis Ecclesiastici, cui, in membris singulis, praeest Episcopus, *uniuersitati Episcoporum conuentus.*

Speciatim *Britannica* Ecclesia GROTIO magnopere placebat, id quod non modo elucet ex eo, quod superius, [5]) de *Arminianorum* doctrina, copiose

1) Ep. CLIV, ad Ioann. Cordes. 2) Ep. CXLVIII, ad eund.
3) Ep. CLIV, ad eund. 4) Ep. CXX, ad Claud. Sarrau.
5) pag. 112, p. 114, et 115.

Digitized by Google

pioſe indicatum eſt, ſed etiam ex Dedicatione Libri *de Veritate Religionis Chriſtianae*, quam *Ioannes Clericus*, ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſcripſit, cuius, inter alia, haec ſunt uerba.

Cum recuderetur opus aureum ſummi Viri, HVGONIS GROTII, *de* Veritate Religionis Chriſtianae, *cui non nulla mea adiungenda uiſa ſunt, ad quae accedunt Teſtimonia, ex quibus, quam optime* GROTIVM *de Eccleſia Anglicana ſenſiſſe, liquet, etc.*

Et, in Bibliotheca Selecta,[1] addit ſqq.

Dans le tems, que ie penſois a ce que l'on uient de lire Mr. Neuton, *Enuoye Extraordinaire de Sa Maieſte Britannique, ches S. A. R. legrand Duc de* Toſcane, *m'a fait tenir des preuues, qu'il auoit ramaſſées, pour montrer, que* GROTIVS *approuuoit extremement la diſcipline et la liturgie de l'egliſe Anglicane, et qu'il recommenda a ſa ueuue, auant que de mourir, de ſe ioindre a cette egliſe. Comme elle le fit en ſuite a* Paris, *dans la chapelle de l'Ambaſſadeur d'*Angleterre. *On trouuera cela dans trois lettres, qui ſont a la fin de ce Liure de la Verité de Religion Chretienne.*

Idem, in Epiſtola ad Lectorem, in H. GROTII Librum de Veritate Religionis Chriſt.

Viſus mihi ſum omnibus, GROTIANI *nominis aman-*

1) Art. VI, p. 243, ad A. CIↃIↃCCIX.

Digitized by Google

amantibus, rem gratam, nec parum Eccleſiae Anglicanae honorificam, facturus, ſi eas Epiſtolas ſqq. hic ederem. Ex iis certe conſtare poteſt, SVMMVM VIRVM *quam optime ſenſiſſe de Eccleſia Anglicana, et in illa, ſi licuiſſet, libentiſſime uicturum fuiſſe. Iis ergo, Candide Lector, fruere,* DEQVE VIRO, QVI TAM BENE DE REPVBLICA CHRISTIANA MERITVS EST, BENE SENTIRE PERGE. *Vale.*

I.

HENRICVS DE NOVA VILLA (NEVVTON)
PETRO HIERON. BARCELLINO,
ABBATI S. EVSEBII DE VRBE,
S. D.

Florentiam Liburno Piſiſque, ubi febrim paene ex aeris intemperie contraxeram, ſanus ſaluuſque tandem reuerſus, nihil prius habui, Optime Barcelline, *ampliſſima Illuſtriſſ.* Magliabechii *Bibliotheca inſtructus, quam meam de* SVMMO VIRO, HVGONE GROTIO, *fidem liberare, et ex Scriptis eius, praeſertimque Literis, ubi ueritas, ubi candor, ubi animi ſimplicitas, ac intimi mentis ſenſus, reteguntur, oſtendere, quam magnifice, omni uitae tempore et paullo ante obitum, cum illi mors et immortalitas in conſpectu eſſent, de nobis ſenſerit ſcripſeritque. Noui, quid de eo dixerint, ſui ordinis princeps,* Petauius, Brietius, Valeſiuſque, *et tot alii Veſtrae Communionis celeberrimi Viri, qui bene uolebant fauebant-*

Digitized by Google

uebantque VIRO, BONO CHRISTIANITATIS COMMVNI NATO. *Notum quoque uniuersis, quanta et in Patria, et in Exilio, postquam etiam ad gradum sublimiorem, apud Exteros, euectus fuerat, a* Caluini *sectatoribus in bonis, dignitate ac fama, perpessus fuerit, et quantum denique controuersiarum aestus (dum paci in Republica et inter Ecclesias procurandae unice mentem intendebat, quod multis, quam mirandum, quam dolendum? displicuit) indolem alias pacificam ac modestam, cum, se modis indignis a suis tractari, uideret, transuersam egerit,* MITIQVE SAPIENTIAE, QVAE ILLI A NATVRA IVDICIOQVE INERAT, INTERDVM PRAEVALVERIT. *Attamen haec non impediuere, quominus ita de* PATRE SVO *magnus quoque filius* Carolo II, Magnae Britanniae, cui opera patris dicauit, *maximo Regi, simulque omnibus dixerit ea, quae mox subiiciam, cum nullas adulandi, aut metuendi, causas haberet, quippe in Republica partes aduersas filio sororis* Caroli *secutus, cumque iam priuatus esset, rustico ac literato otio conditus, senex, et morti, ideoque libertati, uicinus. Patris enim Opera edidit, edita non uidit, et uita eius una cum uita parentis, eodem uolumine, cernitur legicurque.* Tu enim, *inquit Petr. Grotius,* inter omnes Reges unus ille es, quem Protectorem suum pars Christiani Orbis, si non maior, sanior certe,

Digitized by Google

certe, iamdiu agnoſcit. Tu idem ille, cuius ſe *Fidei* ac *Defenſioni* ipſa Fides Chriſtiana non inuita ſubiecit, cuius potiſſimum in regnis, is ſacrarum litterarum intellectus, is DIVINI NVMINIS cultus, is, in exercenda nimia illa diſputandi de arcanis fidei dogmatibus licentia recepta, eſt modus, QVIBVSCVM CONVENIRE SE, AVTOR IDEM ET PARENS MEVS IAM PRIDEM TESTATVS ET PVBLICE SCRIPTIS HIS PROFESSVS EST.

Nunc ipſum audi H. GROTIVM, *ſua uerba loquentem, ſuos ita exprimentem ſenſus, in Epiſtola*, Pariſiis, A. CIↃIↃCXXXVIII, ad Ioann. Coruinum, *data, non* Anglum, *ſed* Batauum *alius Eccleſiae Theologum et itidem Iuriſconſultum, adeoque rerum diuinarum humanarumque ſcientem, de Reformatione Religionis, apud noſtros, ſuperiore ſeculo facta.* In *Anglia*, uides, quam bene proceſſerit dogmatum noxiorum repurgatio, hac maxime de cauſa, quod, qui id SANCTISSIMVM NEGOTIVM procurandum ſuſcepere, nihil admiſerint noui, nihil ſui, ſed ad meliora ſecula intentam habuere oculorum aciem. *Tunc illa etiamnum florebat, nondum coorto bello ciuili, nec Rege debellato, aut captiuo, nedum damnato et ſecuri percuſſo. Ea demum, contra ſpem omnem humanam, reducto in ſolium auitum Filio, obſtupeſcente Europa, denuo refloruit et quaſi renata eſt, ac deinde, poſt uarios caſus,*

Digitized by Google

casus, minas metusque, adhuc illaesa et secura manet uigetque.

Neque tantum sentiebat ipse bene de Ecclesia Anglicana, sed etiam amicis praecepit, *qui a suis partibus erant in* Batauia, *et, quod non minimum periculorum damnorumque communione coniuncti, ut ordines sacros ab Episcopis nostris susciperent, quos certe non eo nomine Schismaticos, non Haereticos, esse, credidit, aut, ab aliis credi, uoluit. His igitur uerbis Fratrem compellat.* SVADEREM IIS (scilicet Remonstrantibus) VT CONSTITVERENT INTER SE QVOSDAM IN EMINENTIORI GRADV, VT EPISCOPOS, ET VT HI χειροθεσίαν SVMERENT AB ARCHIEPISCOPO HIBERNO, QVI IBI EST, ET, ITA ORDINATI, ORDINARENT DEINDE PASTORES CETEROS, *etc. Et, hoc ineunte* A. CIↃIↃCXLV, *qui illi fatalis erat, adeoque et literis ipsis admodum infelix. Episcopus, de quo loquitur, erat, ni fallor,* Ioannes Bramhallus, *tunc temporis, apud* Hibernos, *Episcopus Derrensis, et, restituto in regna* Carolo II, *Archiepiscopus Armachanus, ac proximus eruditissimo* Usserio, Hiberniae *Primati, quique postea, iisdem in terris, Ecclesiae nostrae Vindicias in* Mileterium *edidit. Vide etiam, quid, de publico* DEI *apud nos cultu,* VIII *Aprilis,* A. CIↃIↃCXLV, *eidem dixerit.* LITVRGIA ANGLICANA, AB ERVDITIS OMNIBVS, HABITA SEMPER EST OPTIMA.

Vide-

Digitized by Google

Videtur admodum probabile, HVNC VIRVM, *qui Reformationem Anglicanam* SANCTISSIMVM NEGOTIVM *uocat, qui, datos ſuſceptoſque ab Epiſcopis eiuſdem Eccleſiae, ſacros ordines et in* Anglia *ſtatos ſacrorum ritus, praeceptaſque publice* SVMMVM NVMEN *adorandi formulas, cunctis ceterarum in orbe Chriſtiano Eccleſiarum praeſtare, credidit,* VOLVISSE SE EI ECCLESIAE ADIVNGERE, VT ANIMI SENSV, ITA ET EXTERNO CVLTV, ET SIC DEMVM, VT VOTO ANTEA, SIC RE IPSA, MEMBRVM FIERI ECCLESIAE CATHOLICAE. *Verum, rem effectam dare non potuit, quia paulo poſt uenit ei ſumma dies. Eodem quippe anno, e Gallia* Holmiam *delatus eſt,* LEGATIONEM RENVNTIATVRVS, *atque inde domum rediens et naufragium paſſus,* XXVIII *Auguſti, uita* Roſtochii *exceſſit,* NVNQVAM SATIS DEFLENDVS, CVM, QVOD VITAE EIVS DECESSIT, DECESSERIT ETIAM STVDIIS LITERISQVE, NEC VNQVAM SATIS LAVDANDVS, OB EA, QVAE, IN OMNI LITERARVM GENERE, INCEPIT PERFECITQVE, *Pacis, illaeſa Veritate, habita temporum et diſſidiorum ratione, ueteriſque in Eccleſia regiminis, quod apud* Anglos *ab initio, et, ſi Eccleſiaſticis Annalibus fides, ab ipſo Apoſtolorum aeuo, obtinuit, abuſibus ubique ſublatis, amantiſſimus,* IMPERIORVM DENIQVE ECCLESIARVMQVE CONCORDIAE, QVA SERMONIBVS, QVA EXEMPLO, QVA SCRIPTIS, SEMPER STVDENS CONSVLENSQVE. *Sit apud* DEVM,

Digitized by Google

Dominum communem, ei ſua merces! SIT ET EIVS GRATA SEMPER APVD POSTEROS MEMORIA! *Vale.* Florentiae, XII Cal. Maias, CIↃIↃCCVI.

II.

HENRICVS DE VILLA NOVA
IOANNI CLERICO
S.

En nouum ampliſſimumque tibi, doctiſſime Clerice, *de* HVGONE GROTIO *teſtimonium affero, atque priore, ſi dignitas in Republica, aut rerum in Autore notitia, ſpectetur, ſiue etiam, quod,* GROTIO *adhuc ſuperſtite, ſcriptum fuerit, grauius. Deſumptum eſt e literis ad maximum Praeſulem,* Gulielmum Laudium, *tunc Archiepiſcopum Cantuarienſem, quo cum etiam litterarum commercium ſaepius habuit,* Pariſiis, XXIV *Octobris, ſtylo Gregoriano,* A. CIↃIↃCXXXVIII, *ſcriptis, quarum copia mihi nuper facta eſt ex* Anglia, *beneficio Illuſtriſſimi Viri, D.* Ioannis Sommeri, *ſummi olim florentiſſimi regni Cancellarii, tunc legum,* nunc ſtudiorum, praeſidis. In iis litteris, ſequentia de* GROTIO *habet Illuſtriſſimus* Vicecomes, Scudamorus, *eo tempore in Galliis noſtrae gentis legatus.*

„*Cum primum* LEGATVM GROTIVM *uidebo, non*
„*praetermittam id facere, quod mihi de illo man-*
„*daſti. Sane, Domine, perſuaſum mihi eſt, eum ex*
animo

* Hoc A. CIↃIↃCCIX Concilii Primati Sereniſſ. Reginae Praeſes factus eſt.

Digitized by Google

animo et uehementer amare, et reuereri te, et ra-" *tionem, qua te geris.* PROFITETVR, SE CORPORE" ET ANIMO FAVERE ECCLESIAE ANGLICANAE, ET" HOC FERT DE EA IVDICIVM, VIDERI ILLAM OMNI-" VM ECCLESIARVM, QVAE HODIE SVNT, MAXIME" PERENNATVRAM."

Cum uero ex Scriptis tuis abunde conſtet, non ſine noſtra quidem laude, neque maximo Exterorum emolumento, te optime quoque Anglicum callere ſermonem, ipſa nunc Scudamori *uerba, ad finem Epiſtolae, lubens ſubiiciam. Vale.* Genuae, XVII Cal. Febr. CIↃIↃCCVII.

The next time i ſee Embaſſador GROTIVS, i will not faile to perform your commandements concerning him. Certainly, Mylord, i am perſuaded that he doth unfeignedly and highly loue and reuerence your perſon and procedings. Body and ſoul he profeſſeth himſelf to be for the Church of England and giues this iugement of it, that it is the likelieſt, to laſt of any, Church this day in being.

III.

ALEXANDRO FORRESTERO
S. D.
FRANCISC. CHOLMONDELEIVS.

(Ex Anglica Lingua uerſa.)

Quod cupis ſcire de H. GROTIO, MAXIMO PROPE-

Digitized by Google

MODVM VIRO OMNIVM, QVOS VNQVAM VLLA TVLERIT AETAS, *sic habe. Contigit, me* LVTETIAM *uenire, paulo post rem transactam. Cum uero notissimus essem D.* Crowdero, SAEPE MIHI CONFIDENTER DIXIT, FVISSE HOC VLTIMVM MONITVM, QVOD MAGNVS ILLE VIR VXORI DEDIT, *sicut, suis officii esse, credidit,* VT, EVM MORI IN COMMVNIONE ECCLESIAE ANGLICANAE, DECLARARET, IN QVA ECCLESIA OPTABAT ET IPSAM VIVERE. HOC IPSA APERVIT, CVM, DATA OPERA, VENISSET AD NOSTRAM ECCLESIAM (*quae erat in aedibus* Ricardi Brownii, *qui tunc in* Gallia *erat nomine Regis* Angliae) VBI E MANV D. CROVVDERI, *Cappellani eo tempore Ducis Eboracensis*, COENAE DOMINICAE SACRAMENTVM ACCEPIT. FACTVM HOC EST STATIM POST MORTEM EIVS VIRI, *quam primum per ipsius rationes licuit. Archiepiscopus* Bramhallus, *Hiberniae Primas, in defensione sui ipsius et Episcopalis Cleri, contra* Ricardi Baxteri, *Presbyterani, accusationem Papismi, ita de* GROTII *Religione loquitur,* p. 21, ILLE AFFECTV ERAT AMICVS, ET DESIDERIO VERVS FILIVS, ECCLESIAE ANGLICANAE, QVAM VXORI SVAE ET ALIIS AMICIS LAVDAVERAT, AVTORQVE FVERAT, VT EI FIRMITER ADHAERERENT, QVATENVS EIS OPPORTVNVM ESSET. EGO IPSE ET ALII MVLTI VIDIMVS EIVS VXOREM, MANDATIS VIRI PARENTEM, QVOD PALAM ILLA TESTABATVR, SAEPE AD PRECES NOSTRAS ET SACRAMENTORVM CELEBRATIONEM VENIENTEM. *Cum* Matthias Turnerus

Digitized by Google

rius, *summus* GROTII *amicus, cuperet scire, cur ipse non adiret communionem Ecclesiae Anglicanae, respondit, Se libenter id facturum fuisse, nisi ratio muneris* LEGATI *Sueciae obstaret. Ceteroqui* VEHEMENTER PROBAT DOCTRINAM ET DISCIPLINAM NOSTRAM, ET IN NOSTRA COMMVNIONE OPTABAT VIVERE ET MORI. *Si quis putet, se melius nosse mentem* GROTII, *ex coniectura et consectariis, quam ipsum, aut, dissimulasse eum, apud uxorem et liberos, fruatur sua ipsius opinione, sed non multos habebit ipsi assentientes. Vale.* E Valle Regia, XXIII Iunii, CIↃIↃCCVII.

Ex aliis eiusdem literis, datis VI Octobr. CIↃIↃCCVII.

Nuper tibi narraui plenius, quod noram de uidua MAGNI ILLIVS VIRI, HVGONIS GROTII. *Deinde in memoriam reuocaui pium illum et bonum prorsus uirum,* Spencerum, Comptonium *Equitem,* Comitis Northamptoniae *filium, mihi narrasse,* SE PRAESENTEM AFFVISSE, CVM VIDVA GROTII HOC PROFESSA EST ET SACRAMENTVM ACCEPIT.

Loquitur de hac re *Ioann. Clericus* copiosius, in sua Bibliotheca, sequentem in modum.

On a pris soin des' informer, de ceux, qui restent de cette famille en Hollande, *ou qui la connoissent le mieux touchant cette particularité. Mais comme ceux, qui en pourroient sauoir quelque chose,*

Digitized by Google

ſont morts, on n'a pu auoir aucunes lumieres la deſſus. Cependant on ne trouue rien dans ce fait, qui ſoit oppoſé a aucun autre, dont la uerité ſoit aſſeurée de ſorte, que l'on a ſuiet de croire, que ce qui eſt raconté, dans la derniere de ces lettres, touchant la ueuue de GROTIVS *eſt ueritable, ce qui eſt d'autant plus croyable, que cela ſ' accorde a ce que* GROTIVS *lui meme diſoit et ecriuoit a ſes amis, touchant l'egliſe Anglicane, comme on le uerra dans le deux premiers letres. On peut uoir par la a quelle Egliſe* GROTIVS *ſe ſeroit ioint, ſi cela lui auoit eté libre, ou ils' eut pu aller en* Angleterre. *Pour ſa ueuue, elle a uecu et eſt morte dans la communion de l'egliſe Remontrante a la* Haye, *ſans negliger pour cela les derniers ordres de ſon epoux. Puis que le Remontrans ne regardent pas l'egliſe Anglicane, comme une Egliſe, auec la quelle ils ne puiſſent pas communier. Mais plutot comme l'un des membres les plus conſiderables du corps ſpirituel d' un chef, qui auant toutes choſes nous a recommendé la charité et la paix.*

Liberos, diſcedens, quatuor, filios tres, *Cornelium*, *Petrum* et *Didericum*, filiam uero unicam, reliquit. Ex filiis *Cornelius*, natu maximus, et *Didericus*, natu minimus, ambo coelibes obierunt. Filiae nomen *Cornelia* fuit, cui ſoror *ἀνώνυμος*, *Lutetiae Pariſiorum*, ante Patris in urbem ingreſ-

Digitized by Google

ingreſſum, mortua, debet accenſeri. De reliquis liberis ſequentem in modum loquitur *Maurerius*, in Memoriis ſuis.

Le Premier, Cornelius, *qui fut quelque tems attaché au Chancellier* Oxenſtirn, *etoit aſſes bon Poete Latin*, (*complura eaque haud inuenuſta Poemata in* Vincentii Fabricii *Poematiis occurrunt, itemque*, Opitii *Syluarum Libro I, Carmen illud ad* Cornelium GROTIVM, *p. 19, ſeq.*) *mais il etoit pareſſeux et aimoit les plaiſir.*

Le troiſieme Dieteric, dit il, *auoir eté nourri page ches Mr. le Duc* Bernard de VVeimar, *et fut depuis ſon ayde de camp, bien fait de ſa perſonne et en reputation de bon homme de guerre, ayant eu un grand Maitre de ce metier la. Lui et ſon frere l'aîné, lors que la Reyne* Chriſtine *eut quitté ſa couronne en faueur de Mr. le Prince* Palatin, *qui etoit le feu Roy* Charle Guſtaue, *pere du Roy de* Suede *d'apreſent, ſ' acheminerent tous deux uers ce Prince, qui auoit fort connu et eſtimé leur Pere en* France, *en intention de lui offrir leur ſeruice et d'obtenir quelque employ. Etant donc partis* d'Hollande *a ce deſſein, quand ils furent a la moitie du chemin de* Hamburg *entre* Emden *et* Bremen. *Vn malheureux ualet, qui auoit ſerui le ſecond pluſieurs années tenté par l'argent, qu'il leur auoit ueu,*

Digitized by Google

resolut de les tuer tous deux. Dabord il entra demit dans la Chambre du puiné. Car en ce pais froid il n'y a dans les hotelleries, que de petites cellules ou il n'ya qu'un lit, pour etre plus chaudement et tua son maitre d'un coup de Pistolet etant endormi, et auec un autre pistolet, s'en alloit traitter l'autre de meme, que son cadet. Mais par bonheur pour lui, il ne dormoit pas et composé quelque Epigramme Latine. Si tot qu'il entendit tirer pres de lui, il se saisit d'un pistolet, qu'il auoit sur un chaise pres de son lit, et l'ayant bandé et uoyant le meurtier uenir a lui tout doucement tete baissée, car il faisoit clair de lune, sans lui donner le loisir de l'approcher trop prets il le tira le premier et l'entendit dans la place. A ce bruit, tout le monde de l'hotterie s'etant eueillé, on saisit ce scelerat, qui etoit fort blessé, et qui fut supplicié sur les lieux.

Filia [1] *Cornelia*, Patri superstes, nupsit *Ioanni Barthoni*, Vicecomiti de *Mombas*, primariae apud *Pictones* Nobilitatis, et illustrissimis *Galliae* familiis innexo. Hic, a prima inde adolescentia, more Gallicae Nobilitatis, nomen suum militiae dedit, et, post uarios, gestos in patria, honores ac dignitates, tandem ad Tribunatum equestrem euectus, in gratiam uxoris, aerem Gallicum non ferentis, in *Hollandiam* cum ea remigra-

1) Anonym. Belg. in Vita H. GROTII.

Digitized by Google

migrauit, ubi uir, ingenio pollens, manu ſtrenuus, rei militaris longa experientia ſubactus, inter primos equitum Magiſtros aſcitus, ad maiores dignitates aſſurgebat, ſed, incertum, ſuo, an eius, cui ſe per matrimonium innexuerat, familiae, fato, captus, damnatus, uix difficili fuga, capitali ſe periculo, A. CIↃIↃCLXXII, ſubduxit.

Petrus Grotius, eiuſdem HVGONIS noſtri *filius ſecundus*, patriae ſuae luctuoſo funere, ereptus, apud bonos triſte ſui deſiderium reliquit. Hunc Parens, a teneris, patriae ſuae ac togae dicauerat, ut gentis ſuae moribus ac genio imbueretur, eumque in *Hollandiam*, A. CIↃIↃCXXIX, miſit, ubi, ſub *Theodoro Schreuelio*, Scholae *Lugdunenſis* Rectore, ſuorum fundamenta ſtudiorum iecit, adultiorque factus, in Philoſophia *Caſparum Barlaeum*, in Hiſtoria et Politica *Gerardum Voſſium*, patrem, in Iuriſprudentia *Ioannem Coruinum*, audiuit. Poſt haec, A. CIↃIↃCXXXVII, omnigena eruditione inſtructus, in *Galliam*, ad patrem, reuertit, ubi, non tam annis, quam praecoci ingenio ac iudicio, rebus agendis maturior, non inutilem ſaepe operam Parenti praeſtitit, tam in uiſitandis amicis et expiſcandis Aulae arcanis, quam componendis Legationis literis, cum temporis anguſtia, aut abſentia id exigeret Patris. Anno ſequente, in patriam reuerſus, aliquandiu

Digitized by Google

rebus forensibus animum admouit, publicis tamen commodis, quam priuatis, inseruire propensiorem. Sed nulla spes erat, ut ad Reipublicae clauum tantae stirpis patritius iuuenis admitteretur ab iis, qui PARENTEM, VIRVM INTEGERRIMVM, ad perpetuos carceres damnauerant. Iccirco uitam priuatam egit, donec, Pace *Monasterienſi*, restitutus in *Palatinatum* suum Sereniſſimus et Sapientiſſimus Princeps, *Carolus Ludouicus*, S. R. I. Princeps Elector, hoc Viro uoluit uti, qui res suas apud Praepotentes *Foederati Belgii* Proceres administraret. Cum paulatim in patria uerteretur rerum facies, tandem, A. CIↃIↃCLX, oblatam sibi *Assessuram Ciuitatis Amstelodamensis*, septem annos, summa fide et industria, gessit. A. LXVIII ab OO. FF. Legatus ad Reges septentrionis missus, primum *Hafniam* accessit. Postquam Ordinum mandata esset executus, ab *Daniarum* Rege, *Friderico III*, exceptus benigniſſime et dimissus, *Holmiam* peruenit. Hic, a *Carolo XI*, et uniuerso Regni Senatu, magno in honore habitus, ultra annum permansit, cum, mortuo in *Gallia* Legato, *Guilielmo Boreelio*, ad Christianiſſimum Regem ab Ordinibus Delegatus, domum reuocaretur, ubi *Assessuram Ciuitatis Roterodamensis*, paternam olim prouinciam, ab Rectoribus eius urbis oblatam, susceperit. Legatio-

gationes omnes, praecipue Gallicam, ſummo labore, ſumma induſtria et mirifica uigilantia, non ſine magno Foederatorum Procerum applauſu, obiuit, quippe quibus ſpectata erat fides eius et ſedulitas, hoſtium arcana, et inſidias uimque, quam in patriam molirentur, indagare ſagax, ac patriae Rectoribus ſignificare prompta. Tandem, in patriam reuerſus, et in Conuentum Foederatorum delegatus, ex eo honorum culmine, a fatali illo *Batauiae* turbine, quem plebs rabida et tumultuans conciuerat, deturbatus, et, cum optimis et ſapientiſſimis patriae Rectoribus, ſuis dignitatibus eſt exutus. Neque ſic ſatiatus eſt furor. Nam, uix elapſus manibus ſicariorum, qui pugiones in necem eius acuerant, amicorum conſilio, et circumſtrepentibus undique periculis, perſuaſus eſt, tempori cedere, et aliquandiu, donec iſtae remitterent turbae, patriam relinquere. Primum *Antuerpiam*, celeberrimam *Brabantiae* Ciuitatem, ſe contulit, et, non ſine ingenti uitae diſcrimine, uixit ſub praeſidio illuſtriſſimi Comitis, *Monteraei*, Regis *Hiſpaniarum* Gubernatoris, qui non ſemel ipſum monebat, ne, manendo diutius in urbe, *Hollandiae* tam uicina, irritaret animos eorum, qui in caedem eius coniurauerant. Itaque, ne ſe diutius aduerſariorum telis exponeret, primum *Leodium*,

Digitized by Google

um, inde *Aquisgranum*, postremo *Coloniam Agrippinam*, urbem non tantum natura, sed propter Legatos quoque Pacis, ibi negotia tractantes, tutissimam, profectus est. Vbi, partium arcana expiscando et perferendo ad Legatos Foederatorum, non inutilem patriae suae operam nauauit. Post exactum biennium, rediit, cum non pauci, furore paulatim deferuescente, ad rectam rationem ueritatemque oculos aperirent. Iam innocentia eius gaudebat uultum erectum et pectus, nullius flagitii conscium, aduersariis offerre, pertaesa etiam, more maleficorum, diutius extorris a patrio solo, de quo tam praeclare meruerat, fugitiuam degere uitam. Primo tranquille, nemine obstante, in uilla aetatem agebat, sed, cum se *Hagam* conferret, a Fisci procuratore accusatus, quod cum *Abrahamo Viquefortio*, Sereniſſimi Ducis Brunsuicensis ad Foederatos Proceres publico Ministro, literarum commercia habuisset, quodque detecta hostilium Legatorum secreta, de Pacis negotio, ad Legatos Foederatorum detulisset, sola iudicum integritate, uitam, famam, facultates, quibus simul inhiabant, conseruauit. Sic bona tandem causa triumphauit, ringente frustra plebe. Exinde, ne aduersarios ureret aspectu suo, migrauit cum familia in Villam, quam, non procul *Harlemo* sitam, habe-

Digitized by Google

habebat, ubi, liberos suos educando, optimos quosque Scriptores terendo, amicos excipiendo, *Scipionis Africani*, et illustrium aliquot Virorum exemplo, uitam nemini grauem, sibique nec iniucundam, nec indecoram, colere coepit. Cum sic, priuatus, quiete aetatem ac tranquille, ageret, morbo correptus, anno aetatis septuagesimo, constanti hilarique mortem uultu excepit, utpote, quae in stationem tutam deduceret Virum, inde a puero iam, plurimis uitae fortunaeque procellis agitatum. VBI LIVOR, QVI PASCITVR IN VIVIS, SESE CONSVMPSERIT, ET PARTIVM STVDIA DEFERBVERINT, HONORIBVS INTAMINATIS FVLGEBIT HVIVS VIRI DECVS, EIVSQVE VIRTVTES AC FACTA, quae summatim attigimus, POSTERORVM ANNALES LOQVENTVR. Iam uero, pauca quaedam de eius habitu corporis et mentis dotibus delibare, animus est. Corpore erat procero et obeso. Papulae, quas PARENS eius, ad *Beni. Aub. Maurerium* de nostro scribens,[1] ait, fuisse uelut abortiuum partum effoetae pestilitatis, faciem eius deformauerant, et alterum pedem ita contraxerant, ut totam uitam claudicaret. *Vlyssem*, ferunt, non formosum fuisse, sed facundum, et in *Periclis* labris Suadae Deam sessitauisse, quae uere in nostrum competebant. Animo erat aperto, moribus ingenuis, in prospe-

ris

1) supra, p. 255.

Digitized by Google

ris eius comitas, in aduersis constantia, in omnibus uitae actionibus intemerata fides, elucebant. Post Diuinam Legem, lex ei suprema erat Patriae Salus. De Republica bene mereri, amicos colere, inimicos beneficiis sibi deuincire, summa ipsi uoluptas et studium fuit. Verum de *Petri* huius *Grotii* uita, si DEO uisum fuerit, alio tempore opportunius commentandi locus erit.

De Vxoris GROTIANAE uirtute singulari mentionem iam *supra*[1] feci, quae item fuerit, et quam, sua sibi erga Maritum fide, nomen condiderit immortale. Habet de ea *Maurerius*, ratione prodigiosae ipsius staturae, non iniucundam narrationem, quam hic, sequentibus uerbis Gallicis legere, Lectorem non pigebit.

Elle etoit d'une grosseur prodigieuse, et a son suiet, il ne faut pas oublier de mettre icy une chose fort plaisante, que la reyne Mere, me dit un iour a S. Germain *a son diner, ou Madame la Comtesse de* Brassac, *sa Dame d'honneur, tante de Mr. le Duc de* Montauzier, *du nom de* St. Maure, *m'auoit mené. Qu'une fois, que Madame* Grotius *etoit assise au cercle (car elle y alloit quelques fois, quand son Mary fut Ambassadeur de* Suede.) *Mr. le Cardinal* de la Valette, *fendant la presse pour s'approcher et enuisa-*

1) supra, p. 208, seqq. et elogium eius pag. 213, 518, 519. 255, 256.

Digitized by Google

uiſageant de loin cette groſſe femme qu'il ne connoiſoit point, demanda a une Dame au Cercle a l'oreille, qui etoit cet Our aſſis aupres de la Reine. A quoi ayant repondu, c'eſt ma Mere, *Monſieur, car il ſ'etoit iuſtement addreſſé, a* Mademoiſelle de Groot, *nommé* Cornelia. *Confus de cette horrible me priſe, le uiſage plus rouge que ſon habit et tout grand qu'il etoit, il fit le plongeon dans le cercle et ſe retira auſſi tot hors de la, attendant, que le cercle fut leué, pour faire part de ſon auanture a la Reyne.*

Plinius ſcribit, *Omnes ſcire cupiunt, qualis fuerit aliquis.* Praeterquam enim, quod Phyſiognomi confirmant, naturam internos mentis animique, tum ad uirtutes, tum ad uitia, impetus, certis quibuſdam faciei lineamentis notiſque deſignaſſe, operae pretium eſſe uidetur, paulo fuſius deſcribere, et GROTIANI corporis habitum, et animi mores, et ingenii ſtudia. Tametſi enim EX VINDICIIS GROTIANIS, cui immoratus adhuc ſum, pleraeque uideantur intelligi poſſe, innumerabilia tamen ſuperſunt, quae luculentiorem EIVS Vitam reddant, quaeque, ab eruditis compluribus expetita cum fuerint, haud ingrata ſint iis futura.

Non parum SIMILIS, tum facie, tum membris, fuiſſe fertur GVSTAVO ADOLPHO, immortali *Sueonum*

Digitized by Google

num Regi, cuius Filiae quoque, *Chriſtinae*, a morte patris, LEGATVS fuit, a patre ipſo, iam olim, ad hoc munus deſtinatus.

Guſtauo, Regi omnem ſupergreſſo laudem, et, quem ipſi etiam hoſtes ſumma ſunt admiratione proſecuti, corpus erat bene firmum, magnae uires, par agilitas, artus probe compacti, laboris militaris tolerantia ſumma, ſingularis in actu quouis gratia decorque, facies candida, eximiam humanitatem, maieſtate temperatam, ſpirans, aſpicientibus reuerentiae non minus excitans, quam amoris, naſus leuiter gibboſus, oculi reſplendentes, licet minus acuti, frons lata, mentum anguſtius, quod perinde, ac labrum ſuperius, barba mediocri ueſtiebatur. Laudabiliores multo erant *Guſtaui* mentis animique dotes, in his animi magnitudo, liberalitas, affabilitas, miſericordia, mira praeterea ſagacitas, circa expediendas difficultates perſpicacia, in conſiliis promptitudo. Iuuenilibus annis, praeter Latinam, Gallicam quoque et Italicam didicerat linguam, Hiſtoriarum inſuper, ueterum et recentium, callens, aliarumque literarum, quantum Regi decorum, quibus naturalis plane ſuada accedebat, ſumma porro in DEVM pietas, et ſacrorum reuerentia, quod religioſae pietatis decus primo quidem loco memorandum erat, cum prae-

Digitized by Google

praeſertim, ſeriam fuiſſe pietatem eius, nec aurae populari captandae compoſitam, ex infinitis documentis, totoque uitae curriculo, cernere detur.

GROTIVS [1] forma corporis erat vulgarem non multum excedente, facie ſatis formoſa pulchraque, genis rubore temperatis, fronte ampla, capillitio fuſco, mento anguſto, quod labrum item ſuperius, decenti barba, coloris pariter fuſci, contegebatur, naſo in aquilinum uerſo, oculis ſcintillantibus, vultu ſereno, membris bene compactis et robuſtis, adeo, ut ambulando, currendo, ſaltando, in aetatis flore, uix quenquam parem SIBI reperiret. Solertia praeterea fuit incredibili, et, in literariis laboribus exhauriendis, [2] tolerantia prorſus inuicta. Praeter Belgicum ſuum, Britannicum, Gallicum, Etruſcum, ſermonem callebat, linguae literarumque, tum Latinarum, tum Graecarum, immo, totius propemodum Orientis, adeo peritus, ut nihil ſupra. Ne Turcicae quidem linguae fuiſſe expertem, ex Epiſtola [3] quadam EIVS perſpici poteſt. Quanam uitae ratione in *Batauia* ſit uſus, clare ſatis IPSE expoſuit *Salmaſio*, quo tempore is ſiccum *Galliae* coelum cum humidiore *Batauorum* terra commutarat.

1) Anon. Vita H. GR. 2) ſupra, p. 179. 3) Epp. ad Gall. CXIII, ad Claud. Salmaſ.

Digitized by Google

Quanquam [1] *et coelum, ne hoc quidem immerito, accusas. Scio enim, quam illud graue sit, paludum suarum uaporibus madens, ex sicco tenuique aere uenientibus. Sed et huic malo remedia non desunt. Primum diuitiae Tibulli, lucens focus, deinde, ubi serenior aura est, in locis siccioribus deambulatio. Vinum quoque paulo generosius et rubellum maxime. Sed haec, et quae alia ualent aduersus pituitam, ne Stoicis quidem, semper sanis, parcentem, si quid Horatio credimus, melius dicet tibi* Eobaldus Schreuelius, *uir facetus non minus, quam eruditus, et, qui mihi saepe morbum non Galenicis pharmacis, sed Plautinis salibus, quibus scatet totus, ademerit.*

Cum primis uita delectabatur [2] agresti, more modoque *Batauorum*, ab qua ne in *Gallia* quidem abstinere solebat. In rebus svis expediendis quanta seueritate cautelaque sit usus, partim *supra* iam narrauimus, partim alia ipsivs uel gesta, uel scripta, contestantur. Praecipuum tempus suum impendebat, partim ministerio LEGATIONIS, partim [3] studiis, partim salutationibus [4] eorum, qui, uidendi EVM & consilia sua cum EO [5] sociandi gratia, ab omnibus *Europae* [6] partibus, confluebant. Apud amicos [7] hilaris

1) Ep. CXLV. 2) supra, p. 470. 3) supra, p. 242, 243. 3) supra, p. 143, passim, 4) supra, p. 445. 5) supra, 431, 444. 6) supra, p. 445, 298. 7) supra, p. 425, 429, 446, 447, 449.

Digitized by Google

hilaris, apud omnes affabilis, erat. Nemini aedes ipsius, nemini uictus, nemini supellex, aut opera eius ulla, defuit unquam, ne his quidem, ab quorum parentibus, post tot contumelias, 1) tum in custodiae anguſtias, tum in exilii calamitates, fuerat redactus.

Conuictus eius, tempore praesertim SVECICAE LEGATIONIS, tantum non 2) omnibus patebat, et, ratione habita conuiuarum, ita coenabat, ut, non multo post, lectioni SESE aut scriptioni, dederet, seramque in noctem, 3) ac persaepe etiam ad auroram usque, studii diligentiam protraheret.

Aperto sinceroque erat 4) animo, fide moribusque antiquis et omnino eiusmodi, ut iure meritoque amicos habuerit eos, quibus non potuerunt esse amiciores, de quibus supra 5) copiose fecimus mentionem.

Memoria pollebat felici tenacique, unde *Beniaminus Maurerius*, Regis Christianissimi Consiliarius atque ad *Belgas* Legatus, intimusque GROTII amicus, testatur, *Memoria* IPSVM *tantopere ualuisse, ut, quicquid legeret, id omne retineret, ne in ullis quidem circumstantiis aberrans.* Seu enim partus ingenii, seu thesaurus memoriae, seu

1) supra, p. 80, 286. inpr. 245, 353, 431. 2) supra, p. 467.
3) supra, p. 468. 4) supra, p 19. 5) supra. p. 431, multis seqq.

Digitized by Google

animi motus, efferendus esset, adeo non inuita uerba occurrebant, ut distincte, grauiter, ornate, copiose, omnia diceret, utque res, si fuissent coram positae, conspici luculentius haud potuissent.

Ingenio iudicioque maturo, solido planeque admirando, fuit, adiutus praesertim tanta experientia, lectione et rerum meditatione, unde insignis ille Galliae Iureconsultus, *Hieronymus Bignonius*, dicere solebat,

Post Aristotelem, uixisse neminem quenquam hominem, tanta ingenii capacitate ac solertia praeditum, tanta longe lateque patentis doctrinae abundantem copia, quam GROTIVM. Consentit cum hoc *D. Heinsius*, eundemque *Viri summi et incorruptissimo iudicio praediti* laude ornat.

Quis enim nescit, eum non hominis, sed APOLLINIS instar DELPHICI, fuisse? Cuius ex ore oracula de rebus [1]) omnibus abstrusis et incognitis tunc reddebantur quotidie, et ex scriptis eius egregiis adhuc redduntur, et quam diu scripta eius aurea perdurabunt, reddentur. *Diodorus Siculus* [2]) refert, *Cum, eo in loco, ubi nunc templi* Delphici *adytum est, terrae hiatus pateret, circumque pascerent capræ, contigisse, ut una ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, et, introspiciens,*

1) supra p. 431, 444, passim. 2) Bibl. Hist. L. XVI.

Digitized by Google

ciens, miris quibuſdam exultationibus, et uoce prius ei inſolita, incredibilem caprario ſuo admirationem concitaret, adeo, ut ipſe, ſpectatum eius loci ſitum, accederet. Tunc eundem, quod capræ euenerat, perturbatione ingenti fuiſſe correptum, conceptoque ſpiritu, ſimili modo exiliiſſe, et uaticinia fundere incepiſſe. Famam increbuiſſe, et fuiſſe peruulgatam. Factum eſſe concurſum ingentem ad hiatum, et, quotquot ſe demiſerint, ſtatim, fatidico ſpiritu afflatos, furibundis ſimiles euaſiſſe. Ex ingenii quidem et doctrinae GROTIANAE reliquiis, ſpiritu plenis, debitaque perluſtratis attentione, haud aliter, dixerim, mentes animoſque lectorum velut afflari, ut nihil ne ipſi quidem deinceps, niſi APOLLINE hoc noſtro DELPHICO dignum, uel mente, uel ore, uel calamo, prodere poſſe uideantur.

Animus EIVS non quærebat [1] divitias, ſed illud maxime ſpectabat, ut cum dignitate quadam aeuum hoc tranſigeret, relinqueretque famae, etiam ab obitu propagandae, monumenta. De charitate in Patriam, charitates omnes complexa, quid hoc attexam loco? Nam, qua mente animoque fuerit in patriam, patria [2] quoque exul, oſtendit, cum, in extremis conſtituto anguſtiis, praeter bonam uoluntatem, relictum

1) p. 477. 2) ſupra, p. 16, 21, 23, 197, 198, 452, 217, 247, 419, in pr. 245, 291, 232.

Digitized by Google

ctum nihil esset, id uero ex iis, quae *supra* iam retulimus, haud obscure colligere licet. Certe, tantum non ubique, amoris in Patriam constantia sese, nulla temporum ui, nullis aduersariorum contumeliis, imminuta, nedum fracta, exerit, ut pietatem cultumque in Remp. Batauam non ante, quam uitam, deposuisse uideatur.

Haud minus constans in aliis omnibus, ac sincera in DEVM fide amoreque fuit, maxima quaeque de tanta maiestate sentiens, et optime de eius bonitate sperans. De solertia eius, patientia, [1]) integritate, temperantia, modestia, moderatione, et omni Virtutum choro, apertius ex ipsis eius scriptis, quam ex aliorum testimoniis, colligetur. Quisquis eius uel naturae, uel doctrinae, dotes, plane incomparabiles, quas ne ex acerrimis quidem eius aduersariis ipsi denegat ullus, cognoscere cupit, ille Scripta VIRI euoluat, maxime aureolum illud de Veritate Rel. Christianae opus, fassurus, eum, si quem alium, diuinae maiestatis decus et incrementum nunquam temere neglexisse, nunquam non ante oculos habuisse, omnique tempore, et modis omnibus, amplificare contendisse.

Illud supereſt, ut GROTII MEMORIAM uene-

ratione

1) supra, pag. 195, & passim.

Digitized by Google

ratione prosequar, et de scriptis ipsius ea Testimonia transmittam ad posteros, quae incomparabilis eius eruditio et merita, nunquam satis aestimanda, deposcunt.

Sic liberis illis, ab se assertis, in uasto, libero immensoque, Oceano, Na igationibus, non apud *Delphos* solos, aut solos *Batauos*, sed *Germanos Anglos*, *Hispanos*, *Italos*, *Danos*, *Sueonas*, *Polonos*, IN ADMIRATIONEM SVI, IVVENIS ADHVC, PERTRAXIT, prout *infra* dispiciemus.

In primis, per illos sex Libros, de *Veritate Relig. Christianae*, HIC DIVINI NVMINIS VINDEX, IMMORTALITATEM SIBI CONCILIAVIT, in quibus inuenit suam *Arius* ruinam, *Socinus* interitum suum, suam *Atheus* destructionem, suam *Gomarus* emendationem, neque hi libri partes tantummodo penetrarunt terrarum singulas, Batauiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Sueciam, Arabiam, Persiam, Malabariam, Graeciam, uerum omnes quatuor terrarum orbis plagas peruolarunt, omnem Europam, Asiam utramque, Americam, Africam simul et Aethiopiam forsan extremam.

Neque terrestribus spatiis sese FAMA ET GLORIA CONTINVIT MERITORVM GROTII NOSTRI, uerum Maris quoque procellas tentauit. *Cantilenae* enim EIVS *Sacrae*, de *Ver. Relig. Christia-*

Digitized by Google

nae, Lupeſtenii licet, in carcere, ab ipſo confectae, quo non penetrarunt, ubi non IPSVM fecerunt notum, quas non uias ad aeternam poſteritatis memoriam aperuerunt, ut non ſolis fluuiis, *Vahali* ad *Arcton*, non *Danubio*, auroram uerſus, non maris *Atlantici* inſulis, non inſulis *mediterranei Balticique* maris, nec intra *Caſſubiae* littora coarctarentur, ſed *Oceanum* ipſum, tam *Orientem* uerſus, quam *occiduum* illum, polum *Arcticum* et *Antarcticum*, nautis uaſtum immenſumque terrarum orbem circumnauigantibus, longe lateque perſonarent, GROTIVMQVE noſtrum quotidie celebrarent, celebraturae in poſterum quoque, DONEC HARVM SACRARVM HONOS CONTILENARVM CONSTABIT.

Tandem MAXIMI HVIVS REGVM ASSERTORIS *tres libri*, de *Iure belli et pacis*, ORBI VNIVERSO THEATRVM GLORIAE FVERVNT. Non enim a maximis ſolum uiris et Rerumpublicarum conſultis, earum uidelicet, quae, praeter DEVM, obnoxiae ſunt nemini, et *Naturae* tantummodo atque *Gentium Iure* utuntur, ingenti ſunt applauſu excepti, ſed in omnibus deinceps Regum aulis et curiis, in omnibus Academiis *Europae*, ad *commune Ius Gentium*, ueluti ſigno ſublato, dominari coeperunt, in iisque ornandis

Digitized by Google

dis et extollendis magni uiri certarunt, superfuturis haud dubie, quam diu Principes et Respublicae in orbe terrarum erunt.

GROTII quidem dotes explicare, uniuersas ac singulas, arduum, immo, plane immensum, mihi uidetur, de CVIVS INDOLE NOMEN, DE ANIMI DOTIBVS EGREGIA CONSILIA, DE PRVDENTIA RES GESTAE, DE ERVDITIONE SVMMA TOT LIBRI, TESTANTVR. Mihi, ut Germano, non Batauo, excusatio a conatu, uotum pro uiribus, erit, cum praesertim ipsa uoluminis ratio, nimiam excrescentis in molem, me moneat, ut uela contraham, manibusque GROTII succlamem.

Hoc unum uniuersa TVA, MAGNE HVGO, DECORA comprehendit, quod ad maximum totius regni negotium es adhibitus, hoc est, quod splendidissima functus es, apud *Ludouicum* XIII et XIV, LEGATIONE, quod *Christina*, magni illius *Gustaui* filia, Cancellariusque regni *Sueonum* inclytus, TE VNVM ELEGERVNT, QVONIAM VNVS TV ERAS DIGNVS ELIGI, ALTER ILLE ELIGERE DIGNVS.

De ILLVSTRISSIMO NOSTRO HVG. GROTIO, de *Petro* item *Grotio* et *reliqua eius familia*, haec attigimus, ut autem, quae de HVG. GROTIO, uelut PRAECIPVA SCENAE HVIVS NOSTRAE PERSONA, diximus, maiorem habeant fidem, *Literas* subiun-

Digitized by Google

gimus *Friderici Henrici*, *Arauſionenſis*, Foederati Belgii *Gubernatoris*, et *Reginae Chriſtinae*, quae paulo poſt ſequentur, QVORVM AMPLISSIMA TESTIMONIA EFFOETAE IAM DIVTVRNITATE ET VERITATIS LVMINE PRAESTRICTAE MALEDICENTIAE PRAEVALEBVNT.

COPIE DE LA LETTRE, ECRITE DE LA HATE, LE IV, AVG. A, clɔ Iɔ CXXII. PAR FRID. HENRT, PRINCE D' ORANGE, AV SIEVR

HVGO DE GROOT.

DOMINE,

Ago gratias pro bonis iis officiis, quae mihi apud quoſdam praeſtitiſti, qui regi ſunt a conſiliis, rogoque, ut ſic pergas, tam apud eoſdem, quam alios, quos non inidoneos iudicabis, meam dans fidem, me non immemorem futurum huius beneuolentiae, ſed, qualiſcunque ſe occaſio offerat, operam tibi daturum. ORO ETIAM, VT PERSVASVM HABEAS 1) MEVM ERGA TE FAVOREM, QVO TE SEMPER PROSEQVOR, INDVCTVS EO AFFECTV, QVEM MIHI OMNI TEMPORE FECISTI TESTATISSIMVM. *Rogaui affinem tuum D.* Reygerſbergium, *ut ad te definite et diſtincte de rebus quibuſdam ſcriberet*, AD QVAS INTELLIGERE SENTENTIAM TVAM GESTIO. HANC SI MISERIS, MAGNO BENEFICIO ME TENEBIS OBLIGATVM, *ſicut nuper, cum memoriale ad me mitteres, pro quo gratias ago maximas.* VTINAM

1) ſupra, p. 293.

Digitized by Google

NAM HIC POSSEM REBVS TVIS VTILEM OPERAM AFFERRE, EAM SANE EX ANIMO IMPENDEREM. *Sed nihil te fallit eum nunc esse rerum statum, ut aut ego, aut reliqui amici, commodis tuis ex uoto* [1] *inseruire nequeamus.* SPERO TAMEN, QVOD TEMPVS MVTATIONEM [2] HISCE INFERET, QVODQVE TE BREVI VIDEBO EXISTIMATIONE ET HONORIBVS IIS FLORENTEM, QVOS EXIMIAE DOTES TVAE REQVIRANT. *Vnde non minor mihi uoluptas suborietur, quam olim ex tua libertate. Interim, dum extorris a patria uiuis, exopto tibi omnia grata, fausta, prospera, ipse tibi quae optare possis. Precor Deum, ut hoc tibi donet,* MIHIQVE OCCASIONEM, VT TIBI QVEAM RE IPSA OSTENDERE, QVOD SIM *omni affectu tibi inseruire pronus.*

DOMINE,

FR. HENRICVS A NASSAV.

Magnum sui, mortuus, desiderium [3] reliquit, IDEOQVE ERVDITI IPSVM, DE COMMVNI OMNIVM SVFFRAGIO, OB EXCELLENTEM SAPIENTIAM ET BONITATEM, SICVT INDIGETEM, ET ERVDITORVM ORACVLVM 4) ATQVE INTERPRETEM, OMNIBVS LAVDVM PRAECONIIS, AD SERAM VSQVE SERAE POSTERITATIS MEMORIAM, CONSECRARE NON DESI-

1) supra, p. 295. 2) supra, p. 296.
3) supra, p. 433, 444. 4) supra p. 446, seq. et passim.

Digitized by Google

DESISTENT. De illa existimatione singulari, quam, eximiae cuiusdam et minime uulgaris doctrinae scientiaeque copia, apud summos perinde, atque infimos, SIBI comparauerat, optime testari *Literae* possunt Inclytae *Gothorum* & *Sueonum* Reginae, *Christinae*, magni illius *Gustaui Adolphi* filiae, ad GROTII defuncti relictam uiduam datae, in quibus ab ea DIVI scripta, pro largo pretio, flagitans, splendorem una tantum addit VIRO, quantum ei haud ulla unquam praeconia, quibus eum summi in literis uiri, 1) *Scaliger*, 2) *Vossius*, *Heinsius* 3) *Peireſcius*, 4) *Barlaeus*, *Iacobus Gillotus* 5) aliique, tantum non extulerunt in coelum, conciliare potuerunt.

RESPONSIO REGINAE CHRISTINAE, AD MARIAM REYGERSBERGIAM, H. GROTII VXOREM.

Ex literis tuis, decimo septimo Cal. Aug. ad me datis, intellexi, quo pacto Legatus meus iussa mea sit executus in conciliandis mihi mariti tui, DOMINI GROTII, *p. m., libris, quodque, neglectis aliorum, qui eorum possessores esse ambiebant, oblatis, maiorem habueris rationem, meis desideriis ut morem gereres, quam propriis commodis, quorum spes ab altera*

1) supra p. 10. 2) supra p. 5. 3) supra p. 96. 4) supra p. 444. 5) supra p. 8.

Digitized by Google

ta parte affulgebat. Equidem, inter uoluptates iſtas, quas ex bonorum autorum lectione capio, D. GROTII SCRIPTA ITA DEPEREO, VT, SI, SPE MEA FRVSTRATA, NEQVEAM ISTA BIBLIOTHECAE MEAE ADINGERE, NVNQVAM ME VOTI COMPOTEM ARBITRATVRA SIM. *Legatus meus fortaſſe tibi retulit partem ſummae illius exiſtimationis, qua uigent apud me eius admirabile ingenium, et egregia, quae mihi praeſtitit officia,* SED PERFECTE NON POTVIT EXPRIMERE, EIVS MEMORIA MIHI QVAM SIT CHARA, ET SCRIPTORVM MONVMENTA QVAM SVSPICIENDA. *Sane,* SI IN AVRO ET ARGENTO ALIQVID ESSET MOMENTI AD REDIMENDAM VITAM TAM CLARAM, QVICQVID ESSET IN MANV MEA, ANIMO LVBENTI IN HVNC FINEM CONFERREM. *Ex hiſce colligas, quod egregia haec monumenta et reliquias non poſſis committere manibus, a quibus melius excipiantur et habeantur, quam meis. Cum horum Autor* VIVVS MIHI FVERIT ADEO VTILIS, NE PATIARE, VT EIVS MORTE ILLVSTRIVM EIVS LABORVM FRVCTV PLANISSIME PRIVER. *Sic intelligo,* VT VNA CVM ALIORVM LIBRIS MIHI OMNIVM MEMORIALIVM MANVSCRIPTORVM ET BREVIARIORVM FACIAS COPIAM, *ſecundum promiſſa, per literas tuas* [1] *mihi facta. Nunquam mihi poſſes teſtatiorem facere tuam beneuolentiam, quam hac occaſione. Nec deeſt mihi, gratia* DEO, *unde hanc gratiam rependere teque remunerari queam, quorum*

[1] Quae ſcripta quoque accepit Regina.

Digitized by Google

quorum Legatus meus te certiorem faciet, cui acquiescens, DEVM *rogo, ut te sanctissima sua gratia protegat.*

Holmiae, A. CIↃ IↃ CXLIIX, prid. Idus Augusti,

CHRISTINA.

Huic eruditi Gynaecei pariter, ac *Gothorum,* Magnae Reginae, CHRISTINAE, de GROTIO Epistolae, e Gallico Latine redditae, longiori breuius, non tamen leuius, iudicium Maximi Patris addo,

VNVM ESSE GROTIVM, id est, *non habere parem.*

ALIORVM
DE H. GROTIO.
ELOGIA.

Galli, generatim, GROTIVM *Salmasiumque uere doctos fuisse,* pronuntiare consueuerunt.

Beniamin Maurerius, Consiliarius Gall. Regis et ad Belgas Legatus, testatur,

Memoria GROTIVM *tantopere ualuisse, ut, quicquid legeret, id omne retineret, ne in ullis quidem circumstantiis aberrans.*

Claudius Nicolaus Fabricius Peirescius GROTIVM *altero tanto doctiorem habuit* Salmasio, IPSI *etiam* Iosepho Iusto Scaligero *præferens in multis.*

Magnus

Digitized by Google

Magnus ille Gallus, *Hieronymus Bignonius*, dicere solebat,

Post Aristotelem, vixisse neminem quenquam hominem, tanta ingenii capacitate ac solertia praeditum, tanta longe lateque patentis doctrinae abundantem copia, quam H. GROTIVM.

Daniel Heinsius, in animaduers. ad Senecam Trag., eum nominat

Maximum HVGONEM, item,

Virum summum et incorruptissimi iudicii.

Cl. Salmasius, in literis ad ipsum GROTIVM datis, diuinis ornat eum laudibus, VIRVMQVE appellat SVPEREMINENTISSIMVM, item, MONSTRVM INGENII.

Idem, in Exercitt. ad Solin. eum appellat

Virum excellentissimae doctrinae in omni genere literarum.

G. Vossius, pater, confirmat,

VNIVERSVM TERRARVM ORBEM DOCTIVS EO NIHIL VNQVAM HABVISSE.

Ab *Ioanne Seldeno* appellatur,

Vir acuminis et omnigenae doctrinae praestantia incomparabilis.

Ioann. Limnaeus, ad Capitulationem Caroli V, ait,

GRO-

Digitized by Google

GROTIVM *unum plura scire, quam alios centum.*

Dominicus Baudius de GROTIO, adhuc iuuene, Maris liberi assertore, dixisse fertur,

Se de EIVS *indole, doctrina, probitate, et admirandis laudibus in omni genere uirtutum, nihil tam magnifice dicturum esse, quod* EIVS *meritis respondere queat.*

Dempsterus de eo scribit,

Criticum acutum et insignem fuisse.

Maurerii de GROTIO uerba Gall. apponam.

Il etoit humaniste consommé, bon poete, Graec et Latin, parlant et sachant bien toutes les langues, tant mortes, que uiuantes, grand Theologien, grand Iurisconsulte, et grand Historien.

Ab *Herm. Conringio*, in eius passim scriptis, nominatur,

Magnus, incomparabilis et admiratione dignissimus uir, qui, pro sui magnitudine ingenii et perspicacitate, incomparabile illud Opus suum emiserit in lucem. (de I. B. et P.)

Caspar Zieglerus sic de eo loquitur.

Ego tum GROTII *stupendam, et, in omni literarum genere, oppido quam exercitatam eruditionem, tum et in rebus probe subactum et uersatum iudicium, reueritus, num quid in hoc genere praestare,*

Digitized by Google

ſtare, et eius ſermonem, conciſum ſaepe et inuolutum, iuſto interpretamento indipiſci poſſem, mecum dubitabam.

Fridericus Vlricus Calixtus ait,

HVGO GROTIVS *ad miraculum uſque eruditus, atque in antiquorum ſcriptis ita verſatus, quam, qui verſatiſſimus.*

Guido Patino, Gallice de ipſo loquenti, eſt

Le premier homme de ſon Siecle.

Item,

Il a eté le plus bel eſprit de ſon tems.

Et, in alia eius Epiſt.

GROTIVS *a ete le plus ſcauant homme de ſon tems.*

Dan. Heinſius,

ΠΡΟΣ ΓΡΩΤΙΟΝ, ΤΟΝ ΠΑΝΤ.

ΓΡΩΤΙΑ΄ΔΗ περίπυσε, τετιμένε πᾶσι θεοῖσιν,
Ἄρχων ἰσορίης, ἕρμα δικαιοσύνης,
Πᾶσαν τὴν σοφίην μεμυημένε, δέχυσο τούς δε
Ἀστέρας, ἀρχαίης ἡγεμόνας σοφίης.
Εἰσὶ δε τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα, τῶν κλέος αἰεὶ
Ἔσσεται, ἐκ Μουσῶν πάντη ἀειδόμενον.
Εἰ δὲ περισσοὶ ἔασι, τί τὸ πλέον; ΕΙΣ γὰρ ἀριθμὸν
Ἀείπων ΓΡΩΤΙΑ΄ΔΗΣ ἄρτιον ἐκτελέσει.

Digitized by Google

i. e.

GROTIADE *inclyte, uenerande omnibus Diis,*
Princeps historiæ, fulcrum iustitiae,
Omnem sapientiam edocte, accipe hosce
Viros, priscae duces sapientiae.
Sunt uero quadraginta et nouem, quorum decus semper
Erit, a Musis ubique celebrandum.
Si uero desunt (quidam,) quid tum? Vnus enim numerum
Superstes GROTIADES *perfectum reddet.*

Danielis Heinsii Epigramma, in effigiem HVG. GROTII, tale est.

Depositum coeli, quod iure Batauia matet
Horret, et non credit, se peperisse sibi.
Talem oculis, talem ore, tulit hic maximus HVGO.
Instar, crede, hominis, cetera, crede, DEI.

HVGEANO GROTIO, IANI F.

Magne Puer, Magni[1]) *dignissima cura Parentis,*
Nomine sis, dubito, Maior, an ingenio.
Grande quidem, sed enim debes Maioribus illud:
Maior et ingenio Laurea parta tibi.

Omi-

a) Ad nomen eius gentilitium, quod vernaculo sermone *Magnum* sonat, allusio. vid. Iani Dousae, Nordouici, Echo etc 4, Hagae Comit. 1603, p. 41.

Digitized by Google

Omina principiis certe tam grandibus insunt.
Fallor, an et talis noster Erasmus *erat?*
Credo equidem, neque me fallunt praesagia, tam nil
Vel puerile sapis corde, uel ore sonas.
Quodque aliis aetas per taedia mille laborum,
Hoc Natura ultro gratificata tibi est,
Vndecimae uix dum egresso confinia brumae,
Vno in te Leges ausa migrare suas.
Quid dignum tanta precer indole? Perge Iuuentae
Exemplo et Genii luce praeire tui.
Et Lugdunensi iam nunc assuesce theatro,
Et Patriae in laudes crescere perge tuae.
Tempus erit, cum te mox mirabuntur adultum
Certare Antiquis, exsuperare Nouos.

Caspar Barlaeus sequentem in modum loquitur

Qui, Puer, hoc scripsit, quod stupuere Senes.

Paulus Flemmingius, in Epigrammatibus suis Latinis, sequens eius honori dedit.

HVGONI GROTIO, SECVLI HVIVS VARRONI.

Siue uelis dare, siue neges, sibi munus habendi
Ambit amicitiam mens mea tota tuam.
Quae licet, icta tui radio fulgoris, hebescat,
Ales ut ad medium, noctis alumna, diem.
Hoc magis ad tantum tamen euolat acta nitorem,
Ipsa uolens radiis esse coruscа tuis.

Digitized by Google

Ipſa ſuam ſibi, quam non eſt par demere, noctem
Hoc ſimul a GROTIO *ſperat habetque die.*

Tarraei Hebii, Nobilis a Speriga, ſeu *Caſp. Barthii, Berolinenſis,* in H. GROTII Effigiem Epigramma.

Qualem iſtum in tabula GROTIVM *depinxit aëna*
Pictor, in inueſti corpore talis homo eſt.
Ingenium atque animum, cuſtos ſophiæ, omnibus armis,
Pingere ſi lubitum eſt, dic, DEVS *hic habitat.*

Non quidem nulli excellentis Viri huius ſcriptis caliginem offundere ſunt conati, quos inter *Ioannes Feldenus*, in Acad. Iulia Profeſſor Iuris et Matheſeos, qui inſurgere in GROTIVM, eiusque dicta, in quibus a tanto ſapientiae magiſtro diſſenſerat, atro notare lapillo, fuit auſus, neque huius conatus diſplicebant illis, qui famam et gloriam GROTII aegris limiſque oculis intuebantur.

Claudius item *Salmaſius*, qui inuidiae ſuae luculentum hoc extare voluit monumentum, in Epiſtola quadam ad *Claudium Sarrauium*, quam e tenebris produxit *Thomas Crenius* [1]) qua GROTIVM *Voſſiumque* inter ſe contendit, poſterioremque, multas ob cauſas, antepo-

nit,

1) Animaduerſ. Philol. & hiſtor. T. I, p. 22.

Digitized by Google

nit. Verba Epistolae *Salmasianae* potiora dabo.

In Philosophicis, si disputandi solertia spectetur, uix mediocribus par est. Nec unquam uidi, qui minori cum cura ratiocinetur. Id quod testantur scripta eius, quibus Riuetus et Maresius rescripserunt. In studio literarum multos habuit pares, et plurimos superiores. In Iure quantum excelluerit, ostendit Sparsio Florum ad Ius Iustinianeum. Librum eius de Iure B. et P. refutandum suscepit Professor Almae Iuliae, qui amicis aliquot, quos uidi, affirmauit, se ostensurum esse, nullam paginam uacare insignibus erratis.

Nihil dubito, quin *Feldenum* designet *Salmasius*, qui, quo animo ad hanc censuram accesserit, uel ex hoc ipso intelligere licet, quod, nullam paginam erratis uacare, se ostensurum, pollicitus sit. Prodierunt vero tandem *Feldeniana* ista, A. CIↃ IↃ LIII, quibus *Theodorus Grasuincelius*, uir doctus ciuiliumque rerum haud imperitus, Anno insequente *Stricturas* opposuit, quas duobus HVG. GROTII filiis voluit esse sacras. Non defuit quidem sibi *Feldenus*, sed *Responsionem* ad istas *Stricturas* edidit, tacente tamen *Grasuincelio*, fortasse, quod perspexisset, optimam hanc esse homines rixosos uincendi rationem, si, suas sibi res habere, iubeantur. Id omne uero ex

Digitized by Google

aemulatione sola et liuore *Salmasii* profectum esse, iam olim suo tempore, obseruauit *Guido Patinus*, dicens [1])

Ils n' etoient pas tous deux de meme avis en beaucoup de choses.

Et, quamuis *Salmasius* de GROTIO contemptim scripserit, omnia tamen ipse desumpsit ex GROTIO, teste *I. Franc. Buddeo*, Hist. Iur. Natural., quodque magis mirandum, GROTIVS *Salmasius*, in literis ad ipsum GROTIVM datis, diuinis [2]) ornat laudibus, uirumque appellat *Supereminentissimum*, item, *Ingenii Monstrum*. Verum, plus satis constat, quot quantosque, in Iure admiserit errores *Salmasius*, et, quam temere se in res ciuiles ingesserit, quas tamen cum ignarissimis sciebat, prout uno iam, alterove, exemplo docuit, post *Ott. Taborem*, sagaciſſimus Iuris olim Antecessor, iam uero, non sine peracerbo dolore meo, *Batauis* ereptus, *D. Gerardus Noodus*, in egregiis Opp. suis. Specimen Errorum *Salmasii* in *Theologia*, immo, in ipsa etiam Philologia, *Vittembergae* pridem exhibuit *Iosua Arndius*, Theologus aeque, ac Philologus minime uulgaris, ac, postremo tempore in Meclemburgica dioecesi Sacrorum Antistes. Iniustus igitur hic obtrectator fuit *Clau-*

dius

1) Ep. 545. 2) supra, p. 597.

Digitized by Google

dius Salmaſius, qui GROTIVM quoque noſtrum ignorantiae, Epiſtola ad *Sarrauium*, arguere eſt auſus, cum tamen ſcriptoris haud unius teſtimonio iſta cauillatio refellatur. Illud ſane in confeſſo eſt, *Salmaſium* neminem quenquam, ſibi contradicentem, ferre potuiſſe, cum tamen eos, de quibus iudicium ferret, tam exciperet inhumane, ut plures redderet inimicos ſibi, quam amicos, ne maximis quidem Viris, nominatim, *Lipſio*, *Scaligero*, *Heinſio*, *Sirmondo*, *Spanhemio*, *Blondello*, *Amyraldo*, *Boiſſardo*, pluribuſque aliis, facile parcens. Memoria quidem pollebat is plane ſingulari, ſed nec faſtu minori. Cum enim aliquando, una cum *Gaulmino*, et *Mauſſaco*, in Bibliotheca Pariſienſi Regia verſaretur, et *Gaulminus* ad alteros duos diceret, *Crediderim*, *nos tres coniunctim eruditis in Europa tantum non omnibus pares eſſe poſſe*, contemptim *Salmaſius* in haec erupit uerba, *Vos ambo*, *uel cum aliis omnibus Europae doctis*, *coniungite uires*, *et tamen parum uobis*.

At literas omnes ac diſciplinas GROTIVS euexit ad ſummum. Ferunt, a *Galatone*, pictore, *Homerum* fuiſſe pictum, eumque uomentem, reliquos autem Poetas ea, quae ipſe euomuiſſet, haurientes. Haud diſſimiliter ex noſtri fonte GROTII, tanquam abyſſo quadam et immenſo

Digitized by Google

mari, hauſerunt, ac, uelut ex equo Troiano Duces, ſic eruditi et clariſſimi uiri ad aetatis noſtrae gloriam, ex eius Schola prodierunt.

Hos inter, qui, GROTIO iam mortuo, uitam, doctrinam, famam, fortunam, et quid non, debent, locum facile principem tenent, ne *Salmaſio* quidem excluſo, *I. H. Boeclerus*, *Samuel Pufendorfius*, *Caſp. Ziglerus*, *Vlr. Obrechtus*, *I. G. Kulpiſius*, *Gerardus Noodus*, *Phil. Reinh. Vitriarius*, Excell. *Chriſtianus Thomaſius* et alii plures. Prudens enim hic Vir atque peritus, in republica ueluti large ſcaturiens erat ſcaturigo, ex qua boni conſilii copiam haurire licebat, erat longe lateque relucens Pharus, quae uacillantem nauem in ſuo incerto dirigit curſu, erat, immo, eſt eritque, uaticinans uelut oraculum, ad quod identidem recurrere licebit.

Iam ad extremum uitae GROTIANAE actum et finem reuertor, ſolitariisque meis cogitationibus infauſta *Caſſubii* maris littorâ oberrans, nec procul a pago *Lybae* SEMIANIMEM, e naui quaſſata, elatum, uehiculoque ruſtico, parum ornato, illatum, conſpiciens, a lacrymis temperare mihi non queo. Eaedem profundae moeſtaeque cogitationes in memoriam hic mihi reuocant eximium quendam, prudentia, doctrina, pietate, Virum, nomine *Guil. Neſenum*.

Hic

Digitized by Google

Hic, aestiuo tempore scapham ingressus piscatoriam, *Albim* traiecturus, ad truncum, sub aqua latitantem, nauem sic illisit, ut, inuersa conquassataque nauicula sidente, cum effugere non posset, tandem suffocaretur. Qui miserabilis exitus ipsum tunc LVTHERVM in primis afflixit, tantoque affecit moerore, ut, cum *Nesseni* corpus, ad ripam fluminis appulsum, tandemque ex *Albi* extractum, cerneret, astans, et in coelum, non sine lacrymis, suspiciens, exclamaret, *O*, NESENE, *si mihi datum esset donum miraculosum excitandi mortuos, ullumue unquam excitassem, te nunc excitarem.*

Corpus GROTII mortuum, iam in pace quiescit, iam fama quoque eius, et eius memoria, indigna iniquorum labe commaculata, sine labe et macula uiget, atque in dies magis magisque emergit ex scriptis eius tam egregiis, rarique ipse instar PHOENICIS, uelut e cineribus suis reuiuiscit, permansurus, donec ille uelox solis, omnis terrarum orbis plagas perlustrantis, cursus perdurabit.

Atque hic quidem, in *Cassubiensibus* illis *Balticisque* littoribus, audire mihi uideor altam ac tristem quandam uocem, quae olim praeterna-uiganti insulam *Paxin Thamo*, homini *Aegyptio*, acclamabat,

Digitized by Google

MAGNVM ILLVM PANA EXPIRASSE,

uocem, inquam, una iubentem, ut in *Baltica Belgicisque* littoribus, ac tantum non in omnibus, ab ortu Solis ad Solis occasum, regionibus et locis, diuulgentur eadem illa, tristissimi nuntii plena, uerba, *Thamo* non soli, aut solis comitibus *Thami*, iam pridem attonitis et mirabundis, horrorem summum religiosissimamque uenerationem incussura, uerum soni repercussione, multa hominum millia, ex omnibus terrarum orbis partibus, in moeroris luctusque communis societatem pertractura.

Contumulatus iam GROTIVS NOSTER, dignus utique, immo, haud paullo dignior, est ELOGIO ILLO, quo *R. Iosis*, *Ben Iosis*, merita et memoriam posteris celebraturi, sepulcrum ornabant Iudaei,

HIC VIR. EST. SITVS
IN QVO SAPIENTIA OMNIS
SEDEM. FIXIT.

Certe, in nostro GROTIO, dotes illae interiores uniuersae poterant animaduerti, haud aliter, atque olim in *Solonis* exemplo perfectum totius *Graeciae* decus. Arbiter erit ille dies, postquam inuidiam aetas purgauerit, quo etiam *Batani* omnium gentium accedent calculo, testaturi,

MAIVS

Digitized by Google

MAIVS ORNAMENTVM APVD SE GROTIO NVLLVM VNQVAM EXTITISSE.

Quare in ſpem venio, ILLVSTRIS VIRI HVIVS, functis Romanae Atticaeque antiquitatis ſapientibus audacter opponendi, uirtutes, res item actioneſque praecipuas, ab EIVS obtrectatorum infamia, qua toties EVM aſpergere ſunt auſi, opera mea qualicunque purgatas eſſe, vindicatas ſummatimque propoſitas, ut VIRI TAM EXCELLENTIS totus uitae curſus, pro aſſerenda libertate auita, domi, militiae, terra, mari, incredibili quadam patientia conſtantiaque, aerumnoſiſſime confectus, luci exponatur publicae, meusque hic labor, ad aſſerendam GROTII innocentiam, ad amorem VIRI diligentioremque Scriptorum EIVS lectionem, ad exemplum et imitationem uirtutum GROTIANARVM, aliquid conferat, in primiſque, uti coeleſte illud auxilium, in uniuerſa GROTII uita, factis fatiſque, tantopere conſpicuum, iuſtis laudum praeconiis concelebretur a piis, atque ad omnem poſteritatis memoriam et admirationem tranſmittatur.

Abſtinui ab arctiore omni controuerſia, dictisque quibusuis acerbioribus, quantum potui, quae abeſſe deberent ab omnibus ſcriptis, ſi modo per aduerſarios liceret. Certe peccat ille contra

tra leges aut naturales, aut ciuiles, immo, quod maximum, contra regulas Christianae charitatis, quisquis contra VIRI tam innocentem uitam aliquid siniſtri molitur. Aperiet aetas futura haec omnia magis magisque, quàm ego ſcriptis quoque meis delegi magiſtram.

Reſtaret, ut IMMORTALIS MEMORIAE VIRI OSSIBVS, iam pridem *Delphos Batauorum* deportatis, tumuloque illatis, *Inſcriptionem* in Tabula ſuſpenderem, plura item, quae paſſim latent, de DIVO memorabilia eruere pertenderem, ſed, tempore aliiſque rebus excluſus, aliud in tempus iſta cogor differre, HVGONI interim GROTIO noſtro, ut omnes humani ingenii terminos, ſic nulla non quoque laudum praeconia, longe multumque ſupergreſſo, hic Bonae Mentis ueluti ponens ARAM.

BIBLIOTHECA GROTIANA.

Scripta, quae noſter GROTIVS poſteritati reliquit, uel edita ſunt, uel non edita, ſpectantque uel ad *Philologiam*, uel *Hiſtoriam*, uel *Philoſophiam*, uel *Iuriſprudentiam*, uel *Theologiam*. Sane, cum multos HVGONIS MAGNI Libros, non ſine ſumma admiratione portentoſi cuiusdam ingenii, ab ipſo etiam prope adhuc Puero, exceperit Eruditus Orbis, operae utique pretium erit,

Digitized by Google

erit, *Scripta* eius hic generatim, inferius autem omnia et singula, cum omnibus *Editionibus Versionibusque* et *Notis*, enumerare, ut ab oblivione uel sic uindicentur.

EFFODIANT ALII RADIANTIA MARMORA ROMAE,
VT REGVM RADIOS RVDERA PARTA FERANT.
EX TENEBRIS REVOCASSE, IVVAT, MONVMENTA
HVGONIS,
QVEIS CEDVNT RADII, MARMORA, ROMA NOVA.

HVG. GROTII
SCRIPTORVM EDITORVM,
PLENIVS INFRA ENVMERANDORVM,
BREVIS CONSPECTVS,
ORDINE ANNORVM.

A. C. CIↃIↃIC.

1, H. GROTII Carmina quaedam.
2, *Simon. Steuini* Liber de inuestigandorum ratione Portuum, e Belg. Latine, per H. GR.
3, ad *Martianum Capellam* H. GR. Notae.

A. C. CIↃIↃC.

4, H. GR. Mirabilium Anni CIↃIↃC, quae *Belgas* spectant, Semestre prius.
5, ad *Arati* Phaenomena H. GR. Notae.

A. C. CIↃIↃCI.

6, H. GR. *Adamus* Exul, Tragoedia.
7, H. GR. Epistolae ad *Gallos*.

A. C.

Digitized by Google

A. C. CIↃIↃCIII.

8, *Theocriti* Idyllia quaedam, interprete H. GR.

A. C. CIↃIↃCIIII.

9, H. GR. Myrtillus, siue Eidyllium Nauticum, ad *Dan. Heinsium.*

A. C. CIↃIↃCVIII.

10, H. GR. Christus Patiens, Tragoedia.

A. C. CIↃIↃCVIIII.

11, H. GR. Mare Liberum, *suppresso nomine.*

12, H. GR. Epiced. in *Iac. Arminium.*

13, H. GR. Commendatio Annuli, carmine.

A. C. CIↃIↃCX.

14, H. GR. de Antiquitate Reip. *Batauorum.*

A. C. CIↃIↃCXIII.

15, H. GR. Pietas Ordinum *Hollandiae* et *Westfrisiae.*

A. C. CIↃIↃCXIIII.

16, H. GR. Bona Fides *Sibrandi* (*Labberti.*)

17, ad *Lucanum* Notae H. GR.

A. C. CIↃIↃCXVI.

18, H. GR. Oratio, ad Senatum *Amstelodamensem*, de recta mente Ordinum, in conseruanda uera Religione reformata.

A. C. CIↃIↃCXVII.

19, H. GR. Chronicon *Hollandiae.*

20, H. GR. de Satisfactione Christi, contra *Socinum.*

A. C.

Digitized by Google

A. C. CIↃIↃCXXII.

21, H. GR. Syluae sacrae, et Sylua, ad *Iac. Aug. Thuanum.*

22, H. GR. Cantilenae sacrae de Verit. Rel. Chr. *Belgice.*

23. Ex *Ioanne Stobaeo* Excerpta, Graece et Lat. H. GR.

24, H. GR. Disquisitio *Pelagiana.*

25, H. GR. Apologeticus eorum, qui *Hollandiae VVestfrisiaeque*, et uicinis quibusdam Nationibus, ex legibus praefuerunt, ante mutationem, quae euenit A. CIↃIↃCXVIII.

A. C. CIↃIↃCXXIIII.

26, *Plutarchus et Basilius M.* de usu Poetar. Graecorum, Gr. et L. per H. GR.

A. C. CIↃIↃCXXIIII.

27, H. GR. de Veritate Religionis Christianae LL. VI.

A. C. CIↃIↃCXXV.

28, H. GR. de Iure Belli et Pacis LL. III.

A. C. CIↃIↃCXXVI.

29, Ex *Tragoed.* et *Comoed.* Graecis Excerpta, emendata et Latinis versibus reddita ab H. GR. Graece et Latine.

A. C. CIↃIↃCXXVIIII.

30, H. GR. Obsidio *Grollae*, cum annexis, A. C. CIↃIↃCXXVII. cum Tabulis Geograph.

A. C.

Digitized by Google

A. C. CIↃIↃCXXX.

31, *Euripidis* Tragoedia, Phoeniſſae, Graece et Latine, H. GR. interprete.

A. C. CIↃIↃCXXXI.

32, H. GR. Introductio ad Iuriſprudentiam Batauicam, *Belgice.*

A. C. CIↃIↃCXXXVII.

33, H. GR. de omni genere Studiorum recte inſtituendo, Diſſertatio.

A. C. CIↃIↃCXXXVIIII.

34, H. GR. de S. Coenae Adminiſtratione, ubi Paſtores non aſſunt. It. An ſemper communicandum per Symbola.

A. C. CIↃIↃCXXXX.

35, H. GR. Explicatio Decalogi.

36, H. GR. de Fide et Operibus.

37, H. GR. de abſoluto Reprobationis Decreto.

38, H. GR. de Antichriſto.

39, H. GR. Theologica quaedam.

40, H. GR. Notae ad *Tacitum.*

A. C. CIↃIↃCXXXXI.

41, H. GR. in *Euangeliſtas.*

42, H. GR. Annot. in *Nouum Teſtamentum.*

A. C. CIↃIↃCXXXXII.

43, H. GR. Notae in Conſultationem *Ge. Caſſandri*, et de Chriſtianae pacificationis et Eccleſiae reformandae uera ratione.

44, H.

Digitized by Google

44, H. GR. Via ad Pacem Eccleſiaſticam.

45, H. GR. Votum, pro Pace eccleſiaſtica, contra Examen *Andreae Riueti*, et alios irreconciliabiles.

46, H. GR. Animaduerſiones in Animaduerſiones *Riueti*.

47, H. GR. Diſcuſſio Apologetici *Riuetani*.

48, H. GR. de Origine Gentium *Americanarum*, Diſſertatio prima.

49, Ad *Iuſtinian.* Ius H. GR. Florum Sparſio.

50, H. GR. Epiſtola, ad *Iac. Laurentium*, anatomizata.

51, H. GR. Poema de Baptiſmate et Euchariſtia.

A. C. CIↃIↃCXXXXIII.

52, H. GR. de Origine Gentium *Americanarum* Diſſertatio altera, aduerſus *Obtrectatorem*, opaca bonum quem facit barba.

A. C. CIↃIↃCXXXXIIII.

53, Ad *Vetus* et *Nouum Teſtamentum* Annot. H. GR.

A. C. CIↃIↃCXXXXVII.

54, H. GR. de Imperio ſummarum Poteſtatum circa Sacra.

A. C. CIↃIↃCXXXXVIII.

55, *Philoſophorum* Veterum Sententiae de Fato, et de eo, quod in noſtra eſt poteſtate, per H. GR.

A. C. CIↃIↃCLII.

56, H. GR. quaedam, ante inedita.

Digitized by Google

A. C. CIↃIↃCLIIII.

57, Historia *Gothorum, Vandalorum* et *Longobardorum*, ab H. GR. partim uersa, partim in ordinem digesta, cum EIVSD. Prolegg., ubi Regum *Gothorum* Ordo et Chronologia, cum Elogiis. Accedunt nomina appellatiua et uerba *Gothica, Vandalica,* cum Explicatione. Scriptores sunt, *Procopius, Agathias, Iornandes, B. Isidorus, Paulus VVarnefridus.*

A. C. CIↃIↃCLVII.

58, H. GR. Annales et Historiae de rebus *Belgicis*, usque ad A. C. CIↃIↃCIX.

A. C. CIↃIↃCLX.

59, H. GR. aliorumque praestantium Virorum Epistolae Ecclesiasticae et Theologicae.

A. C. CIↃIↃCLXVII.

60, H. GR. et *M. Berneggeri* Epistolae mutuae.

A. C. CIↃIↃCLXX.

61, H. GR. Epistolae ad *Isr. Iaskium.*

A. C. CIↃIↃCLXXIIII.

62, H. GR. Epistola Consolatoria, ad *Beni. Aub. Maurerium.*

A. C. CIↃIↃCLXXV.

63, H. GR. Historia *Iacobitarum.*

A. C. CIↃIↃCLXXVII.

64, H. GR. et *Martini Ruari* Epistolae mutuae.

A. C.

Digitized by Google

A. C. CIↃIↃCLXXXXV.

65, H. GR. Epistolae ad *Sim. Episcopium*, de *Tileno*, cum *Camerone* certante.

A. C. CIↃIↃCC.

66, *Iustini, Martyris*, Apologia, cum H. GR. Notis.

A. C. CIↃIↃCCIX.

67, *Menandri* et *Philemonis* Reliquiae, Graece et Latine, cum H. GR. Notis.

Ex Operibus HVG. GROTII *ineditis* quaedam in anteceſſum dabo, quamuis infra, in Bibl. MSS. GROTIANORVM, repetenda. Referuntur autem a *Ioanne Meurſio*, in Athen. Bat., ſeqq.

Commentationes in LEGES quaſdam *Iuris Iuſtin.* difficiliores, nominatim ſeqq.

L. Mater ff. de *inofficioſo Teſtamento.*

L. Frater a Fratre ff. *de condit. indeb.*

L. Eius, qui ff. *de rebus creditis.*

L. Lecta, eodem Tit.

L. Gallus ff. *de Lib. et poſth.*

L. C. *Familiae erciſcundae*, et alias quaſdam Iuris partes, exercitii gratia conſcriptae.

In *Orphei* hymnos, qui dicuntur, H. GR. Notae.

Moſaicae Hiſtoriae Illuſtratio, ex *Ethnicorum* ſcriptis.

Comparatio Rerumpublicarum, *Athenienſis*, *Romanae* veteris, et *Batauae.*

De hiſce H. GROTII MSS. notandum, a *Chriſti-*

Digitized by Google

na, Suec. Regina, ut ex ipsius *Epistola*, i) ad HVG. GROTII Viduam scripta, patet, a Vidua modo laudata, impenso pretio, empta fuisse, et in Bibliothecam *Holmiensem* translata. Vtrum spes aliqua supersit, haec luce tandem aliquando donatum iri, an, in nupero *Holmiensi* incendio flammis, una cum aliis libris, sint consumpta, aut, id quod non nulli plane suspicantur, ab ipsa *Gothorum Christina Romam* usque sint deportata, pro certo ponere non possum.

Antea uero, quam omnium atque singulorum GROTII Operum Editiones recensere aggrediar, Operisque GROTIANI palmarii, de *Iure Belli atque Pacis*, Editiones referam, tum de *Opere* ipso, tum de *Operis Interpretibus*, non nulla hic praemittere licebit. Ac principem quidem curam GROTIVS noster, si recte calculum duco, posuit in limatissimo hoc celebratissimoque *de I. B. et P. Opere*, quippe de quo dirigendo et in ordinem redigendo pauci cogitauerunt, rem certe ipsam, propter difficultatem, tentauit nemo. Vnus ante alios GROTIVS, unus, post GROTIVM, *Sam. Pufendorfius*, Viri, uel hoc nomine, immortaliter meriti, difficilimam rem, eo ausu, ea felicitate, sunt aggressi, ut, uno tempore, et nata pars

i) supra p. 594. conf. Obseru. Hall. T. VII, obseru. XV, §. XIV, p. 350.

Digitized by Google

pars haec Iuris, et uirile decus aetatemque, raro sane exemplo, consecuta uideatur, ac, sicut in Opere hoc GROTIANO magna omnia, et omnia solida, sunt, ita fundamenta ibi Iuris posita inuenias, frustra alibi quaerenda. Hinc tres hi Libri, *de Iure B. et P.*, in omni uita ualent, rationum pleni et exemplorum, ex omni memoria desumptorum, ceteroque libros omnes, qui de hac materia scripti sunt, longe multumque antecedunt. Suscepit hanc scriptionem, hortatu et subsidiis Illustris Viri, *Nicolai Claudii Fabricii Peireſcii*, Senatoris apud *Aquiſextienſes* multo eruditissimi, et, felicissimo successu, luculentissimam Doctrinae Moralis lucem affudit hoc Opere suo, *Parisiis*, A. CIↃIↃCXXV, in 8, ut uocant, maiori, primum edito, ob summamque sui praestantiam, communi omnium Eruditorum applausu, auidissime recepto.

Ante GROTII tempora, *Philippus Melanchthon*, communis ille *Germaniae* Doctor, et *Franciscus Baconus Verulamius*, Eques *Britannus*, viam reformandae Philosophiae, in Ethicis suis, feliciter ostenderunt, *Benedictus* item *VVinclerus*, in libro suo de Principiis Iuris, A. CIↃIↃCXV, radios quosdam clarioris luminis sparsit. Scripserat etiam, ante GROTIVM, *Albericus Gentilis*, *Italus*,

Digitized by Google

lus, de Iure Belli, Libros tres, duoſque, de Iure *Romanorum* Armorum, doctos quidem et eruditos, nec e ciuili ſolum Iure, ſed morali quoque et ciuili Prudentia, illuſtratos. Quibus tamen omnibus palmam praeripit, re et nomine magnus, ille noſter *Batauus*, HVGO GROTIVS, in uere palmario ſuo, de *Iure Belli et Pacis*, Opere, qui *Gentilem* et imitatus eſt, et caſtigauit, et ſupppleuit, et ſuperauit, acutius diſputans, atque altioribus e principiis eruens ſua, explicatius quoque omnia proponens. Nihil GROTIO defuiſſe in hoc literarum genere, audacter confirmo, in quo nec acumen Philoſophicum, nec Hiſtoriae notitiam, nec Iuris ſcientiam, temere deſideret ullus. Ingenium, iudicium, memoria, labor, omnia ſumma, in illo, ut credam, neminem in hoc argumento perfectius aliquid adhuc dediſſe.

Sunt, qui, libris Relectionum *Franciſci Victoriae*, *Hiſpani*, O. D. G., uſum fuiſſe GROTIVM, autumant, quanquam illae raro ab eo laudantur, quarumque, niſi memoria me fallit, mentio uel ſemel eſt facta in *Prolegg. de I. B. & P.* Extat Liber iſte Relectionum, et Theologis pariter, ac ICtis, maximo eſſe uſui poteſt, adeo quippe accurate et ſubtiliter diſſerens de rebus morum,

Digitized by Google

morum, ut sine admiratione legi non possit. Occurrunt Dissertationes de Bello, de Usuris, aliisque, in his Relectionibus, editis, et *Antverpiae*, et *Ingolstadii*, A. CIↃIↃXXX, *Lugd. Gall.* CIↃIↃLVII, et CIↃIↃLXXXVI, 8. Rariſſimae ſunt, et magno ſaepe pretio uenditae. Magna illis elogia tribuuntur a *Medina*. Quare non miratus ſum, HVGONEM GROTIVM tantum ex hoc ſcriptore profeciſſe, cum praeſertim ingenio praeſtaret *Gallos* tantum non omnes et *Hiſpanos*, nedum *Batauos* ſuos.

Diſcipuli *Franciſci Victoriae* fuerunt, *Ferdinandus Vaſquius* et *Didacus Covarruuias*, ambo *Hiſpani*, quos diligentiſſime GROTIVS legit. Neque uero minus in eodem opere Quaeſtionibus eſt uſus *Franc. Hottomanni* illuſtribus Controuerſiarum. Quae circa Quaeſtionem illam habet, *An iuſta ſit belli cauſa pro ſubditis, ut ab eis arceatur imperantis iniuria?* GROTIVS hauſit e *Stephani Iunii Bruti* Vindiciis contra Tyrannos, cuius libri haud alius Autor, quam *Hubertus Languetus*, fuit, quae vero de *Iudaeorum* doctrina, in Libris de Iure B. et P. afferuntur, e *Guil. Schiccarti* Miſchpat deprompſiſſe videtur.

Kormartus, in Libello, *Abregé des Memoi-*

res illustres, post recensitos alios commentarios, (vulgo *Memoires*) ad recensionem Libelli Gallici, *Essais de Montaigne illustre*, [1]) post insequentia uerba Gallica et allatum GROTII testimonium, *a scauoir, ou le uaincre par force, est plus glorieux, que par fraude*, (*uid.* GROT. *Lib.* III, *c.* I, §. 20, n. 3, *de Iure B. et P.*) statim adiicit, *qui* (GROTIVS) *huius Autoris* (Montaigne) *doctrinam in multis, et saepius de uerbo ad uerbum, annotauit.*

Similiter uult *Thom. Crenius*, eum, in hoc Opere, *Dionis Chrysostomi*, *Leon. Lessii*, aliorumque *Iesuitarum*, scriptis fuisse usum.

Verum, ne hoc quidem gloriae illi GROTIANAE caliginem inducit, splendorique uel *Operis*, uel IPSIVS SCRIPTORIS, detrahit quicquam, satis est, optima quaeque, et cum iudicio delectuque, delibata ab ipso, quasique recocta, et incomparabili huic Volumini fuisse inserta, uix ut ab ullo alio plenior operis huius perfectio in posterum speranda sit et expectanda.

Ius Romanum appellatur *Ratio scripta*, item, *Ius scriptum*, etiam a *Christophoro Thuano*, Senatus *Parisiensis* Praeside, a *Carolo* item *Molinaeo*, aliis-

1) L. I, c. I, p. 617.

Digitized by Google

aliisque Iureconsultis, idem ius tam aequum, ac tam rationi consentaneum, pronuntiatur, ut, omnium fere Christianarum usu et approbatione Gentium, Ius commune sit effectum, unde Reges quoque *Hispanorum*, quamuis ab Imperio *Romano* omnino se liberos profitentur, in Legibus tamen suis Leges Romanas *Ius* appellant *Commune*. Ita ipsi etiam *Iudaei*, lege *Mosaica* deficiente, ad Ius hoc *Romanum* recurrunt, *Turcique* Codicem habent Iustinianeum, quo utuntur in causis decidendis, *Ioanne Leunclauio* teste. Quid uero non dicendum erit de hoc incomparabili Opere GROTIANO? In quo fontes illi perennes monstrantur, ex quibus *Romani* Iuris limpidi riui rationesque firmissime deducuntur, quodque toties est recusum, in tot translatum linguas, ut exinde *Britanni*, *Bataui*, *Germani*, aliique populi, sint excitati, ad praestantissimi huius studii cultum mature suscipiendum. Vnde etiam *Iurisprudentia Naturalis*, proximo superiore seculo, plures habuit progressus, quam antea, per sesquimille et plures annos, cum praesertim finis, ne nunc quidem, ullus sit tot *Editionum*, *Notarum*, *Animaduersionum*, *Commentariorum*, *Stricturarum*, et similium, in Opus illud, Commentationum. Dolendum modo, Doctores, in Iuris Naturalis principiis inter se discre-

pantes, mutuó se proscindere, et Heterodoxiae, immo, Atheismi, inculpare audere, ut adeo haec Iurisprudentia haeretificandi rixandique malo inquinata fuerit, uerborum magis, quam rerum, rationem habentibus iis, qui uanis sese dediderunt λογομαχίαις, erroribus sese implicantes haud unis, &, in suis quisque principiis mirabiliter uariantes.

Alii enim, ut GROTIANI, Scholasticorum principia sequuntur.

Alii cum *Pufendorfio* quodammodo sentiunt. *Alii* ab utroque discedunt.

Alii noua plane principia introducere studuerunt.

Alii, nulli se astringentes principio, libera procedunt uia.

Alii, fundamenti loco, reuelatam substituunt religionem.

Extat de *Iure N.* et *G.*, ex mente *Hebraeorum*, Liber *Ioannis Seldeni*, qui Ius Naturae ad Iuris *Noachidarum* VII Capita reduxit. Propositum ipsi fuit, in hoc uolumine congerere, quicquid Iuris N. et G. ex sententia populi *Hebraei* habetur, utpote, cuius Leges, ex origine diuina et antiquitate, quam maxime memorabiles sunt. Ratione is igitur et uia peculiari usus, ex unius sententia gentis, de Iure N. et G. scripsit hunc Librum,

Digitized by Google

Librum, cui debent eiuſdem addi, de Synedriis *Hebraeorum*, et de Vxore *Hebraea*, Libri. *Seldenus* certe nimis philoſophice tractare uidetur *Ius Naturale*, non contemnendus ille quidem, ſed Dialogis ſuis inuoluit ſententias et abſcondit, ac, neſcio quid, interdum Platonizare uidetur. Hinc imperfectum omnino iſtud habetur Syſtema, tum, propter omiſſa I. N. Praecognita, tum, propter obſcurum quoque, incertum et minus domeſticum, fundamentum.

Paulo ante obitum GROTII, *Thomas Hobbeſius*, Malmesburienſis *Anglus*, uir ſubtilis et peracuti ingenii, iudiciique profundiſſimi, emiſit, *Lutetiae Pariſ.*, A. CIↃIↃCXLII, Librum ſuum de *Ciue*, ubi, naturalem hominis ſtatum talem eſſe, docebat, in quo bellum omnium contra omnes, et ius omnibus in omnia, et uoluntas laedendi in omnibus, ſit. Quanquam uero non inelegans eſtillud de *Ciue* opus, ſaepe tamen caute legendum uenit.

Aliquot poſt annis, A. nempe CIↃIↃCLI, alter eius foetus, cui *Leuiathanis* titulum fecit, prodiit, cum Libro de *Ciue*, *Amſtelodami*, CIↃIↃCLXVIII, *Gallica* etiam et *Anglica* lingua recuſus. Ego, quanquam, neminem adeo eſſe amentem, credam, quin *Hobbeſio* nimis tribuat, ingenue tamen

Digitized by Google

men fateor, omnè eius institutum mihi displicere, licet haud ignorem, ipsum *Samuelem* [1]) *Pufendorfium* non pauca ex his fontibus hausisse, et, ductu licet dispari, in suos ex GROTIO riuos corriuasse. Nam, etsi interdum acutius forsan cernat *Hobbesius*, uir in recondita hac lateque patente disciplina ceteroquin apprime uersatus, pleraque tamen eius chimaerae sunt, et contemplationi magis, quam usui, inseruiunt, ut optimum hic consilium sit *Conringii*, dissuadentis nimiam *Hobbesii* admirationem, ac multum praeponentis GROTII doctrinas, quae non magis ad philosophiam, quam ad omnes bonas literas, et ad Ius quodlibet, erudiunt. Quo magis etiam mihi in deliciis Christiana GROTII principia sunt, quam *Hobbesiana*, cum haec profana sint nimis et paradoxa, e quibus Ius Naturae plane aliter formauit, quam, quod e sanioris Philosophiae principiis extrui consueuit. Singulari hunc refutauit *Richardus Cumberlandus* Disquisitione, de *LL. Naturae, Londini Anglorum*, A.CIↃIↃCLXXII, edita, ubi illud, quod est in *Hobbesio*, praecipue tangit ulcus, quo detecto, non est tantus a gangraena ista in progressu Iuris metus. Ceteri huius

1) *Sam. Pufendorfius* tale iudicium de Scriptis *Hobbesianis*, tulit. *Nec parum debere nos profitemur* Thomae Hobbes, *cuius hypotheses, in libro de Ciue, etsi quid profani sapiant, tamen cetera satis arguta et sana.*

Digitized by Google

huius *Britonis* aduersarii fuerunt, *Scharroccius*, *Bramshallus*, *Heydius*, *VVardus*, *Clarendonius*, *Grandis*, *Coquius*, *Eadvvorthius*, *Morus*, *Barkerus*, *Haringthonius*, *Baxterus*, *Rachelius*, *Strimesius*, *Osiander*, *VVallisius*, *Conringius*. Alii, causam incongruentium ei fuisse dogmatum, putant, partim nouitatis, ex ambitione affectatae, amorem, partim Regi suo, *Carolo*, complacendi studium, partim intimam cum *Gassendo*, Epicuri sectatore, amicitiam, unde etiam defenditur a *Gassendo*, *Becmano* item, *Bredeloo*, *Velthusio*, aliisque paucis.

Omnium ergo laudem supergressus est MAGNVS ILLE HVGO eorum, qui Iuris N. et G. interiora scrutari tentauerunt, nec defuerunt, qui, post eius mortem, ad aeternum et inimitabile hoc opus, quod erudito orbi, ad perpetuam et immortalem nominis sui gloriam reliquit, commentarios, notas, animaduersiones, obseruationes, collegia, stricturas, edere certatim contenderunt.

Ante alios fere omnes in GROTII libros commentari coepit, *Ioannes Henricus Boeclerus*, uir ad haec studia natus, sed tantum usque ad VII Caput Libri II progressus. Nec possum hic celare, GROTIO interdum ipso hunc

Digitized by Google

esse obscuriorem. Molesta autem res est, si obscurior sit interpres eo, quem interpretandum suscepit.

In Libro I uix aliquid eximii praestitit, quippe in quo pauciſſima est interpretatus, cum tamen multa in eo Libro contineantur, quae magna indigent explicatione, et interpretis officium sit, sententiam exhibere Lectori claram. Occasione suppeditata, digressiones magnas facit, et argumenta pertractat, quae brachio nituntur leuiori. Illud tamen laudem meretur, quod primus explicauerit *Dominium eminens*, in quo consistat. Ante GROTIVM hoc termino usus est nemo, sed *Boeclerus* id *Dominium* exposuit, in quo consistat, eumque secutus est *Hornius*, qui tamen *Boeclero* pleraque debet, licet copiosius ea et dilucidius proponat.

In Libro II nihil affert, quod ad explanationem contextus pertineat, multasque facit digressiones ad uaria argumenta. Est quidem interdum aliquid in hoc commentario, quod, alicuius controuersiae, uel argumenti, occasione, uberius pertractari mereatur, non tanta tamen copia, nec tantis digressionibus utendum erat, ut constare uix posset, utrum in GROTIO, an in alio scriptore,

Digitized by Google

ptore, uerſeris. Vnde Ill. *Chr. Thomaſius*, 1) Specim. Iuriſpr. Judiciariae, haud inſcite de ipſo hunc in modum ſcribit.

Boeclerus *felix quidem fuit in dubiis movendis, ſed non aeque feliciter definiuit* 2) *quaeſtiones, cum plerunque lectorem relinquat incertiorem, quam antea fuerat, aut, ſicubi quicquam definiat, ratio tamen aſſenſum lectoris non meretur, partim, ob deficientem potiſſimorum arcanorum Iuriſprudentiae naturalis ſcientiam, partim, ob nimiam adhuc Ariſtotelicae Philoſophiae adorationem, et odium eorum, qui limatius philoſophari intenderant, partim, ob nimiam impatientiam diſſidentes etiam modeſte ferendi.*

Promiſerat etiam *Boeclerus*, ad finem ſe opus ſuum perducturum, ſicut in *Catalogis Nundinarum Lipſ. et Frf.* plus ſemel fecerat, incertum tamen dubiumque eſt, an ſteterit promiſſis. Putauerunt, *Boineburgium* in culpa eſſe, uerum traditio iſta mihi non ſatis uera uidetur. Quid enim, quaeſo, deceſſiſſet Illuſtr. *Boineburgio*, ſi integrum

1) CAP. VI, §. IV, p. 62, ſeq.

2) De hoc commentatore *Sarcmaſius*, ſiue *Conradus Sam. Schurzfleiſchius*, A. CIↃIↃCLXIX, iudicabat, *Eum magis ex commentariis, quam ex ingenio, ſapere, eumque ſcribere ſaepe in rebus moralibus frigide, definire controverſias Iuris Nat. et G. perplexe, decidere dubitanter.*

Digitized by Google

tegrum opus lucem aſpexiſſet? Sed, ut ego quidem exiſtimo, omittent heredes edere, Opus tam imperfectum. Quoniam enim *Boeclerus* ipſe manum ſuis ultimam non addidit, magna eorum ἀκρίβεια ſperanda uix eſſet. Quod ſi uero continuaſſet opus ſuum *Boeclerus*, haud paruam ſane occaſionem dediſſet enucleandi uarias materias, praecipue, quae in Iure publico et inter Societates uigent. Editum eſt in Belgio *Ius* ejus *Feciale*, quod faciem habere uidetur eam, quam uoluit oſtendere in continuatione operis GR. *Boeclerus*, ſed iſte liber eſt paruus. Interea hoc etiam laudandum in *Boeclero*, quod bonas *Tabulas* in GROTIVM concinnauit, affixas extremae Parti primae, ubi uiam utique inſignem monſtrauit legendi operis GROTIANI. Eas uero *Tabulas* ab illuſtriſſ. Barone *Boineburgio*, Equite aurato, Sereniſſ. Principis *Moguntini* Conſiliario intimo et ſupremo Mareſchallo, accepit, qui, pro ſingulari ſuo in ſtudia quoque ciuilia animo, id monumenti, a Conſiliario Regni Suecici, *Ioanne Paulino Olivecranzio*, teſte *Simone Henrico Muſaeo*, confecti, *Boeclero* liberaliter ſummiſit. Cum autem, in ampla illa et uſitata forma, minoris moduli libris parum commode iungantur *Tabulae* eiuſmodi, contractis ad paginarum men-

Digitized by Google

menſuram, numero autem multiplicatis ſpatiis, propoſuiſſe, nec argumento, neque Lectori, opinor, fuerit fraudi. Optandum hic quoque eſſet, ut acutiſſimi item *Iacobi Thomaſii* in GROTIANVM Opus *Tabulae*, in uſum GROTIANAE huius Philoſophiae Cultorum, recuderentur, quin etiam celeberrimi *Ioann. Chriſtoph. VVagenſeilii* Annotata in eos GROTII locos, quos ex *Rabbinorum* monumentis paſſim indicauit, uel tandem proferrentur in lucem, lucem pariter aureo huic operi non dubie allatura.

Secundus GROTII Interpres eſt *Ioann. Feldenus*, Profeſſor Mathematum *Helmſt.*, qui ſcripſit *Animaduerſiones* in GROTIVM, urgens dubia Logicae et Ariſtotelicae Philoſophiae. Communicauerat is priuatim cum auditoribus dubia non nulla circa GROTIVM, eo animo, nunquam ut in lucem ederentur, unde etiam *Animaduerſiones* uocabantur *Auditorum*. Erat enim uir ingenio ſatis acuto et iudicio acri. Eiuſmodi tamen *Animaduerſiones* aliquis publici iuris fecit, praeter mentem et conſilium *Feldeni*. Vbi coeperunt in publicum prodire, in manus uenerunt *Theodori Graſuincelii*. Is *Defenſionem* inſtituit GROTII ſui, calamumque ſtrinxit in *Feldenum*. Hic, cum liber ederetur, tueri ſe uoluit, ſed ita exacerbatus ſaepe fuit, ut calamum

Digitized by Google

in mensam proiecerit, ob *Grasuincelii* imperitiam in Philosophia, in qua sane tam erat hospes, quam quis esse potest, nulloque modo potuit comparari cum *Feldeno*, qui Philosophus erat insignis. Verum, ob iram, ut dicitur, non potuit eum recte refutare, et melius feciſſet, si *Animaduersiones*, uti nominat, non edidiſſet. Interim permotus fuit, sententiam suam proponere paulo plenius, et ostendere, andabatarum more modoque aduersarium pugnare.

Tertius est *Caspar Ziglerus*, Iureconsultus *Vittembergensis*. Is *Animaduersiones* scripsit in GROTIVM, sed modeste satis. Non enim temere ipsum incusat, quin laudat potius, et alios cohortatur, ut diligentes sint in eius lectione. Quaedam in Opere confirmauit, quaedam etiam confutauit, in primis uero, quae theologicos errores sapere uidebantur, quaedam limitauit, autorem tamen non explicauit, sed intra suas sese Animaduersiones continuit, quod ipse fere his profitetur uerbis.

Non possum, nec uolo, multa de eo promittere, quandoquidem tumultuaria saepe opera excidit, ut fieri solet, quando ad demensum temporis res peragenda est. Doleo enimuero, atque id tam saepe male me habuit, quod liber tam insignis, tam praeclara prudentia refertus, non potuerit enucleari consideratius. Et

Et ibidem, paulo post.

Ego, tum GROTII *stupendam, et, in omni literarum genere, oppido quam exercitatam, eruditionem, tum et in rebus probe subactum et uersatum iudicium, reueritus, num quid in hoc genere praestare, et eius sermonem, concisum saepe et inuolutum, iusto interpretamento indipisci, possem, mecum dubitabam.*

Quartus est *Ioannes Adamus Osiander*, qui *Obseruationes* in hoc Opus scripsit, quibus impugnat ea, quae *heterodoxa* uidentur. Sed facile est, aliquem in lapidem impingere, cum in alienae Religionis Scriptoribus insidias semper metuamus. In reliquis uitulo arat *Zigleri*. In Libro I copiosior est, in II parcus, in III deficit prorsus. Quod ad Librum I attinet, in eo multa Theologica immiscet, et praecipue ex scriptis *Rabbinorum* et ueterum Christianorum. Vbi quicquam in GROTIO inuenit, quod ex iis illustrari posse uidetur, est copiosior, et integra folia e *Rabbinis* conscripsit. Verum GROTIVS in *Rabbinorum* scriptis longe illo uersatior fuit. Argumenta praeterea, quae habet, saepe sunt imbecilliora. Interdum tamen, fateor, non contemnenda interspersit, in primis, quae faciant ad Codicem S. explicandum. Nam id, tanquam Theologiae Doctor, praestare potuit, officio-

Digitized by Google

que eius congruit, licet, contra cordati officium Theologi, modestiae terminos excedat, quod fieri saepe solet a Theologis, quippe qui suos etiam habent naeuos, nec minus, quam homines alii, humani nihil ab se alienum esse, putare debent. In Libro II cur pauca attigerit, causa haec est, quod non fuerit Iureconsultus. Quicquid ex aliis excerpere potuit, arripuit, studuitque semper aliquid in Scholasticis DD. inuenire, quod GROTIO adderet. Verum ipsam rem reliquit, ut plerunque faciunt illi, qui relinquunt ea, quae praestare non queunt. Libro III tantum non plane nihil agit. Itaque etiam hic Scriptor parum Lectoribus prodesse potest, praecipue circa contextus expositionem, quippe quem plane non explicat, uerum, si quid in theologicis inuenit, hoc audacter aggreditur, cetera prorsus intacta relinquens.

Quintus est *Henricus Henniges*, qui nec ipse explanat GROTIVM, mentem eius in multis haud assecutus, id quod patet, si interpretatio eius coniungatur cum GROTII contextu. In Philosophia morali non uidetur admodum uersatus, unde titubanter illos attingit locos, qui explicandi essent e Philosophia practica, et, ubi digressionem facere potest, non id intermittit, Quaestionesque Politicas infer-

Digitized by Google

fercit. Verum, non opus est, in GROTIO politica tractare. Quare Annotationes eius parum habent utilitatis. Tractat multa aliena et nihil facientia ad interpretationem GROTII, sicut inter alia copiose agit de hac Quaestione, *An Iudaei in Republica sint tolerandi?* Haec res est otiosa, cum in *Recessibus Imperii* receptum ita sit, ut tolerentur. Voluit praeterea sua dicta tanquam oracula uenditare, ut ipse scribit in Praefatione, *si quis audeat contra hunc scribere, sibi caueat*, quasi foenum habeat in cornu, et quasi apud illum res omnis sit in saluo.

Ioannis Frider. Gronouii Commentarius extemporalis esse uidetur, neque a *Gronouio* ea mente concinnatus, ut lucem aliquando aspiceret, ex eo tamen potissimum commendandus, quod in *Vocabulorum* GROTIANORVM ἐνέργειαν inquirat, iisdemque saepius substituat clariora. *Corn. van der Meulen*, in suo ad GROTIVM Commentario, Annotata *Gronouii* reliqua adiecit, ante non edita, breuiora illa quidem et plerunque in operis dispositione occupata, aut in critica Vocabulorum quorundam explanatione, sed, ubi exempla, uel alia memorabilia, ex ueteribus à GROTIO adducuntur, ibi uel addit locos scriptorum praetermissos, uel commendat alios, in quibus ea de re legi plura possunt. *Gro-*

Digitized by Google

nouius, Iunior, male tuliſſe dicitur horum editionem *Annotatorum*, quippe quae hoc conſilio minime ſint ab Autore elaborata, iuris ut publici fierent, ut ipſe quoque mirer, Dn. *Mylium* eo animum induxiſſe.

Ex *Ienenſibus* D. *Ioann. Georgius Simon* bene multas *Notas* et *Animaduerſiones*, paucas tamen ad explicationem contextus GROTII facientes, editioni ſuae *Ienenſi* ſubiunxit. Peculiarem is dedit operam, ut locos, quos uocant, *parallelos* accurate annotaret, percommodos ad hoc opus ita uerſandum, ut GROTIVM ex ipſo GROTIO intelligamus recte, nobiſque familiarem reddamus, de qua editione non parum gloriatur *Bailius*, in Lexico ſuo hiſtorico Critico, GROTIVS, *apres ſa mort, a obtenu un honneur, que l' on n' a fait aux anciens, qu' apres une longue ſuite de ſiecles, ie ueux dire, qu'il a paru*, cum commentariis uariorum, a *Francfort ſur l' Oder*, l' an. CIↃIↃCXCI. *Parallela* haec *Simonis* in operis ora ſimul ſunt adiecta, de quibus *Autor Praefationis* ſic loquitur.

Non ſolum diſtinctis celeberrimi Dn. Simonis, *animaduerſionibus illuſtrata, ſed et nouis Locorum Concordantium adiectionibus marginalibus, quatenus quidem ab eiusdem Auditoribus impetrari potue-*

Digitized by Google

uerunt, fideliter aucta. Vtilitatem laboris tua sponte, Lector, experieris, tum maxime, si quando tecum pensitaueris, quot structurae, quot dissensiones, quot refutationes, inter eruditos, ex unilaterali censura huius Autoris assertorum, propullulauerint, quibus tamen non parum te mederi ualere, arbitror, si multifarias tractationes, hypotheses aeque, ac exortas ex iisdem conclusiones, sedulo collegeris, inuicem comparaueris, et decenter combinaueris.

Ioannes Tesmarus, in *Notis* suis plura sane ornamenta, quam subsidia Iuris naturalis prudentiae, exhibet, multa in GROTIVM tum *Exempla*, tum alia, parum necessatia, coaceruans.

Promiserat quoque *Martinus Schookius* quaedam in illum, quae tamen non uiderunt lucem, sed morte eius sunt intercepta. Dubito autem, an operae pretium facturus fuisset. Nam, quantum ex Dissertatione eius, de *Iure Naturali*, colligere licet, operose quidem satis in hoc argumento, sed non tanto cum delectu, versatur. Fuit enim illi plerunque extemporalis librorum scriptio, qualem certe ab argumento tam gravi abesse prorsus, decet.

Valentinus autem *Velthemius*, utrum *Introductione* sua a GROTIO magis abducat, an

Digitized by Google

in eius opus introducat, iudicent alii, [1]) sane parum conducit ad percipiendum GROTIVM, occupatus potissimum in uariarum uentilatione *Controuersiarum*, res claras obscuritatibus metaphysicis inuoluens, unde paucis satisfacit, ut uel sola ignoratio Iuris ciuilis *Velthemium* ab hoc labore detinere debuisset.

Vlricus Obrechtus Commentarium scripsit, *Tesmariano* subnexum, sed eruditioni *Obrechtianae* haud respondentem.

Gothofr. Spinaei, Prof. Lugdun. Batani, Notae ex *Ziglero*, *Osiandro* et *Gronouio*, sunt exscriptae.

Ioan-

1) Verum utique est, quod ill. C. *Thomasius*, in progr. quodam, §. XXVII, profert, GROTIVM *a professoribus et eorum commentariis magis partim obscuratum fuisse.* Et *Kulpisius*, in praefat Collegii GROTIANI, sequentem in modum loquitur. *Si isthoc scribendi genere perrexerimus, futurum penitus, credo, ut parta sequantur* GROTIVM *fata, ac Ius Romanum et Philosophia* Aristotelis, *multa infelicitate, senserunt, ex quo infinitae interpretum quorumcunque expositiones accesserunt traditionesque, siquidem deinceps non tam de rebus ipsis, quam uerbis* GROTII, *procul dubio, essemus solliciti, ac tandem super ipsis interpretum sententiis diuersisque opinationibus philosopharemur, donec notarum notae et in commentatores commentarii iterum prodirent, qua quidem re nihil est stolidius, nihil ad impediendam ueram eruditionem fortius, nihil ad Barbariem propius. Quanto consultius fuerit, cum ipso* GROTIO *propiorem quandam contraxisse necessitudinem, ac disciplinam eius penitius imbibisse.*

Digitized by Google

Ioannes Georgius Kulpisius GROTII libros in Disputationes eruditas redegit, additis subinde scriptoribus, qui cum locis GROTIANIS sint conferendi. Hoc Collegium GROTIANVM, A. CIↃIↃCLXXXII editum, Commentarius proprie non est in libros de *Iure Belli et Pacis*, neruosam tamen et lucidam GROTII expositionem exhibet, ibidemque Commentatores inueniuntur et Autores, qui a GROTIO uel dissentiunt, uel consentiunt cum eo.

Conradus Samuel Schurzfleischius GROTIVM, cum Annotationibus, in lucem edere uoluit, sed, morte praeuentus, propositum suum exequi non potuit.

Samuel Pufendorfius denique hoc argumentum, de *Iure N. et G.*, speciatim sibi tractandum sumpsit, quem ipsum loquentem audiamus, *Praef.* ad Opus suum *de I. N. et G.*

Palmam hactenus tulisse iudicatus fuit, non praeter meritum, HVGO GROTIVS, *qui et primus seculum ad istam disciplinam aestimandam euocasse uidetur, et ita in eadem est uersatus, ut circa magnam ipsius *) partem ceteris nil, nisi spi-*

* Nec est, quod quis obiiciat, GROTIVM suos hinc et inde passum esse manes. Id enim nemo negabit, cum passim errorum GROTIANORVM Elenchi inueniantur, nec ipse diffitea-

Digitized by Google

cilegii laborem, reliquerit. Fatendum tamen est, non pauca ab ipso plane esse praeterita, quaedam leui duntaxat brachio tractata, quaedam denique admissa, quae, et ipsum hominem fuisse, arguerent. In primis autem non exiguam nobilissimo operi labem aspergunt, queis passim a receptis orthodoxae) *Ecclesiae sententiis diuersus abit.*

Ille

atur, se non consummatum opus confeciſſe, ſed eiuſmodi, cui adhuc quam plurima addi deberent ac poſſent.

*) Sed *Pufendorfius* poſtmodum ipſe eiuſdem Heteroxiae inculpatus fuit. *Ioſua* enim *Schwarzius*, theologiae Profeſſor *Lundinenſis*, qui, A. CIↃIↃCLXXIII, Indicem nouitatum quorundam, quas *Sam. Pufendorfius*, in libro ſuo de Iure Naturae et Gentium, contra orthodoxa fundamenta, *Lundini Scanorum*, ſuppreſſo nomine, edidit, *Pufendorfium* ut hominem peſſimum deſcripſit, eumque *Socinianiſmi*, *Zuinglianiſmi*, *Gentiliſmi*, *Hobbeſianiſmi*, *Carteſianiſmi*, et neſcio cuius adhuc grauioris haereſeos, accuſauit. Hinc ergo, poſtpoſitis omnibus his naeuis, opus GROTIANVM, de *Iure Belli et Pacis*, magni fecerunt omnes omnium nationum eruditi & illuſtres uiri. Interim mihi arridet uerba *Becmani* non parum ad defenſionem GROTII inſeruitura. *Dolenda certe*, inquit, *rei literariae iſta infelicitas, qua gloriae nobis uertimus, ſi quid boni ab altero prolatum impetere poſſimus, quaſi uero non omnibus nobis in excitanda e ruderibus imagine diuina laborandum ſit, quod certe, non ſubtrahendo rebus inuentis, ſed addendo, effectum dabitur. Mechaniti longe melius in rebus ſuis verſantur, quibus, ſi bonae frugis ſunt, non rem ab aliis ſuae ſortis male geſtam carpere. ſed eandem etiam perfectam magis perficere, curatio eſt, unde et tanta rerum, a mechanitis dependentium, noſtro tempore ſublimitas. At nos, meliorum haudquaquam ſatagentes, ſatis nobis ducimus, alit-*

Digitized by Google

Ille, ſcribunt Collectores Actorum Eruditorum Lipſ., ad A. CIↃIↃCCVII, *literarum humaniorum et Philoſophiae, ac in primis Matheſeos, ſingulari ſcientia, iudicio ſolido, exquiſito et a praeiudiciis aliorum libero, ſedula optimorum Autorum lectione, eruditorumque ſuae aetatis familiari opera, adiutus, incluta in primis* GROTII *veſtigia ſequi, et, quae imperfecta, in Iuris N. ac Gent. doctrina, uidebat, heroico conatu, ſucceſſu feliciſſimo, frendentibus licet plurimis, tantique gloriam operis ipſi inuidentibus, ipſe perficere coepit. Meditatus enim ea, quae in* GROTIO, Hobbeſio *aliisque, legerat, et ordine Geometrico complexus, amicorum ſuaſu, primum in* Belgio *edidit*, A. CIↃIↃCLX, *Elementa Iurisprudentiae Vniuerſalis.**) *Deinde*, Heidelbergam *ab Electore Palatino*, Carolo Ludovico, *Profeſſor Iuris N. et G. uocatus, dum* GROTIVM *publice interpretaretur, quid ſuis deeſſet Elementis, quotidie magis intelligens, illuſtriſſimi potiſſimum* Boineburgii *ſuaſu, excitatus, quam* Boe-

aliena refutaſſe. Sic, quid res non ſit, ſcimus cum ignariſſimis, quid uero demum ſit, aeternum ignoramus. Optimum monitum, cunctis, caeco ſtudio praeoccupatis, merito commendandum.

*) Ea *Carolo Ludouico*, Comiti Palatino ad *Rhenum*, Electori, inſcripta ſunt, ubi, in praefatione, non diffitetur autor, quod *Erhardus VVeigelius*, quondam Matheſeos Profeſſor *Ienenſis*, apud quem, totum per annum CIↃIↃCLVII, ut patet ex Eride Scandica. moratus erat, *Pufendorfium* ad hoc opus incipiendum adhortatus fuerit, in non nullis quoque facem ipſi utiliſſime praetulerit.

Digitized by Google

Boeclerus, Conringius, Rachelius, *praestare operam, de formando methodico Iurisprudentiae Naturalis Systemate, noluerant, ipse modeste suscepit, dexterrime praestitit, edito, A.* CIↃ IↃ CLXXII, Londini Scanorum, *quo Professor Iuris primarius a Rege* Sueciae *uocatus fuerat, opere maiore de Iure N. et G., quod, duobus interiectis annis, quarta fere parte auctius prodiit* Francofurti. *Hoc opus cum interpretandum autor noster susciperet, accurata potius paraphrasi, quam Panegyrica opera, defungi maluit, quam potissimum superfluam, censuit, esse in eo opere, quod communi nunc eruditorum approbatione teritur, tot repetitis editionibus imprimitur, studio tanto et ab aliis gentibus desideratur.*

Quam clementer uero dedicatio et ipsum opus ab illustrissimo Electore *Palatino* acceptum fuerit, testantur *literae* sequentes, ad *Pufendorfium* perscriptae.

CAROLVS LVDOVICVS, DEI GRATIA, COMES PALATINVS RHENI, S. R. I. ARCHITHESAVRARIVS ET ELECTOR DVX BAVARIAE.

Doctissime uir singulariter nobis dilecte,

Accepimus, una cum literis tuis, librum, nuper a te editum nobisque inscriptum. Grata nobis non minus est eius dedicatio, quam iucunda erit lectio, utpote ab argumento commendabilis, et qui Autoris eruditionem publice manifestam facit. Gratitudinem nostram, eo nomine, tibi testari non inter-

Digitized by Google

intermittemus, et, ut ſingulari omnes fauore proſequimur, qui bonis literis promouendis operam ſuam impendunt, ita et te eodem nos complecti, tuaque erga rem literariam merita in pretio habere, plane te perſuaſum eſſe, cupimus. Heidelbergae, *d. 29 Sept.* CIↃ IↃ CLX.

Amicus tuus beneuolus,

CAROLVS LVDOVICVS.

Doctiſſimo Viro, ſingulariter nobis dilecto, Samueli Pufendorfio.

Epitomas ex Opere GROTII confecerunt, *Guilielmus Grotius*, HVGON. frater, *Mullerus*, *Schefferus*, *Vitriarius*, *Suicerus*, *Willembergius*, *Ianus Klenckius*, qui Libello ſuo titulum ſuſpendit magnificum *Inſtitutionum Iuris* N. et G., nihil tamen aliud agit in illo, quam GROTII pediſſequum, ratione uſus *erotematica*, ſententiaſque eius in ſummam redigens, quae eo conducunt, ut ex iis breuiter perſpici ea et repeti poſſint, quae fuſe GROTIVS tractat, quam ob cauſam, una cum *Pufendorfii* Libro, de *Officio Hominis et Ciuis*, a uiris doctiſſimis commendatur hic Libellus, praeſertim iis, quibus uia breuior placet et ſufficit, licet non raro *Klenckius* hic a GROTIANA mente recedat.

Ab *Curtino* male in linguam *Gallicam* traductum, *Notisque* obſcuratum magis, quam illuſtratum, eſſe GROTIANVM Opus, teſtatur 1) *Barbeyracus*. Idem

1) in praef. ad Verſ. Gall. *Pufendorf.* §. XXX, extr. quamuis ille rationes ſui diſſenſus ibi non adduxerit. Noua editio *Barbeyracianae* uerſionis prodiit A. CIↃIↃCCXXIV.

Digitized by Google

Idem Opus, cum *Annotatis* ipsius *Autoris*, e Latina in *Germanicam* linguam translatum est a *P. P. S.*, nato *Schuzio*, Comitum Ruthenicorum Plauiensium Consiliario, rerumque feudalium Directore et Ephoro, cum Praefatione ill. D. *Christiani Thomasii*, Lipsiae, A. CIↃ IↃ CCVII, de qua *Versione* ita *Acta Erudit. Lipsi.* loquuntur.

In genere igitur nobis asserendum est, quod summa diligentia ac exquisito judicio, tum textus GROTII, *tum singula ejus Annotata, Germanice reddita sint. Et, ne quid desiderari posset, Versus, quos, exprobatis autoribus, sparsim insperſit* GROTIVS, *metro Germanico noster quoque eleganter inclusit.*

Et, alio loco.

Quam potens Schuzius *linguae Germanicae sit noster, doctissimis scriptis aliis, ἀνωνύμοις editis, quorum nos quoque mentionem fecimus, in Actis Anni superioris, p. 91, 92, abunde hactenus comprobauit.*

Restat, ut de *Epistolis* aliquid et *Poematis* addam. Vt in omnibus Lucubrationibus suis magnus est GROTIVS, ita in *Epistolis*, itemque *Poematibus*, INCOMPARABILIS PRORSVS AC DIVINVS FVIT, ausimque dicere, nihil ab utrisque maximae TANTI HEROIS FAMAE decessurum. Opus uastum *Epistolarum* GROTIANARVM, quae antehac in bibliothecis uirorum illustrium delituerunt, editum a *Blae-*

Digitized by Google

a *Blaeuio* eſt. Continentur in illis uaria, ut ingenium ipſi fuit ad omnia natum, Politica, Eccleſiaſtica, Iuridica, Philologica, iudicia de libris, et alia, notata maxime digna. Nec deeſt *Epiſtolis* orationis cultus, quanquam ſtylus, ut *Morhofius* a) iudicat, ipſi interdum ex argumento ſordes aliquas trahat, et ſe ad hominum, quibus ſcribit, indolem componat. Reperiuntur enim, *pergit Morhofius*, b) interdum Epiſtolae, ſimplici plane humilique dictione ſcriptae, ac ſine ulla moroſa meditatione. Verum, GROTII ne, an *Morhofii*, ſtylus palmam promereatur, cuiuis perpendendum relinquo. Certe, cum rem aliquam unice GROTIVS agit, nemo uel diſertior eſt Orator ipſo, uel dulcior Poeta, uel neruoſior Hiſtoricus, adeo ubique uir ille ſui ſimilis eſt, et, uelut in fundo ſuo, dominatur. Quis enim lenioribus, aut magis ad gratiam compoſitis, uerbis amicos affatus eſt? Quis magnificentioribus uerbis laudauit? Quis diſputauit fortius et preſſius? Quis ornatius, quis ordinatius, uel narrauit, uel docuit? Quis eſt, inter eos, quos commercio *Epiſtolarum* dignatur, quin, doceri ſe et ad uigorem quendam altiorum cogitationum tranſferri, ſentiat, quoties GROTIANA legit? Quem non rapit in ſtuporem illa tot ſcientiarum expedita et in promptu poſita notitia, illud, e locuple-

a) Polyh. I, XXIV, 194. b) d. l.

Digitized by Google

cupletiſſimo memoriae penu, tot nominibus, tot libris, exuberans iudicium; illa par rebus, par nationum ingeniis, non unius linguae, eloquentia, qua in publicis nihil grauius exactiuſque, in priuatis familiarius nihil ac dulcius, illa, inter immenſam curarum illuſtrium molem, tot amicorum et clientium deſideriis literiſque ſufficiens, aſſiduitas? Ne per ſingula tardius eam, fatebuntur uel aemuli, omnem omnis eum eruditionis orbem perluſtraſſe, qui de rebus omnibus ita potuerit loqui. Hoc fatendum certe, in Epiſtolis GROTII multa eſſe, quae ſtatum uniuerſae illo tempore *Europae* declarent, quaeque aliunde uix, ac ne uix quidem, petantur. Haec enim *Epiſtolarum* natura et potiorius eſt, nuntiare, quae geruntur paſſim, notare ſcopulos lapſuſque mortalium, indicare pericula obiua, coniicere de futuris, et autoritate innoxia res diiudicare praeſentes. Verum plura de GROTIANIS *Epiſtolis*, earumque editionibus, et, ubi locorum *ineditae* complures lateant, inſequens *Bibliothecae* Scriptorum H. GROTII, tum *editorum*, tum *ineditorum*, Enumeratio, ſeu mauis, Bibliotheca, docebit. Vnum hic addo, certis quibuſdam *Numeris* fictiſque *Nominibus* uſum in *Epiſtolis* eſſe non raro GROTIVM, quorum ego *Clauem* ſi fortaſſe adhuc impetrauero, eam, Lector beneuole, communicare, uel in operis huius extremo, licebit.

NO-

Digitized by Google

NOTITIA CATALOGORVM ET C.

EX QVIBVS

HVGONIS GROTII

SCRIPTORVM,

TVM EDITORVM, TVM INEDITORVM,

INSEQVENS BIBLIOTHECA,

MAXIMAM PARTEM, EST COLLECTA,

ORDINE REGIONVM

ET SITARVM IN IIS VRBIVM.

* * *

IN BELGIO.

AMSTELODAMI.

Henrici Laurentii, 1647, 8.
Ioannis Blaeu, 1659, 8.
Laurentii uan der Hem, 1684, 4.
Petri Coeniſſen, 1698, 4.
Cornelii Nicolai, 1698, 8.
Wetſteniani Bibliopolii, 1699, 8.
Alberti Benteſii, 1702, 8.
Daniel Arendts, 1705, 4.
Ioann. Theodori Schalbruchi, 1723, 8.
Petri Calkoen, 1724, 8.
Iournal des Sçauans, ad A. C. 1724.

FRANEQVERAE.

Joannis uan der Wayen, 1702, 8.

HAGAE COMITVM.

Dalmann. 1723, 8.

Digitized by Google

Theodori uan der Lith. & Ioannis Tuldeni, 1724, 8.
S. Philippe, 1726, 8.
Iacobi Kryſii, 1727, 8.

LVGDVNI BAT.

Nicolai Heinſii, 1682, 8.
Adriani uan der VValle, 1684, 4.
Iacobi Oiſelii, 1687, 12. mai.
Ripperti a Groenendick, 1696, 8.
Friderici Spanhemii, Fr. F. 1701, 8.
Dauidis Knibbe, 1702, 8.
Iacobi uan Zanen, 1704, 8.
Gerardi Caſteleinii, 1705, 8.
Lugdun. Bat. Academiae, 1716, F.
Anonymiana (*prout ipſe libri titulus habet*) cum Danielis Deſmarets coniuncta, 1716, 8.
Ioannis Meurſii Athenae Batauae, 1625, 4.

TRAIECTI AD RHENVM.

Ioannis Georgii Graeuii, 1703, 12. mai.
Vltraiectinae Academ. 1670, F.

IN BRITANNIA.

LONDINI.

Preſtonianae Bibliothecæ, 1697, 4.
Mr. du Prat, 1699, 8.
Guilielmi Bateſii Vitae ſelectorum aliquot uirorum, 1681, 4.

OXONII.

Bodleianae Bibliothecae, 1674, F.
Angliæ et Hiberniae Librorum MSS., 1697, F.

IN

Digitized by Google

IN GALLIA.

LVTETIAE PARISIORVM.

Ioannis Cordesii, 1643, 4.
Caroli Mauritii le Tellier, 1693, F.
I. A. & F. A. Thuanorum, 1679, 8. (rec. Lauemburgi ad Albin, 1704, 8.
Card. du Bois, *Hagae Com.* 1725, 8.

IN ITALIA.

ROMAE.

Ioann. Gualteri Slusii, 1690, 4.

IN GERMANIA.

ALTONAVIAE.

Daniel Sassii, 1718, 8.

ARGENTORATI.

Vlrici Obrechti, 1721, 8.

BEROLINI.

Andr. Erasmi de Seidel, 1718, 8.
Io. Frid. Mayeri, 1715, 8.
N. Brunsenii, 1724, 8.
Bibl. insignis, Auctionis lege uend. d. 16 April. 1725, 8.

CASSELLIS.

Ioannis Bertrami Crameri, 1724, 8.

DRESDAE.

Matthiæ Zimmermanni, - - , F.
Sebastiani Schuberti, 1682, 4.
Adami Christophori Jacobi, 1693, 8.

Digitized by Google

N. Starckii, *Chiliarchae*, 1696, F.
Christophori Schraderi, 1710, 8.
N. Alemanni, 1720, 8.
Henrici Pippingii, 1723, 8.
Anonymi Bibl. uend. d. 11 Junii, 1694, F.
d. 12 Martii, 1725, 8.

FRANCOF. AD MOEN.

Martini Lipenii Biblioth. Philosophica, 1682. F.
Theologica, 1685, F.

FRANCOF. AD VIADRVM.

Iohreniorum, 1717, 8.

GEDANI.

Abrahami Heyseli, 1692, 4.
Andr. Kuhnii, 1702, 4.

GLVCKSTADII.

Ioachimi VVolters, 1721, 8.

HALAE SAXONVM.

Christophori Krausii, 1709, 8.
Ioannis Francisci Buddei in Praef. Lutheri Epistolarum Tomum, III, 1717, 4.
Vffembachianae Bibliothecae MSS. 1720, F.
Ioannis Michaelis Heineccii, 1723. 8.

HANNOVERAE.

Kielmannseggiorum Pars I, 1724, 8.

HAMBVRGI.

Samuelis Schulzii, 1701, 8.
Ioann. Alberti Fabricii Bibl. Graeca, 1705, -1722, 4
Eiusd. Notitia Veterum Autorum Latinorum, 1712, 8.

Kiel-

Digitized by Google

Kielmannſeggiorum Pars II, 1719, 8.
Pars III, 1720, 8.
Bernhardi Matfeldii, 1722, 8.
Ioan. Alberti Fabricii Notitia eorum, qui Veritatem Religionis Chriſtianae, aduerſus Atheos, Mahumedanos alioſque, defenderunt, 1725, 4.

HELMSTADII.

Antonii Guerneri Cunonis, 1707, 8.

IENAE.

Ioannis Chriſtophori Koecheri Diſſertatio Epiſtolica, Hiſtoriam Libelli GROTIANI, de Veritate Religionis Chriſtianae, complectens, 1725, 4.

KILONII.

Marquardi Gudii, 1706, 4.

LIPSIAE.

Chriſtiani Friderici Franckenſteinii, Senioris, 1679, F.
Iacobi Thomaſii, 1685, F.
Valentini Alberti, 1698, 8.
Friderici Benedicti Carpzouii, 1700, 8.
Ioann. Chriſtoph. Falkneri, 1704, 8.
Ioachimi Chriſtoph. Ludouici, 1705, 8.
N. Freiſlebeii, 1708, 8.
Henr. Auguſtini Groſchupfii, 1711, 8.
Thomae Fritſchii, 1711, 8.
Erneſti Guntheri Boeſchenii, 1712, 8.
Ioann. Gottlieb Hardii, 1714, 8.
Ioannis Iacobi Ryſſelii, 1714, 8.

Digitized by Google

Ioannis Guntheri, 1715, 8.
Alexandri Christii, 1715, 8.
Ioann. Gottlieb Krausii Ephemerides rei literariæ nouæ, Germanice, ab A. 1715 usque ad 1726, 8.
Christiani Godofredi Franckensteinii, 1718, 8.
Ioannis Dornfeldii, 1721, 8.
Abrahami Ihlii, 1721, 8.
Adami Rechenbergii, 1722, 8.
Frider. Hasserti, 1722, 8.
Ottonis et Ioann. Burchardi Menckeniorum, 1723, 8.
Myliorum, 1723, 8.
Frider. Ernesti Kettneri, 1723, 8.
Melch. Eccardi, 1723, 8.
N. Opelii, 1724, 8.
Immanuelis Hornii, 1724, 8.
Andr. Stubelii, 1725, 8.
Georgii Adolphi Schubarti, 1725, 8.
Christiani Misleri, 1726, 8.
Christiani Godofredi Alberti, 1727, 8.
Anonymi, uend. d. 12 Octobr. 1705, 8.
d. 16 Julii, 1708, 8.
d. 1 Dec. 1710, 8.
d. 6 Sept. 1717, 8.
d. 20 Mart. 1721, 8.
d. 6 Dec. 1723, 8.
d. 17 Ianuar. 1724, 8.
d. 30 Octobr. 1724, 8.
d. 12 Martii, 1725, 8.
d. 3 Sept. 1725, 8.
d. 11 Martii, 1726, 8.

Digitized by Google

Der Leipzigiſchen Teutſchen Poetiſchen Geſellſchafft Verzeichniß aller Deutſchen Poetiſchen Schrifften. 1724, 8.

Allgemeines Hiſtor. Lexicon, Leipz. 1722, F.

LVBECAE.

Henrici Zeidleri, 1689, 1690, 1691, 8.

NAVPOTAMI.

(uulgo, *Schiffbeck*, haud procul Hamburgo.)

Friderici Adolphi Hanſen ab Ehrencron, 1717, 4.

NORIMBERGAE.

Chriſtophori & Andreae Arnoldi, 1725, 8.

VINARIAE.

VVilhelmi Erneſti Tenzelii, 1714, 8.

VVISMARIAE.

Henningi Ioachimi Gerdeſii, 1703, F.

VVITTEMBERGAE.

Caſp. Ziegleri, 1708, F.
Ioannis Baptiſtae Roeſchelii, 1713, 8.
Georgii Beyeri, 1715, 8.

VVOLFENBVTTELII.

Ioannis Chriſtophori Meiſneri, 1726, 8.

ZITTAVIAE.

N. Guntheri, 1725, 8.

IN DANIA.

HAFNIAE.

Petri Scauenii, 1665, 4.

Digitized by Google

IN SVECIA.

Videatur ſupra, p. 272.

Optarem, Bibliothecae *Petri Grotii* Catalogum a me haberi potuiſſe, quippe ex quo fortaſſe plura de ſcriptis HVGONIS GROTII, Patris, haurire potuiſſem. Meminit eius Catalogi *Ehrencronianus*, ſub inſcriptione ſq.

